





i 16907620

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	B
Estante:	6
Número:	3

CAPVT TERTIVM IVDICVM.

nam & Sidonium, atque Heurum qui habitabat in monte libano de monte Baal Hermon, vsque ad introitum Emath. Sept. Quinque satrapias alienigenarum, &c. à monte Hermon, vsque Labemath. Cald. A monte planicie Hermon vsque ad ascensum. Syr. Quinque ergo tyranni palæstinorum, &c. à monte filiorum Hermon. Arab. Qui inquam, relictæ fuerunt, fuerunt quinque duces.

Vulg. Dimisitque eos, vt in ipsis experiretur Israëlensium virum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. Pag. Fueruntque vt tentaret per eos Israël vt sciret vtrum, &c. Caiet. Fuitque ad probandum in eis Israël. Malu. Fuerunt ad eleuare in eis Israël, ad cognoscere, an audirent. Cald. Iussa Domini

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT erudiret in eis. Alij, vt tentaret per eas. Heb. est מוֹסִיף Nassoth. Gr. πειράσαι, quæ vox significat tentaret. Vide Concord. ver. 22. præced. cap. Postea discernent filij eorum certare cum hostibus, &c. Alij tantum, vt scirent generationes filiorum Israël, ad docendum eos prælum, &c. Licet hæc verba variè exponantur, sensus hic clarior, scilicet, iuniores Israëlita bellorum inexperti quid sit præliari cum Chananæis: Quinque Satrapas Philistinorum. Alij, Quinque tyranni. Satrapæ enim hi erant quinque præfecti, ac principes Philistinorum: De monte Baal Hermon. Alij, De monte planicie Hermon: בגב Baghal enim etiam Hebræis vallem significat

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 1. Hæ sunt gentes, Postquam præmissa est huius libri præfatio, hinc consequenter describitur historiae narratio, & primò historia textitur, secundò triplex casus inducitur 17. c. Prima autem diuiditur in septem partes, secundum septem tribulationes, quas passi sunt filij Israël pro peccatis suis: & à quibus penitentia ducti liberati sunt, per septem iudices sibi succedentes. Duæ primæ tanguntur in hoc c. Tertia, c. 4. Quarta, c. 6. Quinta, c. 9. Sexta, c. 10. Septima, c. 13. Præterea autem cap. diuiditur in duas partes, secundum duas tribulationes, quæ in eo tanguntur: secunda ibi: Addiderunt autem. Circa primum ponitur ad prædicta continuatio: secundò describitur prima tribulatio, ibi: Itaque filij Israël. In fine præcedentis cap. habetur, quod Deus dimisit gentes inter filios Israël, vt experiretur eorum obedientiam, & inobedientiam: & ideo in principio huius cap. per modum continuationis ad prædicta, ostenditur, quæ fuerunt illæ gentes, cum dicitur. Hæ sunt, scilicet, quæ postea nominantur.

A Vt postea discernent filij eorum certare cum hostibus. Quod idololatriam declinant. Significatur autem mysticè, quod scriptura dicit gentes à Domino relictas, vt posteri filiorum Israël discernent certare cum hostibus, & haberent consuetudinem præliandi, non ita intelligendum, quasi præliari, & bella gerere per se bonum sit; sed quia vile erat illi populo bellis exerceri, ne per luxum & ignauiam ad idololatriam declinant. Significatur autem mysticè, quod Deus tempore noui testamenti permittit hæreses, & alias persecutiones piorum, vt per huiusmodi aduersa, Ecclesia exerceatur in pietate, & doctrina religionis.

ESTIVS V. 2.

Quas Dominus, scilicet, quantum ad artem præliandi, ne fierent ignaui ex diffuetudine armorum. Ista enim fuit vna causa inter alias, quare dimissæ sunt istæ gentes, vt dictum fuit Iosue 13.

B Vt postea discernent filij eorum certare cum hostibus, aliqui ex textu Græco & Hebræo hunc sensum esse putant, vt filij Israël intelligant quid sit præliari cum Chananæis, quàm scilicet durum, plenumque discriminis. Alij textui nostro conuenientiùs, vt filij Israël artem bellandi condiscerent frequenti armorum tractatione, bellisque gerendis cum Chananæis, à quibus artem militarem docerentur, dum hoc modo exercebantur.

MENOC.

MENOC. Vt erudiret in eis Israëlensium, Hebraicum verbum tentare significat, ita vt causa ista sit eadem, quæ superiori cap. 22. non delebo, &c. vt in ipsis experiar vtrum custodiant viam Domini, &c. & hoc eod. cap. 3. num. 4. Dimisit eos, vt in ipsis experiretur Israëlensium, vtrum audirent mandata Domini, &c.

Quinque Satrapas, id est, regulos vel principes secundum numerum quinque ciuitatum principalium, sci. Azoti, Ged, Gaza, Ascalon, Accharon. Et dicuntur Satrapæ, quasi satis parati, vel satis sapientes. Cætera patent ex dictis.

LYRAN V. 3.

Qui non nouerant bella Chananæorum, id est, qui ea non viderant, & experti non erant.



Satrapas, id est, Præfectos, seu Principes, vox est Persica. De monte Baal Hermon. Videtur is mons sic dictus ab idolo, & templo eius, quod erat ad Hermon. Porro mons Hermon prope Antilibanum est ad Septemtrionem Palæstinæ. Vsq. ad Emath. Hæc à nonnullis Antiochia esse creditur ad Orientem.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 11.

Vulg. Itaque filij Israël habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi & Amorrhæi, & Pherefæi, & Heuæi, & Iebusæi. Vulg. Et duxerunt vxores filias eorum, ipsique filias suas filios eorum tradiderunt, & seruiuerunt diis eorum. Cald. Coluerunt errores eorum. Vulg. Feceruntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, seruientes Baalim & Astaroth. Pag. Seruiuerunt Becalim & lucis. Caiet. In quercubus. Cald. Obliti sunt cultum Domini Dei ipsorum, & seruiuerunt Beghalaca, & Aseratha. Vulg. Iratusque contra Israël Dominus tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, s. ruiueruntque ei octo annis. Malu. Et exarsit nasus Ihuh, & vendidit eos. Sept. In manu Chusarathaim Regis Syriæ Fluminum. Reg. Mesopotamia. Cald. Inualuit indignatio, &c. in manu Chusa scelerati Tom. IV.

Regis Aram quæ iuxta Perath. Arab. Qui Chusan impius seruitute oppressit filios Israël. Vulg. Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez filium Caleb maiorem. Pag. Et seruaui eos Othoniel filius Ehenaz, fratris Ehaleb minoris illo. Malu. Et exclamauerunt & surgere fecit, &c. fratrem Caleb, paruum de ab eo. Sept. Et excitauit & mansit super eum spiritus prophetiæ. Vulg. Fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israël, egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manu eius, Chusan Rasathaim, Regem Syriæ, & oppressit eum. Pag. Et roborata est manus eius super Chusean Rishathaim. Caiet. Tradidit Regem Aram, & roborauit eius.



CAPVT TERTIVM IVDICVM.

Arab. Debellarunt eos, vulnerarunt ex eis vulneratos multos.
Vulg. Seruieruntque filij Israël Eglon regi Moab, decem & octo annis.
Vulg. Et postea clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filij Israël per illum munera Eglon regi Moab.
Pag. Qui dextera manu nihil efficiebat, sed sinistra.
Arias. Virum obturatum manu sua dextera.
Caiet. Virum clausum manu dextera sua.

Guar. Captum.
Tigur. Qui vir erat clausa manu.
Isidor. Clar. Cuius viri dextera erat contracta.
Sept. Rom. Filium Gera, filium Iemini, virum am-
 terum.
Reg. Filij Iemini.
Cald. Virum impeditum in manu, &c.
Syr. Virum dextera impotem.
Arab. Cuius dextera erat arida.
Alij. Virum perclusum dextera.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Copulauit ei filios Ammon, Alij, Congregauit ad se. Noster *Vulg.* vult Deum ipsi regi filios Ammon copulasse & adiunxisse, Alij autem, ipsum Eglonem sibi adiunxisse. Sanè Hebræa lectio est ambigua, & vtroque modo verti potest: vtraque tamen & sincera, & germana lectio est: nam & Deus illorum animos inclinando regi copulauit, & rex ipse cum iis paciscendo fœdus, & auxiliares copias concedendo. *Qui vtraque manu pro dextera utebatur, Alij, Qui dextera manu nihil efficiebat, virum obturatum, clausum, captum dextera, dextera impotem.* Quod contrarium videtur nostro Interpreti: Imo & *Sept.* habentibus ἀμφοτέρωθεν, ambidextrum. Heb. est ימינו יד אשר איש ישב יתער יאד ימינו, qua paraphrasi volunt significari eum, qui duntaxat sinistra vtatur, quia volunt אשר significare claudere, obturare, constringere, sed alij etiam docti volunt contrariam significationem habere, nempe aperi, & aperire: verum demus אשר significare claudere, & quæso cur iter iad Iemini is dici non possit cum dextera sua vii possit; eam tamen cum lubet, & vti vult, sinistra, claudit & componit? Sanè nostro *Vulg.* & *Sept.* omnibus alijs eruditioribus potius fides adhibenda. Orig. Homil. 3. id apertè docet vtramque manum dexteram habens: dicitur ergo Aod clausus, non quia natura, sed sponte sua dexteram suam quodammodo clauderet, vel conueneret, vtraque enim manu promptus erat, tractandisque armis peritus, ac dexter.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *v. 12.* **A**ddiderunt. Hic ponitur secunda tribulatio, quæ A fuit per regem Moab, quæ primo describitur: & secundo, de tertio Iudice, additur ibi: *Post hunc, &c.* Circa primum, primo describitur filiorum Israël culpa, cum dicitur: *Addiderunt autem.* Secundo subditur pœna, cum dicitur. *Quia confortauit, &c.*
- MENOC.** *Addiderunt filij Israël facere malum, &c.* Mortuo, scilicet, Othoniel; tanti refert à bono principe Rempublicam gubernari.
Confortauit. Roborauit, impio, ac Gentili rege tanquam instrumento, & quasi tortore vsurus, ad plectendos Israëlitas.
- TIRINVS.** *Confortauit.* Mortuo Othoniele deflexerant iterum ad idoli. Hebræi: & *confortauit Dominus aduersum eos Eglon regem Moab.*] Non iubendo, suadendo, impellendo, aut simili modo excitando ad iniustum bellum, vt volunt Caluinista; sed primo, augebat illi vires, animos, consilium, arma, socios, milites & alia quibus alioquin inferior erat Hebræis. Secundo, minuebat ex altera parte vires, & animos Hebræorum, eisque terrorem ac formidinem immittebat: & fortè hoc ipsum innotescere fecit regi Moab. Tertio, submouebat impedimenta omnia quæ à bello Hebræis inferendo Moabitas remorari potuissent, dabat prosperos belli successus, destituendo Hebræos solita ope cælesti, &c. Quæ omnia iustis de causis, & in bonum finem faciebat Deus: & erant ex se indifferentia, poteratque, & malè illis vti rex Moab. Et licet præuideret Deus illum per mala sua voluntate, & alieni imperij ambitu malè vsurum, ad bellum Hebræis iniuste inferendum; voluit tamen illum sibi suæque malitiæ relinquere, vt hac via Hebræi debitas luerent pœnas. Potuisset quoque Deus apertè, ac directè illi tanquam terrori vel militi suo præcipere, vt bellum Hebræis inferret, eosque puniret: sed tunc debuisset ei suam hanc voluntatem indicare, neque fuisset bellum istud iniustum. Ita de Nabuchodonosore docet Abulensis ex S. Augustino & S. Thoma. Vide quæ de Pharaonis induratione dixi Exodi 7.
- LYRAN.** *v. 13.* *Et copulauit.* Id est, fœdere iunxit.
Filios Ammon & Amalecitas. Vt esset potentior contra filios Israël.
Atque possedit urbem palmarum. Id est, Iericho: non quia esset reedificata, sed quia accepit totum territorium illud, vnde filij Israël terrore reddiderunt ei tributum, ideo subditur.
- MENOC.** *Et copulauit ei. Sept. Et congregauit ad se ipsum.* V. Tom. I V.
- trumque verum; nam opitulante Deo adiunxit sibi Eglon, Ammonitas, & Amalecitas, rursusque hos illi sua ope adiunxit Deus.
Percussit Israël. Graui clade eum afficiens, ipsorumque terram occupans ex parte.
Possedit urbem palmarum. Tericho. Agrum scilicet eius, nam ciuitas ab Iosué diruta fuerat, & incensa.
Seruieruntque filij Israël Eglon regi, &c. Tertio subditur **LYRAN.** *v. 14.*
Seruierunt Eglon decem & octo annis. Regi Mesopotamix seruierant octo annis, iam verò crescentibus peccatis, diuturnior seruitus rependitur.
Et postea clamauerunt ad Dominum. Nimis afflicti de **LYRAN.** tyrannide Eglon. Quarto subiungitur Dei misericordia, *v. 15.* cum dicitur.
B *Qui suscitauit eis Saluatorem, &c.* Circa quod sciendum quod iste Aod liberauit populum per hoc quod interfecit regem prædictum, quando missus fuit ad reddendum ei tributum. Primo igitur describitur ipsius Aod conditio. Secundo eius legatio, ibi: *Miseruntque filij.* Tertio Eglon interfectio, ibi: *Cumque obtulisset.* Quarto exercitus Eglon debellatio, ibi: *Aod autem.* Circa primum, conditio Aod describitur ex genere, cum dicitur.
Filium Gera, filij Iemini. Ex hoc habetur quod erat de tribu Benjamin. Secundo describitur quantum ad personam, cum dicitur.
Quia vtraque manu pro dextera, &c. Id est, ita facilliter, & fortiter utebatur sinistra sicut & dextera Hebræi autem dicunt sic: *Debilis manu dextera, non quod esset impotens in illa parte; sed quia melius, & promptius iuabat se de sinistra.* Et tales aliquando sunt optimi bellatores, & quia tanto minus potest præuideri ictus eorum, quanto magis est inconsuetus.
Miseruntque filij Israël, &c. Hic consequenter describitur eius legatio, cum dicitur. *Miseruntque filij Israël per illum.* Tanquam per solemnem nuntium.
Munera Eglon regi Moab. Id est, tributum.
Vocabulo Aod. A Iosepho lib. 5. Antiq. cap. 5. appellatur *Iuda,* & vero nomen hoc, & origine, & significatione conuenit cum Iuda, ideoque à quibusdam Aod exponitur *consistens, & laudans,* ab Orig. Homil. 4. *Laus.*
Filium Gera, filij Iemini. De stirpe nuntium Benjamin.

que manu pro dextera utebatur. Ambidexter erat, ab Isidoro dicitur, *Aquimannus.* Septuaginta, ἀμ-
 βιδεξων, vocant, eadem significatione. Vatablus, Arias,
 Caiet. & alij putant vocem Hebraicam ימין itter, signi-
 ficare eum, qui sinistra tantum manu vitur, vel certè ea

A plus valet: fauet Iosephus lib. 5. cap. 3. cum ait: *Sinistra
 manu melior, & in ea omnem vim habens.*
Fily Iemini. Id est, Beniaminij, seu de tribu Benia-
 min, vt alibi probabo. TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 16. & 17.

Vulg. Qui fecit sibi gladium ancipitem, haben-
 tem in medio capulum longitudinis palmae ma-
 nus, & accinctus est eo subter sagum in dextro fe-
 more.
 Pag. Et erant sibi duæ acies, cubitus longitudo eius, &
 accinxit se eo, sub veste sua super femur.
 Caiet. Mensura vnus brachij viri.
 Vatab. Gladium & erant sibi duo ora. Ita Cald.
 Tigur. Accinctus sub tunica sua stricta.
 Malu. Sphitama longitudo eius, accinxit eum de sub ve-
 stibus commensuratis.
 Syr. Fecerat sicam duarum acierum longitudinis pugilla-

ris, eamque intra vestimentum suum alligauit.
 Arab. Parauit sibi gladium bipennem cuius longitudo fe-
 cluso capulo erat cubitalis.
 Vulg. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem
 Eglon crassus nimis.
 Arias. Appropinquare fecit munus vir pinguis valde.
 Tigur. Obefus.
 Malu. Creatus.
 Sep. Rom. Vir urbanus valde.
 Syr. Homo erat admodum rudis.
 Aug. Et erat exilis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fecit sibi gladium, Syr. Sicam. Et vero necesse est sicam, & ensiculum intelligere; quod eius longitudo indicat. An-
 cipitem, Alij, Habentem duo ora, vel duarum acierum. Benè Arab. appellat bipennem. Bipenne enim est quod ex
 vtraque parte est acutum. Habentem in medio capulum longitudinis palmae manus. Alij præter Arab. nihil ha-
 bent de capulo: sed noster capulum posuit, sicut & Arab. maioris explicationis gratiâ, vt gladij breuioris accuratius for-
 mam describeret. Longitudo palmae manus, Alij, Cubitus longitudo eius. Cum ait Vulg. Longitudo palmae manus eius.
 non ad capulum, sed ad gladium refert: per palmam autem accipe palmum, siue phithamam, vt vertunt Sep. Alioqui
 palma propriè est mensura exigua quatuor digitorum transuersim positorum. Palmus vero siue sphitama est spatium,
 quod distentâ manu inter pollicem, & vltimum digitum interiacer, continetque duodecim digitos transuersim. Heb. est
 גומד gomed, quod passim Hebraisantes vertunt cubitum. Vnde Gammadim, id est cubitales vocantur Pygmaei. Cubi-
 tus est sexquipes, continet 24. digitos, siue duas sphitamas; quare hic cubitus minor debet intelligi, qui æquatur sphi-
 tamæ, continetque duodecim digitos. Subter sagum, Alij, Sub veste: sed melius Vulg. sagus enim est vestis militaris.
 Crassus nimis, Sep. Urbanus. Sed Syr. Erat admodum rudis, Aug. Exilis. Quoad Aug. dicendum hunc per antiphrasim
 exilem dixisse sicut ait, lucus dicitur; quod minimè luceat, verum est Sep. אשיוס, id est urbanus, non quod pinguem
 esse noluit, sed quod urbani homines, soleant plerumque esse pinguiore, quia suam curant cuticulam melius, deli-
 ciis innutrientur maioribus, laboribus exercentur minoribus, abundantius indulgent somno. Alij volunt esse men-
 dum, & pro אשיוס, vertisse אשיוס, id est ponderosus, grauis: nescio cur Syr. reddidit, & erat rudis valde, nisi
 quod cum Eglon vitulum significet, dixerit eum rudem ad modum vituli.

ANNOTATIONES.

Qui fecit sibi gladium, &c. Id est, scindentem ex v-
 troque latere.
 Habentem in medio, capulum longitudinis palmae manus,
 & accinctus est eo, &c. Hoc non est in Hebræo, sed illud
 quod sequitur immediatè coniungitur literæ præcedenti
 sic. Fecit sibi gladium ancipitem longitudinis palmae manus.
 In Hebræo habemus. Longitudinis parua. Ad hoc quod
 minus appareret: vnde subditur.
 Et accinctus est eo subter sagum, &c. Id est, pallium
 militare, vt dicunt expositores communiter, tamen in
 Hebræo habetur. In dextro femore. Quia melius iuuabat
 se de sinistra, secundum quod dicunt Hebræi. Illi autem,
 qui melius se iuuante de dextera, cingunt gladium ad par-
 tem sinistram. Secundum autem translationem nostram,
 quæ dicit, quod æqualiter se iuuabat de vtraque manu,
 dicunt expositores, quod hoc fecit ad hoc, vt minus appa-
 reret gladius, vel vt videretur in armis inexpertus.
 Qui fecit sibi gladium ancipitem. Quæritur, rectè ne
 fecerit Aod occidens regem priuato consilio & autho-
 ritate? Ad hoc variè potest responderi. Quidam dicunt
 non eum id fecisse priuata autoritate, sed publica, quia
 Iudex populi. Sed ea responsio refelli videtur, quia Aod
 non fuit Iudex, nisi postquam salutem præstitit populo.

Alij respondent, eum communicasse consilium cum pro-
 ceribus populi. At certè textus magis significat rem priua-
 ti consilij fuisse; nec tutum fuisse cogitationem pluribus
 aperire, ne fortè proderetur. Vnde & Iudith cap. 8. consi-
 lium suum de occidendo Holoferne aperire noluit, pe-
 tens tantum pro se orari. Quare dicendum videtur, hoc
 ita factum ab Aod priuato consilio, vt tamen de consensu
 procerum, totiusque populi merito præsumeretur; quia
 res talis erat, quæ ad totius populi salutem spectaret. Sic
 & de Iudith respondendum.

Gladium ancipitem. Duarum acierum, duorum mucro-
 num. MENC 6.


Longitudinis palmae manus. Gladius, seu fica, quam sibi
 parauit Aod, palmaris fuit. Hebræus cubitalem fuisse ait;
 sed à nostro Interprete palmus maior intelligitur, qui cum
 cubito minore longitudine congruit.

Erat autem Eglon crassus nimis. Heb. pinguis valde. LXX.
 habent אשיוס, quæ vox in Interpretatione Latina, quæ S.
 Aug. tempore circumferebatur, exilis, reddebatur, &
 D. August. per antiphrasim intelligit. Certum est, אשיוס,
 Græcis esse urbanum, bellum, commodis moribus. Quo-
 modo LXX. virorum lectio cum vulgata conciliari possit,
 non satis video. Vide tamen quæ assert hîc Serarius. §. 17.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 18. 19. & 20.

Vulg. Cumque obtulisset ei munera, prosequutus est
 socios, qui cum eo venerant.
 Pag. Et fuit oblato munere dimisit populum qui detule-
 rat munus.
 Arias. Et fuit quemadmodum compleuit appropinquare
 munus suum. dimisit populum ferentes munus.
 Tigur. Ablegavit populum.

Malu. Lenantes muneris.
 Sep. Postquam consummavit offerens munera.
 Cald. Misit populum portatores muneris.
 Arab. Cumque finem fecisset recensendi munus suum,
 præcepit iis, qui munus gestabant vt abscederent.
 Vulg. Et reuersus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad re-
 gem: Verbum secretum habeo ad te, & rex. Et ille im-



CAPVT TERTIVM IVDICVM.

peravit silentium: egressisque omnibus qui circa eum erant.
Pag. Ipse reuersus de lapidicinis, &c. & dixit, file.
Arias. A dolaturis, verbum arcani mihi ad te.
Caiet. Ab incisionibus.
Vatab. A latomiis.
Tigur. A simulachris.
Malu. Verbum absconsionis mihi ad te.
Sep. A sculptilibus, quæ cum Galgal.
Reg. Apud Galgal, sermo mihi secretus.
Syr. Reuersus è pelisin, quæ est secus Galgalim.

Arab. De Palæstina.
Vulg. Ingressus est Aod ad esum: sedebat autem in uo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad
 Qui statim surrexit de throno.
Arias. In cœnaculo refrigerij, quod ei ipsi soli.
Malu. Sedens in altaria refrigerationis quæ ei solitaria ei, surrexit de super solium.
Cald. Et ipse habitabat in cœnaculo domus æstatis, quæ ipsi vni.
Syr. Arab. In cœnaculo quod ipsi paratum erat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Prosecutus est socios, qui cum ipso venerant, Alij, Dimisit populum ferentes munera. Id est, qui secum detulerant munus, vt à periculo, si quod futurum esset, liberi essent, & ipse rem expeditius gereret. *Prosecutus est*, id est, comitatus, donec eos dimitteret. *Et reuersus de Galgalis ubi erant idola*, Alij, *Reuersus de lapidicinis, incisionibus, &c.* Hebraicè פסילימ *pesilim*, quæ vox proprie significat incisa, dedolata, inculpta; siue ex ligno, siue ex lapide sæpissimè hæc vox sumitur pro idolis; sculptilibus: Aliqui pro latomiis, lapidicinis, quæ erant propè Galgal accipiunt: Alij ubi erant dolaturæ, sculpturæ, vel imagines dedolabantur, & sculptebantur, sed plerique cum nostro, pro loco, ubi erant idola: *Et ille imperauit silentium*, Alij, *Tace.* Vnde non imposuit silentium aulicis suis, sed ipse Aod, veritus nequid aliis adstantibus proderet. *Sedebat solus in æstimo cœnaculo*, Alij, *In cœnaculo refrigerij*, nimirum in loco ad auras captandas, & æstum arcendum idoneo.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *¶ 18.* **C**umque obtulisset ei munera, &c. Hic consequenter describitur ipsius Eglon interfectio, & modus interfectionis, quia Aod non interfecit eum statim, sed recessit inde facta sua legatione, & hoc est quod dicitur. *Cumque obtulisset ei, &c.* Ad deferendum munera prædicta.
- MENOC.** *Prosecutus est socios*, in Heb. est, *dimisit*, vel *emisit* populum, qui munus tulerat, vt etiam LXX. id autem fecit, vt expeditior esset ad facinus, vel ne aliis crearet periculum, si cæptum parum feliciter succederet, nec discordat textus Latinus, cum ait, *Prosecutus, &c.* Primo enim socios dimisit, deinde quasi cum iis abiturus, eos subsecutus est, postea autem solus rediit.
- LYRAN.** *¶ 19.* *Et reuersus de Galgalis ubi erant.* Vsque ad illum locum redierat cum sociis suis, sed quando vidit idola, quæ Eglon posuerat in Galgalis: quem locum Hebræi reputabant sanctum, eo quod ibi primo manserant post transitum Iordanis, & circumcisi fuerant, & Pascha celebrauerant, vt habetur Iosué 4. & 5. & quia arca testamenti, & tabernaculum fuerunt ibi quousque translata fuerunt in Silo, vt dictum fuit Iosué 18. quod fecerat Eglon in contemptum loci sacri, sicut Antiochus Epiphanes posuit idolum in templo Domini, vt habetur 1. Machab. 1. c. ex hoc fuit accensus Aod ad reuertendum, vt interficeret regem Eglon.
- Verbum secretum habeo ad te o rex.* Et accipitur hic verbum pro re significata verbo: quia intendebat eum occidere in secreto: in aperto enim non poterat propter assistentes.
- A** *Et ille imperauit silentium.* Innuendo, quod omnes exirent, vt patet per litteram sequentem.
- Et reuersus de Galgalis.* Hucusque populum, quem à MENOCS dimiserat, prosecutus est Aod, ac deinde ad regem, quasi aliquid oblitus esset, vel in via noui quid incidisset, solus rediit. Galgala sunt in agro Ierichuntino.
- Verbum Dei habeo ad te.* Quasi diceret, oportet quod Lyrane surgas propter reuerentiam verbi Domini. Nec oportet hic Aod de mendacio excusari, maxime quia illud mendacium non fuit perniciosum, sed magis officiosum: quia fuit ordinatum ad interfectionem idololatæ pessimi, & tyranni super populum Dei, propter quod commendatur Aod, non autem propter mendacium, sicut Exod. 1. commendantur obstetrices; eo quod saluauerint pueros Hebræorum, non autem propter mendacium quod dixerunt regi, mendaciter se excusantes.
- Ingressus est ad eum.* Propius scilicet accessit.
- In æstimo cœnaculo.* Significatur locus aduersus æstiuos calores idoneus, seu, vt Hebræus indicat, refrigerationi locus idoneus.
- Solus.* Planè solus, omnibus omnino exclusis. LXX. habent *μονός*.
- Verbum Dei habeo ad te.* Oraculum; Iosephus dixit *ὄρα* somnium, diuinitus scilicet immissum. Id agebat Aod, vt rex tactus religione assurgeret, ictuique redderetur opportunior; quod etiam consecutus est.
- Qui statim surrexit de throno.* In reuerentiæ argumentum.
- B**

VARIETAS LECTIIONVM. Vers. 21. 22. & 23.

Vulg. Extenditque Aod sinistram manum, & tulit ficam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre eius.
Pag. Tulit gladium.
Cald. Et infixit in intestinis eius.
Vulg. Tam validè, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguisimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita vt percussisset, reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alui stercora proruperunt.
Pag. Et ingressus est capulus post ferrum, & clausit se adeps propter ferrum, non enim exierat gladius, & exiuit stercus.
Arias. Post laminam, & clausit se adeps propter laminam, quia non eduxerat laminam, & exiuit stercoris effusio.
Caiet. Exierunt excrementa.
Malu. Venit capulus post flammam, & clausit adeps vsque ad flammam.
Sept. Rom. Clausit adeps super flammam.
Reg. In flammam.
Cald. Obturauit pinguedo in faciebus laminæ, &c. de intestinis, & exiuit cibus eius eiectus.
Syr. Adepsque obturarat ictum.
Vulg. Aod autem clausis diligentissimè ostiis cœnaculi, & obfirmatis sera,

BIBLIA MAXIMA VERSIONVM.
CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A C pinguisimo stercore stringeretur, Alij, Conclufit adeps laminam, vel ufque ad flammam. Id est, totam laminam operuit, ita vt totus gladius demerfus efferet in omentum, & ita adeps vulneris locum exterius impleuit, ita vt nihil ferri, vel capuli appareret. Statimque per secreta natura, alui stercoia proruperunt. Alij, Et exiit stercois. Addidit Vulg. Per secreta natura, quod in aliis non habetur, explicationis gratia. Arias habet. Effusio stercois, ideo est, quia vocem Heb. פֶרֶשׁ פֶרֶשׁ parschedona, compositam duabus distinguit, nempe פֶרֶשׁ perefch, quod est stercois, & פֶרֶשׁ quod Caldaicè est effundere. Et hoc videtur secutus Cald. vertens. Exiit cibus effusus, vbi per cibum, haud dubiè sordes, & reiectamenta cibi accipit, Sep. autem honestatis studiofi apud gentiles, quibus suam cudebant interpretationem, harum fordium egestionis non meminerunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 21.
LYRAN.
v. 22.

ET tulit, &c. Id est, gladium qui sic nominatur à sonitu, quem facit quando de vagina extrahitur.
Vt capulus. Capulus est manubrium sic factum quod supereminet vaginæ.
Nec eduxit. Tum quia retentus erat in adipe, tum quia festinauit fugere.
Alui stercoia proruperunt. In his enim qui moriuntur violenter, egestiones solent exire, sicut suspensi emittunt vrinam, vel aliquid tale.

A Aod autem. Ne aliquis intraret ad regem, & inueniret eum mortuum, donec esset elongatus.

Et obfirmatis. Infra dicitur, quod serui regis tulerunt clauem ad operiendum ostium. Et ideo dicendum quod plures erant ibi claues, quarum vnam tantum Aod secum portauit, vel quod ostium sic etat factum, quod per impulsione claudebatur, sed non poterat aperiri sine clauē, sicut modo fit in pluribus ostiis.

LYRAN.
v. 23.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 24. & 25.

Vulg. Per posticum egressus est. Seruique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat aluum in æstiuo cubiculo.
Lyrans. Per porticum egressus est.
Pag. Certè deponit anum.
Tigur. Prætorium versus venit ad subsellia.
Vatab. Fortè tegit pedes.
Sep. Et exiit, &c. & transiit obseruantes, & pueri eius superuenerunt, & ecce ianuæ cœnaculi coarctatæ, & dixerunt, nunquid fortè euacuat pedes suos?
Reg. Forsitan in sedile sedet, in secessu cubiculi.
Cald. Profecto faciens ipse necessitates suas in cubiculo domus æstatis.
Arab. Forfan egressus est per foricam par ianuam interiorum.
Syr. Fortassis ad latomam exiit per conclauē cœnaculi.

Alij. Per gradus ordinatos ad exedram ad tabulatum, per conuentum ad aulam ad atrium.

Vulg. Expectantesque diu donec erubescerent, & videntes quod nullus aperiret, tulerunt clauem: & aperientes inuenerunt dominum suum in terra, iacentem mortuum.

Pag. Et expectauerunt donec tardaret, & ecce non aperiebat fores.

Arias. Expectauerunt vsque ad pudefieri, &c. & cœperunt apertorium.

Malu. Et ecce sustentatores eorum cadens in terram mortuus.

Abul. Et expectarunt vsque ad vesperam.

Sep. Et sustinuerunt.

Cald. iacens proiectus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Per posticum egressus est, Alij, Porticum, vestibulum. Heb. מִסְדֶּרְנָח misderna, quod variè redditur: per porticum, quales fieri solent in domibus magnatum ad ordinationem, hoc est, ad locum, in quo curiales manere consueverunt: Ad vestibulum, in quo principis custodes excubabant. Hinc Sep. Exiit obseruantes. Cald. Ad exedram, quales esse solent in Anticamera regum, & principum, quo conueniunt Aulici, & cæteri regem adituri, donec à rege eudocentur: Alij, per conuentum, id est, locum, in quo conueniebant homines. Et licet illa vox Heb. aliquid ordinatum significet, siquidem פֶדֶר seder, à quo deriuatur quod ordinem denotat, & ita ea vox significare potest porticum, quod columnarum ordinem præclarum habeat, tamen dicendum, per posticum Aod egressum, non per locum publicum, ibi enim ab omnibus visus, notatus, & captus fuisset. Nec repugnat: nam ista in egressu forium obseratio non caruisset suspitione criminis. Fortè purgat aluum, Alij, Tegit pedes. Heb. verecundè purgare aluum efferunt per tegere pedes, quod hic sit gestus, seu habitus egerentis sit, etiam iuxta hanc in Heb. dicendi formulam dixerunt Sep. Rom. Euacuat pedes suos. Et honesta etiam locutione, Sep. Reg. In sedibus sedet. Arab. autem nihil tale dicit, sed forfan egressum secreto à cœnaculo. Expectantesque diu donec erubescerent, Alij, Donec tardaret, sed verbi פֶרֶשׁ perefch magis usurpatur pro erubescere, pudefieri, confundi. Abul. non audiendus, פֶרֶשׁ perefch enim vesperam non significat.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 24.

Per porticum. In Heb. habetur.
Misderna. Id est, porticum, quæ solet fieri in domibus magnatum, & videtur littera nostra corrupta propter similitudinem litterarum.
Seruique. Non cœnatum in quo erat rex, vt patet in textu, sed porticum quæ erat ante, à quâ se aliquantulum elongauerat, & post exitum Aod ibidem redierunt; stantes ibi per aliquod spatium temporis, propter causam quæ exprimitur in textu, & patet littera.

B Per porticum egressus est. LXX. verterunt, per ordinatos, seu, vt S. Aug. quæst. 22. milites obseruantes, qui scilicet excubare soliti erant, vt in regum aulis fit. Hebræi quidam putant fuisse vestibulum, vel gradus ad domus introitum ordinatos, aut locum, in quo ad regem homines conuenirent, seu exedram, in qua sedere consueuissent.

Purgat aluum. Heb. Tetigit ipse pedes suos. Hanc enim naturæ necessitatem, lingua sancta verecundè vocat pedes cooperire, & vrinam aquam pedum.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 26. ad ultimum.*

Vulg. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertransiit locum idolorum, vnde reuersus fuerat. Venitque in Seirath.

Pag. Euasit, dum tardarent illi, & transiuit lapidicinas.

Caiet. Incisiones.

Aly. vt vers. 19.

Sep. Aod saluus euasit, & non erat qui attenderet ei, euasit saluus in fetirosa.

Alii. Et saluatus est iuxta condensa veprium.

Vulg. Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filij Israël, ipso in fronte gradiente.

Pag. Et ipse ante eos.

Arias. Ad facies eorum.

Malu. Et fuit in venire eum, & infixit in tuba.

Sep. Cecinit in cornea.

Cald. Clanxit.

Arab. Buccinam insufflauit.

Vulg. Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, & occupauerunt vada Iordanis quæ transmittunt in Moab: & non dimiserunt transire quemquam.

Arias. Ceperunt transitus.

Malu. Dedit maleuolentes vestros in manu, &c. & non dederunt virum ad transire.

Cald. Contigerunt vadum Iordanis.

Syr. Pontem.

Vulg. Sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos & fortes viros: nullus eorum euadere potuit,

Pag. Omnem virum pinguem, & omnem virum fortem.

Arias. Omnem virum virtutis.

Tigur. Qui omnes fuerunt obesi strenuique milites.

Malu. Omnis vir strenuitatis.

Cald. Omnem virum terribilem.

Syr. Accinctum quemlibet & robustum.

Arab. Diuitem quemque.

Vulg. Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israël: & quieuit terra octoginta annis.

Tigur. Subactus est.

Malu. Et humiliata fuit Moab.

Sep. Confusa.

Cald. Fracti sunt Moabites.

Syr. Contriti fuerunt.

Arab. Confracti.

Vulg. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philistiim sexcentos viros vomere: & ipse quoque defendit Israël.

Pag. Stimulo bouis.

Arias. In documento bouis.

Arab. Bipenni boum.

Sep. Percussit alienigenas in sexcentos viros.

Aug. Præter vitulos boum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dum turbarentur, Alij, Dum tardarent. Sed rectius Interpres, scilicet, Attoniti rei nouitate. Venitque in Seirath, Alij, Euasit. Seruatus est inter condensa veprium. Proprium nomen positum ab Interprete, appellatiuum constituerunt, Alij, ibi enim arbuta erant, in quibus capræ, & hirci pascebantur. Occupauerunt vada Iordanis, Alij, Transitus. Omnes robustos, Alij, Pingues, diuites. Dicuntur homines diuites, vel quibus est pinguis fortuna, vel qui succulentum, & bene curatum corpus habent, atque adeo robusti. Humiliatus est Moab, id est, populus Moabitarum, Alij, Confuso Moab, scilicet congregato. Qui percussit Philistiim. Sep. Alienigenas vocant more suo Philistinos. Et quanquam ea vox sit communis omnibus, qui non sunt de genere Israël, ea tamen vox à Sep. his accommodatur, utpote sibi vicinioribus, & infestioribus. Percussit vomere, Alij, Stimulo, documento boum. Heb. est מלמד malmad, quod plures Hebraisantes volunt esse stimulum, à quo boues inter arandum ad officium adiguntur, & quasi docentur quid agere debeant, vnde quidam vertunt, in documento: sed nostro Interpreti consentiunt omnes Codices Græci, מלמד המורה, in vomere, habentes. Ita & Orig. lectio autem Latinæ Sep. versionis, quam sequutus est Aug. mendosa est.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 26.

Venitque, &c. Hic consequenter describitur debellatio exercitus Eglon, quia videntes ex insperato regem mortuum, fugit mens, & consilium ab eis, vt de exercitu Holofernis dicitur Iudith 15. quando sciuerunt eum mortuum. Et ideo Aod potuit eos cum paucis debellare. Ideo dixit ad socios.

MENOC.

Venit in Seirath. Est locus hic ad montana Ephraim in finibus tribus Benjamin.

MENOC.

Insonuit buccina. Nec frustra; nam ad arma conuolauerunt plurimi.

v. 27.

Ipsa in fronte gradiente. Scilicet, ante omnes, quod boni ducis est.

MENOC.

Sequimini me. Id est locum per quem homines poterant transire de terra promissionis in terram Moab. Eglon enim cum suo exercitu acceperat partem terræ promissionis, vt patet ex supradictis, & ibi erat. Cætera patent.

v. 28.

Tradidit Dominus. Plurimum animi militibus addit, si propitio numine se pugnare persuasum habeant.

TIRINVS

Occupauerunt vada Iordanis quæ transmittunt in Moab. Vtili sanè prudentique consilio, ne Moabites qui in tractu Ierichantino (vbi aula erat Eglonis regis) habitabant, in Moabitidem profugere, & inde subsidia accersere possent.

Nota, pro tyrannicidio probando, quasi cuius priuato liceat, frustra allegari hoc Aodi exemplum: cum constet primò, hunc non fuisse hominem priuatum, sed principem populi Israëliti, à Deo omnium Domino ad id

munus euectum, vt dicitur hic v. 15. Deinde, iussum ab eodem Deo occidere publicum hostem, & violentum regni inuasorem. Vnde & verum dixit v. 20. Verbum Dei habeo ad te ô rex, teste S. Augustino, Lyrano, Arboreo, & aliis. Et S. Thomas dicit. Hostem potius interemisse, quam populæ rectorem tyrannum: Porro alibi disertè docet, non licere priuata presumptione, occidere tyrannum, sed solum publica auctoritate. Et articulus iste Hussiticus. Qui libet tyrannus licitè potest à quocumque subdito interfici, damnatus est à Concilio Constantiensis: & iam damnatur ab omnibus Orthodoxis.

Quieuit terra octoginta annis. Vide dicta supra hoc eodem cap. Num. 11.

Post hunc fuit. Sub isto non legitur aliqua notabilis tribulatio: sed pacem factam sub Aod conseruauit, nec permisit Philisthæos eis dominari: ideo subditur.

Qui per. In Hebræo habetur, stimulo bouis. Iste videtur fuisse homo rusticanus & fortis: & forsitan de ligno in quo erat aculeus ad pungendum boues, fecit lanceam vel hastam ad pugnandum, & aliquos alios induxit ad simile faciendum: quia non est verisimile, quod ipse solus sexcentos viros interfecerit: & sic hic accipitur singulare pro plurali, scilicet, stimulo, pro, stimulis, sicut frequenter fit in sacra Scriptura: vnde Exod. 8. Venit musca granissima. Id est, multitudo muscarum.

Post hunc fuit Samgar filius Anath. Non dicitur ex qua tribu fuerit.

MENOC.

v. 30.

LYRAN.

v. 31.

c.

Percussit de Philistiim. Philistæi audita morte Aod viri fortissimi, non iusto bello, sed populabundi more latrocinantium in fines Hebræorum videntur irrupisse, & per eos excurrisse. Hos Samgar, vt erat ad opera ruris succinctus, aratri parte in vsum teli conuersa, & suorum manu collecta, multis occisis, repressit.

Sexcentos viros LXX. Vsq̄ue ad sexcentos.

Vomere. LXX. vocant ἀροστῆρα, pedem aratri, vecte ex aratro desumpto simul cum vomere ferreo.

Ipse quoque defendit Israël. In Heb est. *Et saluauit etiam ipse Israël.* Idem planè habent LXX. quæ verba ostendunt Samgar iudicem fuisse, quod negat Genebrardus in Chronico. Verba etiam illa, quæ huius versiculi initio habentur. *Post hunc fuit Samgar, &c.* hoc idem ostendunt: significant enim eum Aod successisse.

TIRINVS *Samgar.*] Hic est tertius iudex: sed breuissima fuit eius

A principatus duratio, vt patet ex initio cap. sequent. Occasionem inchoandi belli Philistæis ortam fuisse putat Serrarius ex morte fortissimi principis *Aodi*, cuius, quamdiu vixit, metu, numquam ausi fuerant se mouere: iam mortuo, tentare voluerunt variis latrociniiis Iudæos, ecquid ipsis animi superesset. Ergo prædas ex insidiis agere, homines in seruitutem abripere, & fortè *Samgari* in agro aranti boues eripere. Ipse strenuè obniti, vim vi repellere, cumque alia ad manum arma non essent, *vomere sexcentos viros*, humi sternere, vt postea *Samson* mandibula asini millenos viros. Atque ita compressa Philistæorum in ipso limine audacia.

Notat Eusebius, tempore Aodi *Troem* condidisse Troiâ: *Minoem* regnasse in Creta: *Erichonium* Athenis: *Pelopem* apud Argos: *Rhadamanthum* in Lycia: *Cadmus* Thebis: huiusque nepotem *Bacchum* in India.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Debbora Prophetissa & Barac, aduersus Sisaram Principem militiæ Iabin regis Chanaan feliciter dimicant. Profugum Sisaram occidit Iahel, vxor Haber Cinæi.

Addideruntque filij Israël facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, 2. & tradidit illos Dominus in manu Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haseroth gentium. 3. Clamaueruntque filij Israël ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos. 4. Erat autem Debbora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. 5. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filij Israël in omne iudicium. 6. Quæ misit & vocauit Barac filium Abinoem de Cedus Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israël, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon: 7. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. 8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam. 9. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedus. 10. Qui, accitis Zabulon & Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo. 11. Haber autem Cinæus recesserat quondam à cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab, cognati Moyfi: & tetenderat tabernacula vsque ad vallem, quæ vocatur Sennin, & erat iuxta Cedus. 12. Nuntiatumque est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor: 13. Et congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haseroth gentium ad torrentem Cison. 14. Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. 15. Perterruitque Dominus Sisaram, & omnes currus eius, vniuersamque multitudinem, in ore gladij ad conspectum Barac: in tantum, vt Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, 16. & Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum, vsque ad Haseroth gentium, & omnis hostium multitudo vsque ad internecionem caderet. 17. Sisara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Iabin regem Azor, & domum Haber Cinæi. 18. Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: intra ad me, Domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio, 19. dixit ad eam: Da mihi obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit virem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. 20. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic est aliquis? Respondebis: Nullus est. 21. Tulit itaque Iahel vxor Haber, clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa absconditè, & cum silentio, posuit supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est. 22. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Iahel in occursum eius: dixit ei: Veni, & ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentem mortuum, & clauum infixum in tempore eius. 23. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filiis Israël: 24. Qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Addideruntque filij Israël facere malum in conspectu Domini post mortem Aod.
Sep. Adiecerunt, &c. & Aod mortuus est.
Pag. Et Aod mortuus erat.
Vulg. Et tradidit illos Dominus in manus Iabin, regis Chanaan, qui regnavit in Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sifaram, ipse autem habitabat in Hasoreth gentium.
Sep. Vendidit filios Israël Dominus, &c. & principes virtutis eius. Sifara habitabat in Asnoth.
Cald. Habitans in munitione arcium gentium.
Arab. Quapropter potestatem dedit in eos Dominus, &c. & nomen eius, qui portabat lanceam eius.

Vulg. Clamaueruntque filij Israël ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos.
Pag. Quia nongenti currus ferrei erant ei.
Arias. Oppressit eos in fortitudine.
Tigur. Afflixit fortiter.
Malu. Pressit in obtentione 20. annorum.
Sept. Rom. Vexavit imperiosè.
Cald. In duritie.
Syr. Quare vociferantur, &c. idemque cum violentia subegerat.
Arab. Exclamarunt supplices, &c. hic idem violentè usus est filiis Israël.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Post mortem Aod: Alij, Et Aod mortuus est. Et ideo aliqui volunt adhuc vivente Aod à vero Deo deflexisse Israëlitas: sed nostra versio sensum habet contrarium: & ideo cum *Sep.* reddunt, cum *Heb.* & *Aod mortuus*, illud & in *Heb.* æquivaleret enim, & apud *Sep.* quia, vel ablativo absoluto, & Aod mortuo, quod rectè animaduertit *Pag.* cum vertit, per plusquam perfectum. *Et mortuus erat. Tradidit illos Dominus. Sept. Vendidit.* Vide superius hunc modum loquendi expositum. *Qui habitabat in Hasoreth gentium, Alij, In sylva, in munitione arcium.* Tanquam proprium nomen accepit *Vulg.* Alij tanquam appellatiuum *חרור* *charozet* enim interpretatur sylva, nemus, saltus, *Vehementer oppresserat, Alij, Violentia subegerat, in duritie.* Sub iugum enim miserat, & dura tyrannide oppresserat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 1.** **A**ddideruntque. Hic exponitur tertia tribulatio per A ius loci explicationem.
 Iabin regem Chanaan, & primo describitur hic tribulatio, secundo diuina liberatio, ibi: *Erat autem Debora.* Tertio gratiarum actio. c. 5. Circa primum præmittitur filiorum Israël culpa, cum dicitur. *Addideruntque.* Quia plura mala fecerunt quam ante.
Post mortem. Non facit mentionem de tempore Samgar, quia fuit breue, & ideo computatur sub tempore Aod, secundo subditur debita pœna, cum dicitur.
MENOC. *Post mortem Aod.* Nulla fit Samgaris mentio, quia breui admodum tempore Israëlitis ducatum tenuit, adeo ut illius ratio non habeatur.
LYRAN. **Y. 2.** *Et tradidit.* Iosué II. dicitur, quod Iosué istam ciuitatem combussit. Ad quod dicendum, quod Chananæi præualescentes, postea reedificauerunt eam.
ESTIVS. *Ipsè autem habitabat in Hasoreth gentium.* Vide similem locum Iosué 12. de rege gentium Galgal, & inde pete hu-
Tradidit illos Dominus. Heb. Vendidit. Idem tamen **MENOC?** est, nam quæ venduntur, emptori traduntur.
Iabin regis Chanaan. Iabin hic erat ex posteris Iabin illius, cuius mentio est Iosué c. II. Num 1.
Asor. Vrbs hæc Iosué II. vastata, & flammis consumpta dicitur à Iosué, sed eam Chananæi reedificauerant.
Hasoreth gentium, dicta *gentium* ex concursu gentium, quæ vel à Iosué suis sedibus pulsæ, vel aliunde eò confluerant, aliis etiam ex causis, verbi gratia, mercaturæ, &c.
Ipsè autem habitabat, &c. Sic nominatur, quia homines de diuersis nationibus collecti erant, ibi. **LYRAN.** **Y. 3.**
Nongentos falcatos currus. Vide capite primo numero. **MENOC?** 10.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 7.

Vulg. Erat autem Debora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.
Malu. Et Debora vira prophetissa vira Lapidoth.
Vulg. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filij Israël in omne iudicium.
Caset. Habitans sub palma Debora.
Sep. Ascendebant ad iudicium.
Cald. Et fuit habitans in vrbe in Ghatarod, &c. in monte domus Ephraim.
Arab. Erat habitaculum Debora sub monte.
Vulg. Quæ misit & vocauit Barac filium Abinocem de Ceddes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israël, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.

Pag. Nonne præcepit Dominus Israël, vade, & trahe in montem.
Sep. Accipies tecum.
Cald. Vade, & extendere in monte.
Syr. Degeresque.
Vulg. Ego autem adducam ad te in locò terrentis Cifon, Sifaram principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.
Pagn. Traham te ad torrentem Chifon.
Sept. Et inducam ad te, &c. super Sifaram principem virtutis.
Cald. Excitabo super manum tuam ad fluuium Kifon.
Arab. Ut abirent tecum ad torrentem contra Sifaram sarisophorum Iabin.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quæ nomine illius vocabatur: Alij, Habitans sub palma Debora. Id est, quæ scilicet palma, dicta est palinā Debora, ab ipsa Debora, quæ sub illa habitabat, & est sensus nostri *Interp.* *Et duc exercitum, Alij, Trahes,* scilicet venientes, verbis suadebis illis, ut eant tecum in prælium, timore enim nimio concutiebantur ob exercitum Sifara.

LYRAN.
v. 4.

Erat autem, &c. Hic consequenter describitur liberatio populi à dicta tribulatione. Vbi primò ponitur diuina reuelatio: secundò populi congregatio, ibi: *Qui accersitis*, tertio hostium debellatio, ibi: *Dixitque Debora*. Circa primum dicitur: *Erat autem Debora prophetis*, id est, habens spiritum prophetiæ: quod exprimitur eò quod iudicabat populum, vt fragilitatem sexus releuaret prophetiæ spiritus.

Vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore: & sedebat sub palma, quæ nomine illius, &c. Dicunt expositores nostri communiter, quòd iste Lapidoth fuit idem, qui Barac, & allegant ad hoc dictum Hebræorum. Sed occurrit hîc dubium, quia postea subditur, quòd ipsa manebat in monte Ephraim: & quòd inde misit & vocauit Barac de Cedes, quæ erat in sorte Nephthali, & sic non videtur quòd fuerit vir eius, quia separatim habitabant & in diuersis tribubus. & ideo dicit Ra. Sa. quòd Lapidoth non est nomen proprium, sed commune: & significat lychnarium, quia faciebat lychna pro lucernis, quæ ardebant in tabernaculo domini & sic vbi habemus vxorem Lapidoth, dicunt mulierem lychnatricem. Si autem antiqui Iudæi dixerunt, prout dicunt expositores prædicti, nescio: sed moderni sequuntur dictum.

ESTIVS.

Erat autem Debora Prophetis, vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. Scilicet quia prophetissa, & mulier prudens erat, sponte populus ad eam controuersias suas deferebat; non quòd cum potestate præferit. Hinc capite sequenti in Cantico vocat se matrem in Israël, non principem aut dominam; ac præterea semel atque iterum nominat principes Israël; dicitque sponte illos obtulisse animas suas discrimini, nec eos omnes tamen, sed tantum ex Ephraim, Machir, Manasse, Benjamin, Zabulon, Issachar, & Nephtholim, cæteris tribubus à belli molestia quiescentibus. Quæ omnia argumento sunt, eam magis consilio, quam potestate rem populi gessisse.

MENOC.

Quæ iudicabat populum, sine principatu tamen; nam ante bellum id non tulissent Iabin, & Sifara; post bellum vero iudicis potestate præditus fuit Barac. Componebat tamen lites, & controuersias suorum, & tanquam ad sapientem fæminam, & prophetidem concurrebant Israëlita, ipsaque Barac excitauit, & postea consilio iuuuit, quare non immerito iudicasse dicitur à scriptura.

TIRINVS

Debora Prophetis iudicabat populum. An ergo etiam illa de numero Iudicum fuit? Affirmant SS. Hieronymus, Ambrosius, Caietanus, Genebrardus & quidam alij. Sed Respondeo, ius quidem populo dixisse, sed absque iurisdictione seu potestate iudiciaria. Non enim princeps erat aut domina populi, sed solum prophetissa: quo nomine plurimi responsa ab illa quærebant, & litium suarum compositionem: eoque magis, quòd reliquos Israël-

litarum iudices foliis suis deturbassent Iabin & Sifara tyranni, feminam verò eamque simplicem & laudatam facile tolerabant. Ita Rabbini, Abulensis, Arias, Munsterus quoque & Tremellius. Ita de Deioce scribit Herodotus, ex sola sapientiæ opinione iudicem apud Medos egisse prius quàm rex fieret.

Sedebat sub palma. vel *sedebat* significat, *habitabat*, vel etiam eam sedem suam, cum ius diceret, sub palma constituisse.

Hæc *sedebat*, pro tribunali, vel etiam habitabat *sub palma* aliqua famosa *inter Rama & Bethel.*] quæ ex eo tempore dicta fuit *palma Debbora*, vel *Debbora*. Porrò viduane fuerit Debbora quum ibi iudicaret, an adhuc coniugata, disputant S. Ambr. & S. Hier. illo urgente *vidnam* fuisse, hoc negante. Quid si dicamus, inquit Serarius, fuisse tum à viri thoro seuinctam? Sic quoad vinculum matrimonij verè fuisset vxor: quoad vsum verò, profus vidua. Ita sentiunt quidam citati ab Aria & Abulensi.

Qua misit & vocauit Barac filium Abinocem, &c. per reuelationem domini. ideo sequitur:

Præcepit tibi dominus, id est, non dico tibi autoritate mea, sed diuina.

In montem Thabor: in quo transfiguratus fuit Iesus Christus coram Petro, Iacobo, & Ioanne, de qua transfiguratione habetur Matth. 17.

Vocauit Barac. Fecit hoc Debbora; quia ei diuinitus per Angelum, de quo cap. 5. num. 23. vel per propheticum lumen, dux iste monstrabatur.

Quæ misit & vocauit Barac.] qui diuinitus illi per Angelum, cuius mentio capite sequenti vers. 23. vel per propheticum lumen, dux populi designatus fuerat. Sed quis iste Barac? *Maritus Debbora*, inquit ex Rabbinis Nangiagus, & compilerator historiæ Ecclesiasticæ. Genebrardus patrem; sanctus Ambrosius filium Debboræ facit. Sed facile hi omnes refelluntur, quòd Barac Nephthalita fuerit: Debbora verò Ephraimitis, vt hîc dicitur versu 5. & 6. Et cur rem tantam tacuisset Scriptura? Virum priuatum fuisse, nec magnæ potentiæ affirmat Abulensis: crediderim etiam pium fuisse. Sed an sat forti animo, ferè dubitem, maximè cum videam aduersus diuinum imperium per Debboram ipsi expositum, non nihil hæsitasse, & forsan ex nimia prudentia humana in obediendo cunctatum esse. Quare merito etiam à Debbora reprehenditur, & magna gloriæ suæ parte ad fæminam Iabelem, deuoluenda puniendus prædicitur. Sed hanc qualemcumque, certè leuem culpam facile mox aboleuit tot aliis insignibus obedientiæ fortitudinisque actibus, qui hoc & sequenti capite commemorantur.

Ego autem adducam ad te, &c. Sifaram. Immitendo ei voluntatem præliandi coram te.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad II.

Vulg. Dixitque ad eam Barac, si venis mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam.

Malu. Si ambulabis mecum ambulabo, & si non ambulabis mecum, non ambulabo.

Sept. Rom. Non ibo, quoniam nescio diem, in qua prospexerat Dominus angelum meum.

S. Ambr. Lib. de viduit. Non noui diem, in qua dirigit Dominus Angelum meum.

Vulg. Quæ dixit, ibo quidem tecum, sed in hac die victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sifara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cades.

Pag. Verum non erit gloria tua in via per quam ambulas.

Arias. Non erit decor tuus super via in qua ambulans.

Vatab. Hoc non erit tibi honori.

Tig. Hac profectioe, quâ iam proficisceris.

Malu. Ambulare ambulabo tecum defectus, quia non erit decus tuum super viam, quia in manu viræ veniet Sifera.

Sept. Rom. Pergens pergam tecum: verum cognosce, quia non erit primatus tuus super viam, &c. *Reg. vt vulg.*

Syr. Certissimè tecum proficiscar. Verum ô Barac, non assequeris gloriam ex itinere.

Arab. Verum ne te iactes Barac ex itinere ad quod perrexturus es.

Vulg. Qui accitis Zabulon & Nephthali ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo.

Caiet. Et congregauit Barac, &c. & ascendit pedibus suis. &c. ascenditque cum eo Debbora.

Tig. Vocauit Barac Zabulon.

Malu. Et conclamare fecit.

Sept. Et Barac conclamauit, &c. & ascenderunt iuxta pedes eius.

Reg. Nuntiauit Barac, & ascenderunt cum eo.

Vulg. Haber autem Cinæus, recesserat quondam à cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moyfi, & tenderat tabernacula vsque ad vallem, quæ vocatur Cenium, & erat iuxta sedes.

Pag. Separauit se à Cain de filiis Chobab, Socer Moyfi, & terendit tabernaculum vsque ad quercum in Senahauim.

Arias.

Arias. Tetendit aulam suam.
Tigur. Propter quercetum.
Malu. Extendit tentorium suum vsque in Elon.
Sept. Rom. Et Chabor Chinæus secesserat à Caina de filiis Iobab, affinis Moyfi fixerat, &c. vsque ad querculum

rapacium.
Cald. Prope planiciem lacuum.
Syr. Vsque ad terebintum, quæ est in Scium ad latus arboris terebinti.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

S Ed in hac vice, Alij, Verum, certissimè, *דבר כי* *chi ephex*, quod interpretatur verum in hoc, quod explicuit Interpretres hac vice. *Victoria non reputabitur*, Alij, *Non erit gloria, decor, honor, in via qua ambulans.* Sed omnium idem sensus, hac ratione, quam tu sequeris, partæ victoriæ laus non ad te, sed ad mulierem peruentura est, vel hoc non erit tibi honori in expeditione quam paras. *Si nolueris venire mecum, non pergam* Sep. Rom. addunt, *Quoniam nescio diem in qua prosperat Dominus Angelum meum.* Quod explicat D. August. Nescio an Dominus faciet mecum prospera per Angelum: Nescio an Deus Angelum meum die tali fortunet, seu an per eum mihi astiturus, cœptumque fortunaturus sit. *Ascendit cum decem millibus pugnatorum*, Alij, *Et ascendit pedibus. Ascenderunt iuxta pedes eius.* Illud pedibus suis, id est secum, & in suo comitatu. Qui autem habent, & ascenderunt pedibus suis, hunc sensum habere possunt, eius ductum, & vestigia secuti sunt, vel omnes pedites fuere: *Vsque ad vallem qua vocatur Sennim*, Alij, *Vsque ad quercum, quercetum, terebintum.* Heb. est *אלון* *Elon*, quercum, quercetum significans; Cum ergo Vulg. dixit vallem, Alij quercetum, non disconueniunt, nam volunt dicere locum respersum præcipuè quercubus, licet fortè etiam therebinthi, vel aliquis insignis therebinthus ibi esset. In *Sennim*, Sep. appellatiuè reddiderunt, sed diuersimodè, Codex Rom. *Vsque ad quercum rapacium*, Reg. *Vsque ad quercum quiescentium*: sed vnde id deducant, ignoro, sicut & id quod dicit *Cald.* propè planiciem lacuum. Scio Ariam Mont. dicere, esse ibi duas paludes notissimas, sed eas non nominat.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. 8.** **D**ixitque ad eum Barac, &c. Quasi diceret: Tu habes spiritum prophetiæ, non ego, & ideo poteris scire tempus, & horam bellandi.
- ESTIVS.** *Dixit ad eam Barac: Si venis mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam.* Hanc responsionem Barac ita quidam excusant, quasi diceret: Tu habes spiritum prophetiæ, non ego. Et proinde si mecum venias, indicare mihi poteris tempus, & horam committendi prælii; Sin minus, faciliè continget me intempestiuè procedere ad prælium. Sed reuera hæc expositio, eum à diffidentia auxilij diuini sibi certo promissi, non excusabat. Sciebat enim Debboram esse prophetissam, & ideo debebat verba eius suscipere sine vlla animi hæsitatione. Neque debebat dubitare, quin ille qui victoriam promiserat, etiam modum victoriæ, & opportunitatem opprimendi hostis subministraret. Vnde & diffidentia eius punita est per hoc quod ait Debbora. *Ibo quidem tecum, sed hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu fœmina tradetur Sisara.*
- MENOC.** *Si venis mecum, vadam; Si nolueris venire, non pergam.* Fuit hæc in Barac quædam in obediendo cunctatio, quemadmodum in Moyse Exodi 4. ex humana prudentia nimia, quam remouere debuisset, diuinitus monitus per prophetissam.
- LYRAN.** **Y. 9.** *In manu mulieris, &c.* Vt patet in sequentibus postea.
- A** *In manu mulieris tradetur Sisara.* Quia comitem ad bellum habere fœminam, neque absque hac, in iussam à Deo viam dare te vis, fœminam quoque laudis ac gloriæ, quæ vnum te manebat, sociam, & participem habebis. Porto mulierem, quam gloriæ participem habiturus erat Barac, alij Debboram esse volunt, alij Iahalem, quæ Sisaræ tempora clauo confixit. Vtraque sententia vera; nam vtraque gloriæ partem, quæ Baraco debebatur, sibi decerpfit.
- Qui accitis.* Hic ponitur congregatio populi ad bellandum, & primò ex parte Barac, cum dicitur. *Qui accitis.*
- Haber autem, &c.* Hoc ponitur hic, eo quod Iahel vxor Haber interfecit Sisaram. Ille autem Haber dicitur Cinæus, eò quod descendit de Iethro, qui vocatus fuit Cin, vel Cinæus & Hobab, sicut dictum fuit supra i. c. Num. 10. vnde quod subditur. *Cognati Moyfi.* In Heb. habetur, *foceri Moyfi.*
- Recesserat.* Qui habitabant in sorte Iudæ, vt dictum est i. cap. secundò describitur congregatio populi ad prælium ex parte Sisaræ, cum dicitur.
- Haber autem Cinæus, &c.* De hoc recessu Cinæorum diximus supra c. i. Num. 16.
- Vsque ad vallem, qua vocatur Sennim.* Hebræa vox & *vallem*, & *quercum* significat, itaque LXX. vertunt *vsque ad quercum.* Fortassis non malè iungi potest vtraque versio, si dicamus fuisse vallem, in qua esset quercetum.
- LYRAN.** **Y. 10.**
- LYRAN.** **Y. 11.**
- MENOC.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 12. ad 16.

Vulg. Nuntiatumque est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoëm in montem Thabor.

Vulg. Et congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison.

Pag. Omnem currum suum, nongentos currus ferreos, & omnem populum qui erat secum.

Caiet. De sylua gentium.

Malu. Conuocare fecit.

Cald. De fortitudine arcium gentium.

Syr. Collegit omnes quadrigas suas nongentâs, quadrigas ferreas.

Vulg. Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas; en ipse ductor tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo.

Pag. Nonne Dominus egressus est ante te?

Arias. Ante facies tuas.

Sep. Quoniam egredietur Dominus ante te.

Cald. Nonne Angelus Domini exiens ad prosperandum Tom. IV.

ante te?

Vulg. Perrerruitque Dominus Sisaram, & omnes currus eius, vniuersamque multitudinem, in ore gladij ad conspectum Barac: in tantum, vt Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret.

Arias. Contudit omnem castrametationem ad os gladij ante facies Barac.

Malu. Conturbauit omnem desidentiam ori gladij, descendit desuper vehiculum.

Cald. Et fregit ad verbum gladij ante Barac.

Syr. Confregit, contriuit. *Arab.* Profligauit.

Vulg. Et Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum, vsque ad Haroseth gentium, & omnis hostium multitudo vsque ad internecionem caderet.

Pag. Ceciderunt omnia castra Sisaræ acie gladij: non remansit vsque ad vnum.

Cald. Persecutus post exercitum vsque ad munitionem arcium gentium.

Arab. Prostratique sunt omnes qui erant in exercitu eius, nemine ex eis euadente captiuo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ipse est ductor tuus, Alij, Nonne Dominus procedit ante te? Interrogationes istæ Hebraicæ grauissimam continent affirmationem. *Perterruit*; Alij, *Conturbauit, contriuit*. Vox Heb. *בַּחַמָּה* non significat aliquem terrorem panicum, silenter, & sine strepitu animis illorum immisum, sed significat terrefacere magno cum strepitu, & fragore, quisquis tandem fuerit ille strepitu & fragor, & vnde cumque immisus. *Vsq̄ ad internecionem caderet*. In Heb. & Sept. significantius, *Ne vnus quidem remansit*. Et Arab. *Nemine ex eis euadente captiuo*.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **N** *Vntiatumque, &c.* Patet littera.

Ψ. 12. **I**n montem Thabor. Erat mons Thabor in tribu Zabulon, & ab eo distabat Nazareth Christi Domini patria, itinere circiter duarum horarum, versus Corum, hoc est, occidentem æstiuum. Ad hunc montem venire Barac, & in eo colligere copias voluit Dominus, quia non longè distabat ab Haroseth, vbi morabatur Sisara, vt hinc vicino excitatus, vel metu, vel periculo, statim accurreret, & prælio, ac victoriæ locus daretur.

MENOC. **A**d torrentem Cison. Nascitur torrens Cison ex montibus Thabor, Hermon, & Gelboë, in duasque partes labitur, quarum altera tendit ad occasum, & mari mediterraneo excipitur, altera verò ad ortum, & in lacum Genesareth influit.

LYRAN. **D**ixitque Debhora. Hinc consequenter describitur hostium debellatio, & 2. ducis interfectio, ibi: *Sisara autem*. Circa primum dicitur, *Dixitque, &c.* per reuelationem diuinam.

Surge. Ad pugnam.

A *Hac est enim*. Videtur quod contrarium dicatur suprâ: In manu mulieris tradetur Sisara. Dicendum quod vtrumque verum est, quia fuit traditus in manu Barac ad debellandum & fugandum, & in manu mulieris ad interficiendum.

Hac est enim dies. Magnum in bellis momentum affert temporis obseruatio: hæc autem est duplex, aut scilicet ab humana prudentia, aut à religiosa & sancta, cum scilicet à Deo, vt hinc accidit, bellandi opportunitas dicitur. **F**elix sanè prælium, cui ductor est Deus.

Perterruitque, &c. Quia fulgura & conuscationes & lapides grandinis immensæ magnitudinis ceciderunt super exercitum eius, ita quod non poterant sustinere, sed multi mortui sunt, & alij fugerunt, & in fugiendo occisi sunt. Ideo subditur.

Perterruit. Hebr. *contriuit*. Cald. *fregit*.

Et omnis, &c. Hinc consequenter describitur ducis interfectio quæ sequitur cum dicitur, *Sisara autem fugiens* &c. cuius causa subditur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 20.

Vulg. Sisara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber Cinai. Erat enim pax inter Iabin regem Azor, & domum Haber Cinai.

Caiet. Sisara autem fugit pedibus suis vsque ad tentorium, &c.

Sept. Iahel vxoris Chaber Sodali Ciuat.

Vulg. Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: intra ad me, Domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio.

Pag. Declina ad me, declina ad me, &c. & operuit eum tegumento.

Arius. Crasso.

Caiet. Operuit eum stragulo.

Tigur. Concede mi Domine, concede ad me.

Malu. Discede sustentator mi, discede ad me, non timebis, & cooperuit eum operimento amphitapo.

Sept. Rom. Circumuoluit eum indumento.

Cald. Occultauit eum in linteo.

Syr. Curtina tentorij.

Reg. Cooperuit eum in pallio suo.

Vulg. Dixit ad eam: Da mihi obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit virem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.

Pag. Da mihi paululum aquarum.

Malu. Potare fac me, quia sitiui.

Sept. Pota me pusilla aqua, quoniam sitiui.

Cald. Nam areo ad bibendum.

Arab. Quia vehementi siti laboro.

Vulg. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hinc est aliquis? Respondebis: Nullus est.

Malu. Asta ianux tentorij, & erit si vir veniet, & postulat an existens hinc viri.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vxoris Haber Cinai, Sept. Rom. *Vxoris Haber socij Cinai*: Sed alij codices Græci sodalem non habent. Vox equidem Haber Heb. socium significat, vel societatem: vnde factum vt à quopiam vna cum voce propria ipsius significatio textui inserta fuerit, quæ prius fortè margini adscripta erat. *Declina ad me*. Malu. *Sustentator mi*: Herus enim sustinet eum qui se dicit illius seruum. *Et opertus est ab ea pallio*; Alij, *Stragulo, tegumento crasso*. Hebr. est *שמִיכָה* *semicha*. Quam vocem ad varia deducunt, nempe ad velum, pannum grossum, stragulum villosum. Sept. varij sunt, nam Sixtin. Codex habet, *circumuoluit eum indumento*. Reg. *Cooperuit eum in pallio suo*: *סיפו* vestimentum è pilis densum est, licet Interpres Origenis pellem verterit: Nec id incommodè, si quidem Suidas vtramque significationem iungit. *Vestis autem amphitapa*, sic enim reddit Malu. est illa quæ vtrunque habet pilos. *Quia sitio valde*. Alij, ex Heb. *Quia sitiui*: illud valde emphrasim habet: indicat enim ingentem sitim: Vnde bene Arab. *Ingenti siti laboro*.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**rat enim pax. Et ideo illuc diuertit securius, & maxime quia Iahel inuitabat eum, dicens.

ESTIVS. **A**d tentorium Iahel vxoris Haber Cinai. Cinæorum pars in solitudine Arad secesserat, de quibus dictum est cap. 1. num. 16. Alij verò in tribum Zabulon secesserant, quorum præcipuus fuit Haber, lege versiculum 11. huius capituli.

MENOC. **A**d tentorium Iahelis. Dicitur tentorium Iahelis potius quam Haber, vel quia tunc Haber domi non erat, vel propter eximiam fœminæ huius virtutem, vel quia

C olim mos fuit, vt alia essent virorum, alia mulierum tabernacula, sicut etiam in amplis domibus gynæceum fit, in quo seorsim à viris mulieres habitant. Sic Iacobi, **L**iz, & Rachelis diuersa indicantur tentoria Genesis 31. num. 33. & 34.

Erat enim pax, &c. Hinc patet Haber Cinæum potentem fuisse.

Erat pax. Sed coacta metu potentissimi tyranni, inter **I**abin regem, & domum Haber Cinai. Quinam sint Cinæi vide suprâ cap. 1. & Num. 10.

Sed vnde familia huic religioſæ pacta cū barbaro, & im-
pio tyranno: Népe ſtupebat rex ad tantam illorum virtuté,
morum innocentiam, animi in aduerſis tranquillitatem. Et
vel ſic oftendere voluit Deus, vnde Iſraëlitis tot tantæque
aduerſitates & plagæ, cūm proximi tyranno Cinæi, quod
à cultu Dei non reſceſſerant, plena pace, magnoque regis
favore atque amicitia florerent: Iſraëlitæ verò, à tyranno
remotiores, quia tamen à diuinis legibus auulſi eſſent,
duriffimo tyranni iugo, & mille iniuriis opprimebantur.

Petes ſecundo. *Si pax erat inter regem & domum Haber,*
quo iure *Iahel* vxor *Haber*, occidit *Sifaram*? Sed iam dixi,
non niſi coactam fuiſſe pacem. Deinde arctior ſanctiorque
pax erat Cinæis cum Iſraëliticis à quibus tot beneficiis au-
cti fuerant. Denique ſat conſtabat Iaheli hanc eſſe Dei vo-
luntatem, tum ex arcano eiufdem inſtinctu, tum ex pro-
phetia *Debboræ*, v. 6. & ſequentibus: tum ex recenti &
prodigioſa victoria. Vnde tenebatur communem Reipu-
blicæ tuæ hoſtem quem ſinu fouebat, vel prodere, vel per-
dere. Ita *Abulentiſ*, *Arias*, imò & *Iofephus*.

Intra ad me, Domine mi. Iſte autem modus loquendi,
ſcilicet ingreſſus viri ad mulierem, frequenter accipitur
in ſcriptura pro concubitu carnali; non tamen ſemper:
ſed hic accipitur pro ſecuritate refugij.

Egreſſa igitur Iahel in occurſum Sifara. De hoc facto Iahel,
quæ promiſſa Sifara ſecuritate, eum occidit, merito
quæritur; Rectè ne fecerit an ſecus? Reſpondeo, in hoc
facto tria inueniuntur; quorum vnum laudandum, alte-
rum iuſta reprehentione non carens, tertium in ſe bonum;
ſed quod ex circumſtantia vitioſum, & illicitum efficitur.
Laudandus eſt enim in hoc facto bonus, & pius affectus
Iahelis, erga ſalutem populi Iſraëlitici, ſicut in obſetrici-
bus *Ægypti* affectus miſericordiæ erga infantes *Hebræo-
rum*. Quod autem mendaciter, & fallaciter promittit *Sifara*
ſecuritatem, dicens: *Intra ad me, ne timeas*, vitupe-

ratione non caret. Nam fallax promiſſio peccato carere
non poteſt, ſicut & mendacium obſetricum. Sed tertium
eſt interfectio *Sifara*; quæ ſi in ſe ſpectetur, quatenus eſt
interfectio hominis pernicioſi, & oppreſſoris populi Dei,
bona eſt, quatenus tamen eam præceſſit ſecuritatis pro-
miſſio, videtur non poſſe omnino à peccato excuſari. Vel
dicendum aliquo modo excuſari poſſe; nam promiſerat
contra bonum publicum; & ſic poterat promiſſum reſcin-
dere. Et quod obiiceretur; quod domus *Haber* Cinæi ma-
riti Iahel, haberet fœdus cum rege Iabin, cuius militiæ *Sifara*
præerat, reſpondetur à multis, tali fœdere mulieres
non comprehendi, eo quod non ſint aptæ ab bellum, &
munia publica. Et talem ſolutionem huius quaſtionis, vel
ſimilem omnino videntur requirere illa verba cantici *Deb-
boræ* cap. ſeq. *Benedicta inter mulieres Iahel, vxor Haber*
Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.

Opertus pallio. Culcitra aliqua, ſtragula, veſte. LXX. **MENOC.**
B vocant *ἑβέλας*, quæ vox ſignificat veſtes, quæ ſuper inij-
ciuntur, vt ſtragulum totale.

Que aperuit utrem lactis. Petenti aquam dedit lac ad bi- **LYRAN.**
bendum, quia potus lactis aggrauat corpus hominis, & **v. 19.**
inducit ſomnum. Cætera patent vſque ibi.

Sitio valde. Curu nimirum, pernici fuga, ſudore, ac **MENOC.**
metu exhaustus. Aquam vero, non vinum petit; quia in
huiuſmodi æſtu ac ſiti, ferè ſolet eſſe gratior aqua, quàm
vinum, & fortasſe ſciebat in Cinæorum tabernaculis vi-
num non eſſe, quam enim à vino abſtinentiam præcepit
poſtea *Ionadab* ex eadem Cinæorum ſtirpe, *Ierem.* 35. eam
ſibi ferè à principio Cinæorum præcipuos ſponte indixiſſe
verifiſimum eſt.

Aperuit utrem lactis. Aquam petenti lac tribuit Iahel,
vt oſtenderet erga hoſpitem maius benevolentia argu-
mentum, vtque facilius illum in ſoporem daret, & quod
iam machinabatur, perficeret.

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. 21. ad vltimum.

Vulg. Tulit itaque Iahel vxor Haber, clauum taber-
naculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa
abſconditè, cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capi-
tis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in ce-
rebrum vſque ad terram: qui ſoporem morti conſo-
cians defecit, & mortuus eſt.

Pag. Infixit clauum in tempus eius, & deſcendit in terram,
ipſe autem ſeparatus eſt, & laſſus eſt, & mortuus.

Arias. Et ſumpſit paxillum tentorij, & poſuit terebellum
in manu ſua, & ſic fixit in terra.

Tigur. Transfixit clauum per tempora eius.

Malu. Et ipſe profundo ſopore obrutus, & defatigatus
fuit.

Iſidor. Clar. Nam ſopore plenus erat.

Sep. Prolapſus eſt in terram, & ipſe ſoporatus obtenebra-
tus eſt, & periit.

Reg. Infixit palum in tempore eius, & impulit in terram,
& ipſe cecidit palpitans, inter pedes eius, & expirauit.

Arab. Accepit paxillo de paxillis tentorij, aggreſſa cum
illo dormiente, &c. ita vt penetraret, & vſque ad ter-
ram permearet, ſic agitans ſeſe, mortuus eſt.

Vulg. Et ecce *Barac* ſequens *Sifaram* veniebat: egreſſaque
Iahel in occurſum eius: dixit ei: Veni, & oſtendam ti-
bi virum quem quæris. Qui cum intraſſet ad eam, vidit
Sifaram iacentem mortuum, & clauum infixum in tem-

pore eius.

Arias. Et paxillus in tempore illius.

Malu. Videre te feci virum quem quæris.

Sep. Ecce *Sifara* proiectus mortuus.

Vulg. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin regem *Chanaan*
coram filiis Iſraël.

Tigur. Subegit.

Malu. A faciebus filiorum Iſraël.

Sept. Rom. Fugauit Deus.

Cald. Fregit.

Syr. Contregit.

Arab. Contriuit.

Vulg. Qui creſcebant quotidie, & forti manu opprime-
bant Iabin regem *Chanaan*, donec delerent eum.

Pag. Et ibat manus filiorum eundo, & dura erat contra
Iabin.

Arias. Donec excinderent.

Tigur. Promouit fortiter, & inualuit.

Malu. Ambulauit manus filiorum Iſraël ambulando, &
perplexi ſunt ſuper Iabin.

Sep. Et pergebat, &c. pergens, & indurata ſuper Iabin.

Reg. Et ibat manus, &c. vadens.

Cald. Roborans ſe.

Syr. Et manus, &c. profecit, & inualuit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Clauum tabernaculi, Alij, Paxillum tentorij. Licet aliqui velint eſſe palum acuminatum, quo in terra tento-
ria ſiguntur, tamen verius eſt eſſe clauum ferreum. *Aſſumens pariter & malleum*, Alij, *Terebellum*, ſed per
peram. Heb. quidem eſt *מַקְבֵּת* *makkēbeth*, quod excuatorium, perforatorium, perfoſſorium eſt. Et ita hunc
malleum intelligere debemus præacuta fuiſſe cuspide, quâ excuantur ligna, & lapides. *Percuſſumque malleo defixit vſ-
que ad terram*, Alij, *Prolapſus in terram, deſiuit, impulit in terram.* *Vulg.* ad clauum hæc verba refert, qui per ter-
ram adactus, ipſam terram attigit. Alij videntur referre ad ipſum *Sifaram*, ſed verius noſter *Interp.* hinc clarè *Arab.* *Ita
vt penetraret, & vſque ad terram permearet. Ipſe autem ſoporatus eſt, & laſſus eſt.* Codices *Græci* variè reddunt, ſed
cum eodem ſenſu. *Humiliauit*, Alij, *Subegit, contriuit.* De verbo *נָבַח* *canagh*, vide aliàs dicta. *Qui creſcebant quo-*

tidie, Alij, *Ibat manus filiorum Israël eundo.* Id est, ex eo tempore, adeo cœperunt auferre vires filiorum Israël, tamque fortes euasere, vt tandem ipsum regem Iabin interfecerint.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 21.

ET *ingressa absconditè.* Non à tabernaculo, sed ab ostio tabernaculi, vbi Sisara rogauerat eam stare: & silenter venit iuxta eum ad ipsum interficiendum. Ideò subditur.

Qui soporem morti socians. Quia inter soporem, & mortem non fuit interuallum temporis. Cætera patent in littera. Circa hoc quæritur vtrum Iahel malefecerit interficiendo Sisaram. Et videtur quòd sic: quia in textu dicitur: quod pax erat tunc temporis inter Iabin regem, & domum Haber Cinæi. Ex quo videtur quòd fœdus erat inter eos: propter quod Sisara securius intrauit tabernaculum Iahel: & ideò Iahel contra fœdus inicum videtur fecisse; & per consequens contra dictamen iuris naturalis: quod semper & apud omnes est illicitum. Item promiserat ei securitatem vt patet in textu: & postea latenter interfecit eum: & sic proditoriè videtur egisse. Contra: quia in cantico Deboræ quæ habuit spiritum Domini, vt patet ex prædictis, commendatur Iahel de facto isto, vbi dicitur: *Benedicta inter mulieres Iahel.* Et sequitur: *Percussit Sisaram quærens, &c.* Ad hoc dicendum quod in facto huius mulieris aliqua fuerunt vituperabilia & mala: videlicet falsitas in verbis, & signis quibus ostendebat se velle eum protegere, dicens: *Intra ad me, Domine mi: &c.* cum tamen intenderet eum occidere, & de hoc non commendatur in sacra Scriptura: quia talia non possunt bene fieri secundum Philosophos, nec secundum Doctores sanctos de hac materia loquentes: & de hoc non commendatur in scriptura; sed de bono affectu quem habuit ad liberandum populum de manu tyranni, quod fuit laudabile. Sicut & Iudith commendatur de magno affectu, quem habuit ad liberationem populi Israël de manu Holofernis, non autem de mendaciis, quæ dixit in conspectu eius. Et obstetrices de pietate qua saluauerunt filios Hebræorum: nō autem de mendacio per quod excusauerunt se Pharaoni: vt habetur Exod. 1. Sed quia quæstio est de interfectione Sisaræ, dicendum quod Iahel in hoc fecit rem licitam & meritoriam: licet immiscuerit aliqua illicita; vt dictum est. Sciebat enim quod iste Sisara erat maximus oppressor fidelis populi cuius fidei ipsa erat: quia Iethro qui dictus est Cinæus, & alij descendentes ab eo, conuersi fuerunt ad Iudaismum recipientes legem Dei, vt dictum fuit Exod. 18. n. 10. & ideò sicut membrum illius communitatis habuit titulum iustum interficiendi

eum. Item, per signa manifesta videbat ipsum debere mori ex iustitia diuina: tum quia vidit exercitum eius magnum & fortem, debellatum à paucis respectiue & inermibus, vnde dicitur inf. 5. c. *Clypeus, &c.* Id est, non apparuerunt: tū quia exercitus eius fuit magis prostratus ictibus fulguris & lapidibus grandinis, Deo pro filiis Israël dimicante: quam bellatorum gladiis: & ideò ipsum interficiendo, conformiter egit voluntati diuinæ, & forsitan instinctu speciali diuino, sicut & Deboræ hoc prædixerat spiritu prophetiæ. Ad primum in contrarium posset dici: quod forsitan pax illa erat ex hoc, quod Haber soluebat Iabin tributum excessiuum, vt sic non perderet totum quod habebat: & sic à tali iniusta exactione, licitè poterat se per se, & suos liberare occurrente facultate. Nec etiam in littera habetur quòd fuerit ibi fœdus amicitie inter eos contractum, vel pactum aliquod aliquo iuramento firmatum; sed tantum quod erat pax inter Iabin, & domum Haber: quod potuit fieri modo iniusto prædicto. Item dato quod fuisset ibi fœdus, vel pactum sub iuramento; tamen non tenebatur obseruare, vt videtur: quia in talibus fœderibus & pactis, mulieres non vocantur, sed tantum viri: vxor autem non semper tenetur seruare pacta, & iuramenta viri sui. Ad secundum patet responsio ex prædictis in quæstione.

Clauum tabernaculi. Erat iste clauus ex eorum genere, Μηνος, qui ad tentorij vela, & cilicia erigenda, valideque aduersus ventorum vim retinenda in terram defigi solent altius, ideoque teretes sunt, magni, & crassi. LXX. verterunt *πύλον*, quæ vox palum significat, non satis constat, fuerit ne ferreus hic clauus, an ligneus. Iosephus tamen *clauum ferreum* dixit.

Absconditè, & cum silentio. Heb. vox significat suspenso pede, & sine strepitu.


Supra tempus capitis. Quæ pars capitis mollior, & ad recipiendum clauum opportunior.

Et mortuus est. Potuit Iahel citra peccatum Sisaram interficere, quia iustum erat bellum contra Iabin, & Iahel eiusdem cum Israëlitis religionis, & fortasse etiam gentis. Porrò insidiæ in bello iusto non damnantur, etsi quod dixit mendacium, officiosum censendum est, ad salutem nimium gentis suæ ordinatum; ac proinde leue peccatum. Accessit diuina inspiratio, quo ad facinus mota est, itaque eius factum laudat scriptura.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS.

Canticum triumphale, & gratiarum actionis Deboræ, & Barac, post victoriam.

1.  Ecineruntque Deboræ, & Barac filius Abinoëm in illo die, dicentes: 2. Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino. 3. Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël. 4. Domine, cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, calique ac nubes distillauerunt aquis. 5. Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israël. 6. In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel, quieuerunt semitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios. 7. Cessauerunt fortes in Israël, & quieuerunt: donec surgeret Deboræ, surgeret mater in Israel. 8. Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit: clypeus & hasta si apparuerit in quadraginta millibus Israel. 9. Cor meum diligit principes Israël: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. 10. Qui ascendistis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini. 11. Vbi collisi sunt currus, & hostiū suffocatus est exercitus, ibi arrentur iustitiæ Domini, & clementia in fortes Israël: tūc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatū. 12. Surge, surge Deboræ, surge, surge, & loquere canticum: surge Barac, & apprehende captiuos tuos fili A-

13. Saluatæ sūt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit. 14. Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & post eum ex Benjamin in populos tuos ô Amalec: de Machir principes descenderūt, & de Zabulô qui exercitū ducerēt ad bellandū. 15. Duces Issachar fuere cū Debbora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceptis ac barathrum se discrimini dedit: diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 16. Quare habitas inter duos terminos. vt audias sibilos gregum: diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 17. Galaad trans Iordanem quiescebat, & Dan vacabat nauibus: Aser habitabat in littore maris, & in portibus morabatur. 18. Zabulon verò, & Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome. 19. Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes. 20. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnaverunt. 21. Torrens Cison traxit cadauera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca anima mea robustos. 22. Vngulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceptis ruentibus fortissimis hostium. 23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius. 24. Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinzi, & benedicatur in tabernaculo suo. 25. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. 26. Sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. 27. Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus est: voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis & miserabilis. 28. Per fenestram respiciens, vlulabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur, Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? 29. Vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc socru verba respondit. 30. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: vestes diuersorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, & suppellex varia ad ordinanda colla congeritur. 31. Sic percant omnes inimici tui Domine; qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. 32. Quieuitque terra per quadraginta annos.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Cecineruntque Debbora, & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes.

Cald. Et laudauit Debbora.

Vulg. Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

Pag. Dum vliscitur vltiones in Israël, dum sponte se offert populus.

Cæter. In soluendo solutionem in Israël, in esse spontaneum populum.

Tigur. Quandoquidem persecutus est iniurias Israël illas, conuenit, vt vos qui voluntarij estis in populo, gratias agatis Domino.

Isidor. Clar. Propter vltiones factas in Israël, & propter populum voluntarium redditum.

Malu. In feriare feriationem in populo, in spontaneare se populus.

Sep. Rom. Reuelata est reuelatio in Israël.

Reg. Cum incepistis duces in Israël, in electione populi.

Orig. In incipiendo principes in voluntatibus populi.

Alij Græc. In imperando principes.

Cald. Quando rebellauerunt domus Israël, venerunt super eos gentes, & expulerunt eos ex urbibus suis, & quando redierunt ad faciendam legem, fortificati sunt illi super authores inimicitiarum eorum, qui expulerant eos de super termino terræ Israël, ita super vltione fractus Zizarra, & exercitus eius, & super signum, & liberationem, quæ facta est Israël, ita redierunt sapientes ad sedendum in domibus Synagogæ, & in capite detecto ad docendum populum verba legis, ita benedicite, & confitemini ante Dominum.

Syr. Pro vindicta, qua vindicatus est Israël canticum populare canite Domino.

Arab. Propter vindictam, quam sumpserunt filij Israël, laudent Dominum populi.

Alij. In manifestando manifestationes, siue in denudando denudationes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cecineruntque. *Cald.* Laudauit. Quia præcipua huius cantici materia est Dei laudatio. *Qui sponte obtulistis Deo Israël, animas vestras ad periculum,* Alij, *Dum vliscitur vltiones in Israël, dum sponte se offert populus,* &c. Verum quidem est nostram versionem priora duo verba quæ referuntur ex Heb. non habere, tamen implicite continere hoc sensu. Qui vt vltionem sumeretis de inimicis vestris, periculo animas vestras obiecistis, benedicite Domino: Tamen Pag. ad Deum hanc vltionem retulit, Alij, *In liberando libertatos in Israël.* scilicet à tyranno Sisarra. *In manifestando manifestationes, in denudando denudationes.* Id est, quam primum præclara sua opera manifestauit, denudauit, Dominus in Israël, siue in gratiam Israël. Heb. autem est פָּרַע בְּרַעֲוֹתָאֵי בִּפְרָאוֹחַ parah, licet velint significare vlisci, vindicare, certum est idem sonare, quam quod Latine dicimus, liberare, in libertatem asferere, libertate donare. Quoad Sep. Reg. dicendum sensum obscurissimum habere: quidnam enim est illud quod incepunt illi duces? Rom. autem hunc sensum possunt habere: Deus quæ obscura erant in Israël, reuelauit, cum parua manu sese ad bellum offerentium, deleuit hostium tam ingentem exercitum. Qui habent, in imperando principes, non alieni sunt à vero sensu, nam licet vox Heb. פָּרַע parah, propriè non significet dominari, imperare, significat tamen quamlibet nudationem, spoliationem, qualis est ea quæ quis alterum imperio exuit, quoad Cald. dicendum, paraphrasticè more suo loqui.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** **C**ecineruntque. Postquam descripta est hostium debellatio, hic consequenter describitur gratiarum actio: sicut rationabiliter, & iuste consuetum est fieri: in qua quidem gratiarum actione, quæ vocatur canticum Tom. IV.

A Debboræ, Debbora primò se, & alios ad diuinas laudes incitat: secundò audaciam filiorum Israël, & ignauiam recitat, ibi: *De Machir.* Tertio cui attribuenda sit victoria explicat, ibi: *De calo,* &c. Quarto

ipsam Iahel commendat, ibi: *Benedicta inter mulieres Iahel*. Prima in duas: quia primo excitat se, & alios ad diuinam laudem: secundo ad hoc inducit triplicem rationem, ibi: *Domine cum exires*. Primo igitur incitat alios dicens.

ESTIVS. *Cecineruntque Debhora & Barac, &c.* Omnino hoc Canticum, vt à Deo specialiter inspiratum, & proinde, vt cetera Scripturæ sacræ partes, recipiendum est. Nam constat Debhoram prophetissam fuisse; prophetauit enim Barac fore victorem, & Sisaram per manum fœminæ periturum. Quare sicut aliorum Prophetarum cantica merito recipiuntur, vt sint eiusdem cum reliqua scriptura auctoritatis, sic & istud recipiendum.

MENOC. *Cecineruntque Debhora, & Barac, &c.* Carminis huius epinicij effectrix, & carminum fuisse videtur Poëtis

A Debhora, eiusdem vero iam confecti cantatrix eadem, sed vna cum Barac, quod ex eo probabiliter colligitur, quia Debhora Barac præponitur, cum dicitur. *Cecinerunt Debhora, & Barac*. Et quia pene ab omnibus canticum Debhoræ dicitur.

Qui sponte obtulistis. Id est, vitas vestras: vt sic liceat loqui. **LYRAN.**

Ad periculum. Secundum humanum iudicium: quia pauci & inermes, vt postea videbitur voluntariè, & promptè iuerunt ad pugnandum contra multos, & benè armatos: & tamen secundum veritatem, ibi non erat periculum: quia adfistebat eis diuinum præsidium, vt patet ex prædictis c. 4.

Benedicite Domino. De tanto eius beneficio: & alloquitur Debhora illos qui fuerant in prælio.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 3. ad 5.

Vulg. Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël.

Pag. Ego Domino: ego canam, auriculate secretarij, &c. **Malu.** Modulabor Iuh Elohim.

Sep. Auribus percipite Satrapæ, canam equidem Domino.

Cald. Attendite dominatores, dixit Debhora in prophetia Domini: Ego laudans, & confitens, & benedicens ante Dominum Deum Israël.

Syr. Attendite præfecti.

Arab. Audite populi, & auscultate ô reges, ô principes.

Vulg. Domine, cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillauerunt aquas.

Pag. Cum incederes ex agro Edom, terra concussa est.

Arias. Commota est, stillauerunt cæli, etiam nubes stillauerunt aquas.

Caier. Dum ambulares per regiones Edom, terra quieuit.

Guar. Terra concussa est.

Malu. In exire te de Seir, in incedere te, &c. terra impe-

tu concussa fuit, etiam cæli guttauerunt, etiam densæ nubes guttauerunt aquas.

Sep. Rom. Domine in exitu tuo in Seir, cum promoueres, &c. cælum stillauit rorem.

Reg. Cælum turbatum est.

Cald. Domine in die reuelari te illis de Seghir, & in ostensione gloriæ tuæ super terminos terræ Edom, cæli stillauerunt pluuiam.

Syr. Sparserunt aquas.

Arab. Robur tuum, & gloria tua de Seir, cum ingrederis inter oppida Adum.

Vulg. Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israël.

Pag. Iste Sinai tremuit.

Caier. Iste Sinai à facie Iehoua Elohe.

Sep. Montes commoti sunt à facie Domini Heloi.

Cald. Hic Sinai motus, & tremefactus est, & ascendit fumus eius, vt fumus fornacis à facie, quod reuelata est super eum gloria Domini Dei Israël.

Syr. Montes defuerunt coram Domino.

Arab. Trepidauerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Auribus percipite principes, Alij, Secretarij, Satrapa, præfecti Heb. ראזנין *razenim*, quam vocem reddit noster Interp. Prou. 8. v. 15. legum conditores. Isai. 40. v. 23. secretorum scrutatores, Habac. 2. v. 10. Tyrannos: *Ra-zenim* sunt illi, qui post regem proximum gradum obtinent, vel qui adhibentur grauioribus consultationibus, & qui condunt etiam iura & leges. *Cum transires per regiones Edom, Alij, Cum incederes*. Verbum טפח *tsaphad* dicit incedere, non quomocumque, sed cum pompa, & maiestate, quod huic loco conuenit. *Terra mota, Alij, Commota, concussa, &c.* Verbum רעש *raghasch*, non simpliciter dicit moueri, sed cum terrore, impetu, concuti vehementiori motu. *Cælique ac nubes distillauerunt aquas*. Heb. *Etiam cæli*. Quod magis emphaticè dictum est. q. d. cæli ipsi, cæli egregiè solidi, & compacti, in aquas soluti, & liquefacti sunt. *Montes fluxerunt, Alij, Commoti sunt*. Addiderunt Sep. Rom. Eloi, sed à Compl. & ab alijs abest.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V. 3.** **A**udite reges. Id est, intelligite diuina beneficia super illos qui confidunt in eo. Consequenter excitat ipsam, dicens.

Ego sum. Et fit duplicatio ad denotandum duplicem laudem, scilicet oris quæ notatur ibi.

Quæ Domino canam. Et cordis ibi, *Psallam Domino Deo Israël*.

LYRAN. **V. 4.** *Domine cum exires*. Hic ad propositum inducit Debhora triplicem rationem: secunda, ibi. *In diebus Sagar*: tertia, ibi: *Nonabella*. Prima ratio inducens ad diuinam laudem, accipitur ex beneficio legis datæ à Deo, quæ notatur, cum dicitur. *Domine cum exires de Seir*. Dicunt Hebræi quod Dominus primò obtulit legem filiis Esau habitantibus in monte Seir: sed ipsi noluerunt eam recipere, tunc dedit eam filiis Israël in monte Sinai, & sic exponunt literam istam. *Cum exires ex Seir, &c.* Eò quòd recusassent legem sibi oblatam. Sed hoc dictum videtur fictitium, prout declaratum fuit plenius Deut. 33. Idè expositores nostri sic exponunt commuiter. *Domine cum exires de Seir, &c.* Populum illum

B relinquendo in erroribus suis, iudicio tuo iusto, licet nobis occulto; & applicares tibi populum Israël, legem dando, secundum illud Malach. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Quod dicitur non tantum de personis Iacob & Esau: sed etiam de successoribus eorum: scilicet Iudæis & Idumæis.

Terra mota est, &c. In Hebræo non habetur, &c. Ex quo patet quod *ly, &c.* ponitur hic pro, id est: ita quod tota ista litera: *Terra mota est, &c.* refertur de Sinai, quia cum lex daretur super montem, Sinai à Domino, cæperunt audiri tonitrua, & micare fulgura: & nubes densissima operuit montem vt habetur Exod. 19. & de istis mons videbatur tremere, & forsitan realiter tremuit, vt dicitur hic: *Et ex nube densa fluxerunt aqua*. Quorum causa subditur, cum dicitur.

Cum exires de Seir, &c. Quomodo hæc intelligenda sint, vide Deut. 33. 2. vel etiam sensus est, Dominum deducendo populum suum per Idumæorum, aliarumque gentium vel terram, vel viciniam, magnum illis iniectisse metum ac tremorem. **MENOC.**

Celique ac nubes distillauerunt aquis, scilicet præ timore sudantes; quasi dicat, Totus orbis tremebat. Vide dicta ad c. 19. Exodi num. 18.

LYRAN. *A facie Domini Dei*. Quia Dominus descendit super montem illum, vt dicitur ibidem, & ista fiebant in creaturis irrationalibus, vt per hoc ostenderetur, quod crea-

tura rationalis debet Deum timere, & reuereri, & coram eo tremere timore filiali.

Montes fluxerunt, &c. quasi diceret: Montes commoti sunt, & præ horrore velut liquefacti, sicut olim tremefactus est mons Sinai, Exodi 19. 18. MENOCC.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 6. & 7.

Vulg. In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel, quieuerunt semitæ, & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuos.

Pag. Ambulauerunt per semitas tortuosas.

Tig. Declinabant per semitas obliquas.

Malu. Cessauerunt semitæ & ambulantes semitarum ambulabant tortuositates.

Sepr. Ambulauerunt diuerticula, ambulauerunt vias distortas.

Reg. Itinera peruersa.

Cald. Quando peccauerunt in diebus, in diebus Sanghar, &c. defecerunt transeuntes viam qui fuerunt ambulantes in viis præparatis, redierunt ad esse ambulantes in viis furtiuus.

Syr. Intercluserant vias, & qui gradiebantur per semitas rectas, ambulabant per vias obliquas.

Arab. Occlusæ fuerunt viæ.

Vulg. Cessauerunt fortes in Israël & quieuerunt, donec

surgeret Debbora, surgeret mater in Israël.

Pag. Cessauerunt villæ absque muro & munitione. In Israël cessauerunt.

Arias. Cessauerunt pagi, donec surrexit.

Isb. Clar. Quiuerunt donec surgerem ego Debbora.

Malu. Vsq̄ ad surrexit Debborah, surrexit mater, &c.

Tig. Cessauerunt pagani.

Sepr. Defecerunt potentes.

Reg. Habitantes.

Cald. Desolatae sunt vrbes oppidorum quæ fuerunt sedentes in Israël, expugnati sunt, & dispersi sunt habitatores earum, quoad missa sum ego Deborah, missa sum ad prophetandum in medio domus Israël.

Syr. Intercluserant donec, &c.

Arab. Quoniam viæ solitudinum filiorum Israël occlusæ fuerant, euaserant imperiæ, & denegabatur armentis eorum ingrediendi, & egrediendi facultas, donec facta sum mater.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ambulauerunt per calles deuos. Alij, vias distortas. Vox Hebr. גְּחֻלְקֵי ghak alk alloth significat obliquas, distortas, inuias. Alij, substantiuè, tortuositates, obliquitates. *Cessauerunt fortes in Israel, & quieuerunt.* Alij, *Cessauerunt villa absque muro, pagi, pagani.* Hebr. פְּרוּז perazon singulare, pagus, villa, quæ non est muro munita, patens irruptioni. Alij volunt poni collectiuè pro diuersitate pagorum, seu villarum. Alij Metonymicè, viri pagorum, pagani, q. d. pagi & villæ desertæ absque habitatore, quæ significatio commodum habet sensum, nempe, quod quemadmodum dictæ sunt quieuisse semitæ, quia in itineribus nullus erat tutus, ita nunc dicuntur quieuisse oppida non murata, quia nullus in eis securus degere poterat propter grassatores. Hunc sensum sequuntur Reg. Cod. qui habent גְּחֻלְקֵי, habitantes. Cald. Syr. & Arab. sed quid dicemus de versione nostri interpretis legentis fortes? Sanè conuenit cum Sepr. Rom. Hi enim legunt פְּרוּז, potentes. Ita etiam Theod. Hæc autem significatio potest ex superiore esse nata: si enim פְּרוּז perazon est paganus, sine incola pagi non murati, potest eodem nomine fortis & intrepidus appellari, vt pote qui in istiusmodi oppido habitando satis declarat se nihil timere. *Surrexit Debbora*, Hebr. in prima שְׂחַקְקָאֵנְתִי, surrexi.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *In diebus Samgar.* Hic ponitur secunda ratio ex populi defensione quia in diebus Samgar quamuis non legatur magnus exercitus venisse contra filios Israël, tamen terram eorum subintrabant aliqui latrunculi, maxime de Philistæis, à quibus defendit eos Samgar: non tamen præbuit populo plenam securitatem propter latrunculos subintrantes, & hoc est quod subditur, *quieuerunt semitæ*, quia non audebant Hebræi ire per vias Philistæis propinquas, nisi in sufficienti societate ad se defendendum, quod non fit de facili, & frequenter.

Et qui ingrediebantur, in parua comitiua, vel solitarij. *Ambulauerunt, &c.* diuertendo à recta via, ne inciderent in prædictos latrunculos. Quod autem hic fit mentio de diebus Iahel, non est referendum ad tempus postquam percusserat Sisaram, sed ad tempus præcedens.

MENOCC. *In diebus Samgar, in diebus Iahel.* Propositum erat Debboræ totum illud tempus indicare, quod sub Aod, vel post illum fuerat, vsque ad victoriam hanc. Id ergo de-

scribit à duorum, qui in vtroque tum sexu fuerunt præstantissimi, diebus, Samgar, scilicet, & Iahel.

Quiuerunt semitæ, &c. Discessum est à lege diuina, cuiusque viæ intermissæ: ideo ea statim secuta est pœna, vt itinera omnia essent latronibus obsita, & qui planis antea, tutisque semitis incedebant sine metu, iam occultos, ac deuos tramites quærere sint coacti.

In diebus Samgar. Seu ex eo tempore, quo mortuo Aod, TIRINVS. iudex fuit Samgar, vsque ad dies Iahel, hoc est, vsque ad præsens tempus, quo Sisara occisus est manu Iahel, *quieuerunt semitæ.*] publicæ, id est, viæ rectæ & regiæ terri non potuerunt, propter cædes & latrocinia quibus infestabantur.

Cessauerunt fortes in Israël, & quieuerunt. Tanta erat fortium penuria, vt impunè qualibet vagarentur latrones iisque obsisteret nemo.

Mater in Israel, Mater dicitur Debbora, quod salutem populo Israël pepererit.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 8.

Vulg. Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit, clypeus & hastæ si apparuerint in quadraginta millibus Israël.

Pag. Cum elegit Deos nouos, tunc fuit bellum in portis, clypeus, si conspectus est, & lancea.

Caiet. Elegit elohim nouos, tunc oppugnauit oppida.

Tigur. Nec tamen clypeus, nec hasta visa sunt.

Arias. Tunc bellum portis, clypeus, si conspicietur & Tom. IV.

lancea.

Vatab. Cum eligebat.

Arias item in Comm. Elegit Deus: nouæ tunc ipsi portæ.

Malu. Tunc cæso portis, circummunitionem si videbitur, & romphæa in quadraginta mille.

Sepr. Elegerunt Deos nouos, tunc expugnauerunt ciuitates principum.

Cald. Quando voluerunt domum Israël ad seruiendum

erroribus nouis qui de proximo facti sunt, quibus non studuerunt patres eorum, venerunt gentes super eos, & expulerunt eos ex urbibus eorum, & cum redierunt ad legem, facta sunt illis signa, & fortitudines, & non præualuerunt eis, & quando venit super eos ofor, & tribulator in septuaginta millibus tenentium gladios, & in sexaginta millibus tenentium hastas, & in septuaginta millibus tenentium clypeos, & in octoginta millibus sagittatorum iaculorum præter

nongentos currus ferri, quæ fuerunt cum eo omnia hæc millia, & omnes hæc turmae, non potuerunt ad ineundum prælium cum Israël.

Syr. Eliget Deus rem nouam, ac tunc panem hordeaceum: & gladius aut hasta non videbitur.

Arab. Tum exurget panis hordeaceus, nullusque cadet gladius aut spiculum inter 40. millia, &c.

Procop. Elegerunt Deos inanes.

Theod. Si videro hastatorum quadraginta millia.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Noua bella elegit Dominus: Alij, Cum elegit Deos nouos. Sept. elegerunt. Hebraicè יבחר אלהים חדשים iibehar elohim chadashim, quæ sententia variè effertur, si puncta disjungantur, nam circa primam vocem iibehar, hoc est eligeret, vel eligit, vult noster interpres suppositum illius esse, Dominus; Alij, autem, præter Syr. & Arab. populus: circa secundam, quæ est Elohim an sit nominat. vel accusat. casus. vulg. in nominatiuo accipit: alij, In accusatiuo: elegit vel elegerunt Deos. Tertia vox quæ est Chadashim, sumitur substantiue, & in neutro tum à nostro interp. tum à Syr. & Arab. scilicet, elegit Dominus noua, vel nouas res. Adiecit autem interp. bella. Alij autem tanquam adiectiuum nominis, Deos accipiunt, scilicet, Deos nouos: Vnde ex hac ambiguitate, natæ sunt variæ lectiones, & sensus diuersus. Nam interpretis est: quum primum Deus elegit iudices Debboram, & Barakum, atque huic bello duces præfecit, tunc oppugnauit ipse vrbes horum, cum tamen Israëlita profus inermes essent, vt non eorum viribus, sed diuinæ virtuti tanta victoria adscriberetur. Aliorum autem, Israël sibi elegit Deos nouos, noua colens Idola, vnde illata per tyrannum eis calamitas, tunc bellum in portis eius, portas hostium ipse vertit. Alij, Tunc bellum fuit in portis: Et licet in his quoad voces sit exigua diuersitas, tamen in sensu maxima. Nam vulg. vult dicere, cum noua consilia instituit Deus, bellum hostibus Israëlitarum inferens, portas urbium aduersariorum suorum eis dedit. Aliorum autem sensus est. Cum Israëlita de nouo coluerunt Deos, tunc ab aduersariis illatum est eis bellum, tunc cæperunt eorum vrbes expugnare. Quoad Codices Græcos, licet conueniant in sensu cum Hebraisantibus, tamen inter se differunt quoad aliqua. Nam Basil. habet: Elegerunt vt panem hordeaceum Deos vanos: tunc pugnaverunt ciuitates principum. Alij autem nec vanos habent, sed nouos, sed nec panem hordeaceum. Clypeus & hasta si apparuerint in 40. millibus Israel. Alij, Si conspectus est clypeus, & lancea, tamen Deus eos victores reddidit. Aliorum autem. Cum Idola coluerunt tyranni & eorum aduersarij eos armis spoliauerunt: Quoad Codices Græcos, varij sunt, Codex Rom. eundem præ se fert, ac Hebraisantes. Reg. est mendosus, quoad hæc puellarum, de tota autem sententia, & sensu vario, dicendum est, eundem textum plures sensus habere posse.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 8.

Noua bella. Hic ponitur tertia ratio quæ accipitur ex hostium mirabili debellatione: vbi decimo describitur debellatio hostium præsens, secundo præterita & futura, ibi: Dominus in fort. Circa primum dicitur, noua: id est, nouum modum debellandi hostes, & hoc eorum ciuitates, quæ nouitas exponitur cum dicitur.

Clypeus, &c. In Hebr. habetur, in Israel, ita quod quadraginta millibus non iungitur cum Israël, & hoc videtur ex eo quod dictum est cap. præced. quod Barac iuit ad pugnam cum decem millibus, tantum; propter quod Hebr. exponunt sic litteram istorum: Clypeus & hasta si app. id est, non apparuerunt: & accipitur hic si pro non. In Israel, id est, in decem millibus pugnantibus de Israël, qui inermes iuerunt ad prælium, & supplendum est: Cum tamen exercitus aduersariorum esset ex quadraginta millibus, id est, in numero 40. millium armatorum. Et ibi modus loquendi vbi oportet aliqua supplere, qui apud Hebr. vocatur decurtatus, frequenter inuenitur in sacra script. maximè metrica, cuiusmodi est istud canticum Debbora in Heb. Posset autem dici secundum translationem nostram iungendo ly 40000. cum ly Israël,

A quod licet à principio belli fuerunt tantum 10000. cum Barac, tamen quando incepit superare aduersarios, multi de Israel, prius timore impediti venerunt ad prælium, iungendo se exercitui Barac ita quod ascendit ad 40000.

Noua bella elegit Dominus, qui nouum Israëlitarum hostibus pugnandi, eosque vincendi modum eligere, & adhibere dignatus est. MENOC.

Clypeus, & hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel, quasi dicat, in toto exercitu Israël nec hasta erat, nec clypeus. Particula enim si accipitur pro non. Pauci admodum, aut ferè nulli arma habebant ex Israelitis, fortasse enim Iabin ea abstulerat, ne nouas res molirentur.

Si apparuerint. Hebraismus, pro, non apparuerunt quasi dicat. Vtique eo nos oppresserat tyrannis Iabin, vt in quadraginta millibus Israëlitarum, qui partim è tribubus Nephthali & Zabulon collecti erant à Barac, partim ex reliquis tribubus, vix inuenire esset clypeum aut hastam: sed debuerint armati fustibus, ligonibus, vomeribus, & quasi inermes aduersum Sisaram prodire. Vnde & soli Deo, quod ille profligatus est, omnis victoria & triumphus debetur. TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 9.

Vulg. Cor meum diligit principes Israël: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.

Pag. Cor meum ad legislatores Israël, qui voluntarij estis in populo.

Arias. Cor meum ad scribas, spontanei in populo.

Caiet. Quia spontaneos se exhibent.

Vatab. Ad primores, ad magnates.

Tig. Ad præfides legum, qui sunt in Israël, &c. gratias agite Deo.

Malu. Cor meum dictatoribus Israël, seipfos spontaneantibus in populo.

Alij. Cor meum ad statuarios, descriptores, constitutores Israël.

Alii. Animus meus prouocat eos, qui mandata habent in Israël, qui munifici, liberales sunt in populo.

Sept. Rom. Cor meum ad ea quæ disposita sunt huic Israël, qui sponte agitis, &c.

Reg. Cor meum super constituta, &c. potentes populi benedicite.

Cald. Dixit Debbora in prophetia, ego missa sum ad laudandum scribas Israël, qui, quando fuit tribulatio illa, non cessauerunt ab interpretanda lege, & sic pulchrum illis, quod sedentes in domo congregationis in capite delecto, & docentes populam verba legis, & benedicentes, ac confitentem Dominum.

Syr. Cor meum dixit ad interpretem Israël qui peculiaris estis in populo, &c.

Arab. Cor meum alloquitur expositionem prophetiæ filii Israël, dicens, principes ipsius populi, & diuites eorum, dicite, Benedictus Deus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cor meum diligit principes Israel. Alij, Cor meum ad Legislatores, scribas, praesides legum, Heb. est **כֹּהֲנֵי** *chokekim*: Hoc est principes, Legislatores, Iudices, Scribæ, dictatores, qui licet tyranno prohibente, de facto populum non regerent, de iure tamen ad eos populi gubernatio & magistratus pertinebat. Scio aliquos per scribas historicos intelligere rerum scriptores, annalium conditores, quos dicit se diligere, dum has res præclare gestas ad posteritatis memoriam transmittunt; tamen hic Scribarum nomine intelligendi sunt qui leges cudunt, vel eas scriptis redigunt: *Qui propria voluntate obtulistis vos Domino.* Alij, qui voluntarij estis in populo. Quæ verba licet aliqui velint intelligi de militibus gregariis, sed de illis magistratibus, & principibus noster interpret accipit, qui liberali, & vltroque animo se exposuerunt periculis pro Israël: versio Sept. quæ habet super disposita aut constituta, licet referatur à Theodoro ad acies dispositas: vox Heb. sane hanc interpretationem non patitur. Verbum enim **כָּכֵךְ** *chakak* ad legum constitutionem, & dispositionem refertur, vel ad quodlibet statutum, & ordinationem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **C**or meum diligit principes I. duces huius exercitus. *suprà in principio huius capituli.*
 y. 9. Ideo subditur qui propria voluntate. Exponatur sicut

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 10.*

Vulg. Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio & ambulatis in via, loquimini.
Pag. Equitantes asinas candidas habitantes iuxta Middim Arias. Ambulantes super via, meditamini.
Caiet. Equitatores asinarum albarum canitie
Tigur. Vecti mulis nitidis qui præsidetis iudiciis, quique per itinera inceditis, hæc enarrate.
Isid. Clar. Et ascenditis supra in iudicio.
Malu. Vehentes asinarum lucidarum, sedentes super tribunal.
Alii, Residentes in Prouincia & qui proficiscimini per viam, confabulamini, philosophamini.
Alii, Equitantes super mulis nitidis.
Sept. Qui ascendistis super asinam fœmellam, meridiè se-

dentes super tribunal, ambulate super vias confessorum, super viam narrate.
Reg. vt vulg.
Codex Basil. Qui conscendistis iumenta meridiei, & currus regio, &c.
Flam. Super asinam teneram Meridiei.
Orig. Qui ascenditis super iumenta, super vehicula sedentes, super asinas refulgentes.
Aliqui Gr. Super subiugalia meridiei.
Cald. Qui fuerant impediētes negotia sua, equitantes super asinas stratas in omnibus generibus pictarum vestium, & ambulantes in omni termino Israël, & associati ad sedendum super iudicium, ambulantes in via & narrantes super fortitudines, quæ factæ sunt in ipsis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui ascenditis super nitentes asinos. Alij, Equitatores asinarum albarum canitie. Alij, Super mulas. Hebr. **אֲחֻזֹּת** *ahonoth*, quod propriè significat asinas, non autem mulas. Vnde Sept. verterunt, *super asinam gemellam nitentes.* Alij, *albas*, sed eodem ferè redit: nam candidum sæpe idem est, quod *λευκός*, nitens: id coloris enim non facilè referre mihi persuadeo, cum candidus color in asinis sit insolens. *Sedetis in iudicio.* Alij, *in Middim*, quam vocant tribunal: ita etiam Sept. intellexer legentes *ἡμεῖς*. Accedit & *Cald.* quoad Codices Græcos, dicendum esse varios, sed interpretationum admistio, quæ sensum obscurissimum efficit. Paraphrasis est in hoc versu, virorum honoratorum, nempe iudicum, & principum, de quibus versu præcedenti (non autem mercatorum, vt vult *Cald.* cum aliquibus aliis:) apud Iudæos enim vix equorum vllus vsus: honoratores asinis, postea autem & mulis vehebantur. Sensus ergo est, vias, quæ prædonibus antea refertæ erant, nunc securè inambulatis, loquimini, id est in diuinas laudes ora vestra soluite.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q**ui ascenditis, &c. Id est pingues & pulchros de A
 y. 10. præda hostium. *vt asinis honoratiores veherentur, et Nitentes, in Heb. est, candidos.*
Et sedetis, &c. Quia antea Iudices non audebant ire de loco ad locum ad iudicandum, sed tunc poterant ire securè & honorificè: ita quod, *in iudicio*, hic accipitur ad iudicium, quia homines sedentes in animalibus non iudicant.
Loquimini. Id est narrate beneficia Dei.
MENOC. *Qui ascenditis super nitentes asinos.* moris erat in regionibus illis (quod rursum infra cap. 10. & 12. videbimus) B

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 11.*

Vulg. Vbi collisi sunt currus & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrantur iustitiæ Domini, & clementia in fortes Israël: tunc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.
Pag. Propter sonitus iaculantium sagittas, inter loca, vbi

hauritur aqua, ibi doceant iustitias Domini, iustitias villarum eius in Israël, tunc descenderunt ad portas populus Domini.
Arias. A voce sagittariorum, &c. different iustitias Domini.

Caiet. Inter hauritores aquarum, ibi conferent iustitias.
Tig. Acute different ex iustitiis Domini rustici homines.
Malu. De voce sagittantium inter hausta, ibi depangunt iustitias Iuh.
Sep. A voce agitantium in medio haurientium aquam, ibi dabunt iustitias. Domine iustitias auge in Israël, tunc descendit ad ciuitates populus Domini.
Reg. Vocem pulsantium inter lætantes, &c. iusti confortati sunt in Israël.
Cald. Ex loco, vbi fuerunt diripientes eos, & accipientes quicquid in manibus eorum, domus sessionis absconditorum, & insidiæ latronum super lacus domus Israël ab antiquis, lacum quo fuerunt filij Israël exeuntes ad im-

plendum aquas, metuentes ad audire faciendum vocem strepitus pedum ab ante insidias osoris, & affligentis, ibi confitebuntur super præmia, super iustitias eius, qui posuit oppida terræ Israël, tunc descenderunt ex arcibus munitis, ad habitandum in vrbibus oppidorum populi Domini.

Syr. Contemplamini quæso dicta indagantium, qui inter Doctores versantur, ibi rependunt iustitiam Domini, iustitiam, quam multiplicauit erga Israël.

Arab. Scrutamini verba eorum qui se libris exercent Doctorum, ibi docebunt iustitias Domini.

Bonfr. A voce impellentium, & excutientium in medio haurientium aquas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ibi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, Alij, Propter sonitus iaculantium sagittas, inter loca, vbi hauritur aqua, &c. Sanè clarissimè, quod obscurissimè alij reddiderunt, Vulg. interpretatus est; nempe vbi collisi sunt currus (non arcus: vult enim Malu. quod irreperit currus pro arcus, sed perperam) nempe nongenti fallati, de quibus supra: *Et hostium suffocatus est exercitus*, scilicet in torrente Cison eas hauerunt, & ab eis hausti, & suffocati sunt. *Ibi narrentur iustitia Domini*, Alij, *Ibi doceant, differant iustitias Domini*. Id est, referatur iusta vindicta quam sumpsit de Tyranno Sifara. Cum autem dicit, ibi, non intelligendum, quod ibi parta est hæc victoria, sed quod obiectum narrationis, & res ipsa eo in loco facta commemoranda est, *Et clementia in fortes Israël*, Alij, *Iustitias vilarum eius*, sed clarius Tigur. Rustici homines; id est habitatores villarum, quibus Deus dedit ex hostibus victoriam. *Sep.* codex varius est: Rom. cum nostro conuenit in sensu. *Reg.* refert totam hanc vocem ad eos, qui Epinicium canebant, vel de parta victoria exultabant, Hier. addidit. *Et obtinuit principatum*, quod non est in aliis, sed non superflue, verum maioris explicationis gratiâ.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**bi collisi sunt. Grandine, & tempestate cadente super illos. **A** *Iustitia Domini.* Quas in Chananæos exercuit. **MENOC.**
ψ. II. *Ibi narrentur, &c.* Quibus interfecit impios. *Ad portas.* Hostiles eorum ciuitates occupando. Vel ad portas vrbium Israëlitarum, asserendo se in libertatem, & Principatum obtinens, exercensque iudicia in portis, *Et clementia in fortes.* Quia clementia Dei dedit eis fortitudinem ad superandum aduersarios. Cætera patent. *& Principatum obtinens, exercensque iudicia in portis, vt illo æuo fieri solebat.*

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 12. & 13.

Vulg. Surge, surge Debbora, surge, surge, & loquere canticum: surge Barac, & apprehende captiuos tuos fili Abinoëm.

Pag. Barac apprehende prædam tuam.

Arias. Captiua captiuitatem tuam.

Malu. Excitare, excitare Debbora, captiuitatem adduc captiuam abductionem tuam.

Sep. Expergiscere, expergiscere.

Cald. Lauda, lauda, & confitere, loquere laudationes.

Syr. Expergiscere, confortare, & eloquere canticum, captiuos duc captiuantes te.

Arab. Surge, te exorna.

Vulg. Saluatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.

Pag. Tunc dominatus est euasor fortibus, Dominus dominator est fortibus.

Arias. Tunc dominabitur superstes illustribus populi, Dominus dominabitur mihi.

Caiet. In potentibus.

Tigur. Tunc dominabitur qui reliquus fuerit magnificis populi, quin Dominus dominabitur mihi per gigantes.

Malu. Residuus amplissimis populis, Iuh, &c. in praua-lidis.

Isidor. Clar. Tunc dominabuntur reliquiæ magnificis, &c. Dominus dominabitur propter me, &c.

Sep. Rom. Tunc descendit residuum fortibus, Dominus descendit ei in potentibus ex me.

Reg. Tunc magnificata est fortitudo eius. Domine humilia mihi fortiores me.

Cald. Tunc descendit vnus exercitus Israël, & fregit fortitudinem fortium gentium, ecce non ex fortitudine manus eorum fecit hoc, sed Dominus fregit ante populum suum fortitudinem virorum osorum eorum.

Syr. Tunc descendit saluator ad canendum coram Domino, illuxisti mihi per virum ex Aphrem.

Arab. Tunc descendet vindex ad hanc laudem dicendam, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Saluata sunt reliquia populi, &c. Alij, Tunc dominabitur superstes illustribus populi. Supponendum nostrum Interpretem, non tam verba quam sensum expressisse, & etiam diminutè. Nam Hebræa plura indicant, scilicet reliquum populum, qui superstes relictus fuit ab oppressoribus, dominabitur super fortes Chananæorum, vel Dominus dominari fecit superstes, id est Israëlitas, quos eo bello seruauerat, in admirabiles, & clarissimos bellatores populi Sifaræ. Sed Vulg. solum videtur referre, quod salus parta est populi reliquiis, & quod Deus dimicauit in fortes, qui in hostium erant exercitu. Sed Rom. sensum obscurum habent, nec huic conuenientem. Legunt enim non **ויראד** serad, dominabitur, sed punctis mutatis iarad, descendit. *Reg.* Codex sensum haud dissimilem habet. Aliter *Syr.* & *Arab.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ominus in. Hic describitur debellatio hostium præterita, & futura, cum dicitur. **B** *Dimicauit.* Et ponit exemplum de præterito, dicens. *Reliquia populi.* Quem Iabin multis malis attriuerat. **MENOC.**
ψ. 13. *Dominus in fortibus.* Id est, contra fortes.

CAPVT QVINTVM IVDICVM.

VARIETAS LECTIONVM. *Verf. 14.*

Vulg. Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & post eum ex Benjamin populos tuos ô Amalec: de Machir principes descenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

Pagn. De Ephraim radix eorum contra Amalec, post Benjamin in populis tuis, de Machir descenderunt Legislatores, & de Zabulon trahentes stylo scribæ.

Arias. Trahentes in virga scribæ.

Isidor. Clar. Qui styllum ducerent scribæ.

Caiet. De Machir scribæ descenderunt, &c. tractores in stylo scribæ

Tigur. Trahentes in baculo.

Malu. Descenderunt dictatores, &c. trahentes in virga litteratoris.

Sep. Rom. Ephrem eradicauit eos, &c. in me Machir descenderunt perscrutantes, & de Zabulon trahentes in

virga narrationis scribas.

Reg. Populus Ephraim vlti sunt eos in valle: frater tuus Benjamin in populis, &c. & de Zabulon potentes in sceptro scribæ.

Cald. Ex domo Ephraim surrexit Iosué filius Nun in anteriori, & iniuit bellum in domum Ghamgelek, & post eum surrexit rex Saül in domo Benjamin, & occidit domum Ghamgelek, & iniuit bellum in reliquis gentibus: ex domo Machir descenderunt signati in bello, & ex Zabulon scribentes in calamo scribij.

Syr. Cuius facta elucet in Amalec, post te Benjamin ob amorem tui, de Machir egressus Interpres.

Arab. Cuius opera cernuntur in Amalec, & in vestigiis tuis gradietur Benjamin amore compulsus, eo quod prodierit explanator è Machir qui insudant scientiæ libri, & Zabulon.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

EX Ephraim deleuit eos in Amalec, Alij, De Ephraim radix eorum contra Amalec. Heb. quidem est שרשם *schereschem* deleuit eos, sicut Sep. ἐξαρριζωσαν, eradicauit. Quis enim sensus? Ephraim radix eorum? Sep. Reg. habent. Ex Ephraim vlti sunt eos in valle. Quisquis ita vertit, indicat se ex Hebræo non legisse עמלק *Ghamalec*, sed sublata vna littera עמק *Ghemec*, quod vallem significat, ac proinde redditum est in valle. Porro per hæc vlti sunt eos, non disconueniunt Vulg. nam per illam vltionem intelligunt deletionem, & eradicationem. Post eum ex Benjamin, Alij, Post te. Sed melius noster Interpres, qui legit אחרון *acharon*, non אחרון *acharecha*. Et sensus huius sententiæ satis obscuræ, germanior est, (quamuis alio tendat Cald. cum pluribus alijs) scilicet Amalecitas, quasi veteres Iudæorum hostes, audientes Sisaram tantis copiis Iudæos inuadere, decreuerunt ei mittere suppetias, quod intelligentes Ephraimitæ, & Beniamitæ eis vltimi, eos inuaserunt, & trucidarunt. Hoc exigere videtur ך in Amalec, & ך in populos tuos ô Amalec.

De Machir principes descenderunt, Alij, Legislatores, Scriba, &c. Heb. מְחַקְקִים *mechokekim*, id est, Legislatores: Magistratum enim est ciuitatibus imperare, leges ferre, scribere. Sep. legunt perscrutantes, fortè quod in aliorum vitas, & mores inquirere solent. Et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum, Alij, Et de Zabulon trahentes stylo Scriba, vel vt Alij, In virga, in baculo Scriba. Scilicet eo sensu, quod tantus fuerit feruor concurrentium ad bellum, vt etiam Doctores, & Scribæ qui ex tribu Zabulon etiam procedebant, vt suos calamos, & stylos scriptorios in arma, & gladios commutarint, & ad prælium descenderint, Sep. alium sensum habere videntur, nempe quod mercatores, etiam qui longas rationes dati, & accepti conscribunt, arma sumpturi essent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 14.* **E**X Ephraim deleuit. Quia Iosué fuit de tribu Ephraim, qui debellauit Amalec, vt habetur Exodi 17. Consequenter ponitur exemplum de futuro, cum dicitur.

Et post. Quia Saül qui fuit de tribu Benjamin, debellauit, & deleuit Amalec, vt habetur I. Reg. 15.

De Machir. Hic consequenter Debbora recitat constantiam filiorum Israël, qui iuerunt cum Barac ad prælium, & ignauiam illorum qui ire noluerunt, commistim loquendo de istis, & de illis dicens, De Machir principes Machir enim fuit filius Manasse: de cuius tribu aliqui fuerunt in hoc exercitu.

Et de. Sicut patet ex dictis cap. 4.

MENOC. Ex Ephraim deleuit eos in Amalec. LXX. habent. Ephraim eradicauit eos in Amalec. Alij textus habent, Ephraim ἐπιωρριζωσαν αὐτοὺς ἐν κοιλάδι. Ephraim vltus est eos in valle, scilicet in valle torrentis Cison. Porro quod noster habet, in Amalec, propterea dici putat Serarius, quod ita tribus

A in Amalecitas irruisset, qui se regi Iabin iungere volebant, sicuti Egloni cap. 3. & hic Chananæi reges Num. 19. sequenti.

De Machir. Laudantur præcipuæ familiæ Manasseorum. Machir enim Manasse filius fuit Gen. 50. 23.

Ex Ephraim.] Id est, Iosué, qui erat Ephraimita, primus superauit Amalecitas, Exodi 17.

Et post eum. Futuro tempore surget alius ex Benjamin.] **TIRINVS** Puta rex Saül, qui eosdem delect, ita Caldæus & Rabbinus. Nisi malis, duas hæc tribus hic speciatim laudari, quod pugnantibus alijs aduersus Sisaram, ipsæ irruerint in Amalecitas, qui Sisaræ suppetias ferre tentabant. Sic laudantur & principes Machir, id est, præcipuæ familiæ Manasseorum: & aliæ tribus, quod strenuam huic bello operam nauarint. Soli perstringuntur Danitæ, Aseritæ, Galaaditæ, seu Rubenitæ, quod studiis proprijs, & commodis priuatis vacarint, neglecto communi bello.

VARIETAS LECTIONVM. *Verf. 15.*

Vulg. Duces Issachar fuere cum Debbora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceptis ac barathrum se discrimini dedit: diuiso contra te Ruben, magnanimatorum reperta est contentio.

Pag. Et principes in Issachar cum Debbora, &c. Sic Barac missus est in vallem pedibus suis in cogitationibus Ruben, magni erant cogitabundi corde.

Arias. Magni decretarij cordis.

Caiet. In elongationibus Ruben, magnæ scriptiones cordis.

Vatab. Magnæ erant cogitationes cordis.

Isidor. Clar. In separatione Ruben magni viri, & sapientes corde.

Malu. In dispersionibus Ruben, grandia constituta cordis.

Sep. In vallibus misit in pedibus suis, in diuisionibus Ruben, magnæ perscrutationes cordis.

Reg. Misit pedites suos: in diuisionibus Ruben magnæ indagaciones.

Cald. Et principes Issachar obedientes sermonibus Debbora, & reliquæ tribus Israël ministrantes ante Barac missæ in nubibus platitici, in omni loco, quo opus esset illuc in missione eius euntes in profapia Ruben, multi insidiatores cordis.

Syr. Magnates Issacharis cum Debbora, &c. Barac inter gentes missus est, &c. ad portionem Rubil ma-

gnæ factæ declarationes cordis.

Arab. Quoniam qui declarat quod cordibus inest, maxi-

ximus est.

Bonfr. In vallem missus est cum pedibus suis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui quasi in præceptis, ac barathrum se discrimini dedit, Alij, In vallem missus est pedibus suis. Id est tanta alacritate venit contra hostes, vt etiam, licet dux maximus, pedes veniret. Heb. vox *חמק* *hamek*, quam ipsi vallem vertunt, noster Vulg. præcipitium, & præceptis, significat quamcumque profunditatem. Qui vertunt, In vallem missus est cum pedibus suis; ideo est, quia *רגלי* *raglai*, nulla facta mutatione potest significare, vel pedes suos, vel pedes suos, non enim tantummodo à *רגל* *regel* ea vox venire potest, sed etiam à singulari *ragli*, hoc est pedes, pedes, quod in plurali facit *רגלים* *raglim*, & cum affixo *רגליו* *raglau*. Huic versioni fauent Sep. *Diuisio contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio*. Alij, *In diuisionibus Ruben, cogitationes cordis magni, aut cogitabundi corde*; quod sic exponi debet, vt fiat Concordia versionum: nempe quod Rubenitis inter se diuisis, an suppetias ferrent Baraco, & non mittentibus, magnanimorum, nempe strenuorum ducum, & militum exercitus Barac facta est contentio, non hostilis, sed amica disceptatio, cum admiratione quadam, quomodo Rubenitæ, sibi in tanto discrimine positæ, auxilium non ferrent. Hanc autem contentionem magnanimorum, Alij appellant cogitationes cordis: perscrutabantur enim, & animo voluebant quomodo abstinuissent à mittendis sibi suæ tribus copiis, ad communem omnium defensionem.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ψ. 15.

Dives Issachar. Quia aliqui de illa tribu steterunt cum A Debhora ad deprecandum Dominum.
Et Barac vestigia. Quia alij iuerunt cum Barac ad pugandum.

Qui quasi in præceptis, &c. Persequendo aduersarios per loca decliuia.

Diuisio contra se Ruben. In illa enim tribu erant quædam contentiones intestinæ, propter quas noluerunt venire ad prælium cum Barac. Ideo subditur.

Magnanim. Id est superbiorum.

Reperta. Quia manifesta fuit aliis tribubus ex hoc facto.

Qui quasi in præceptis, ac barathrum, &c. Permetaphoram præcipitis loci, ac barathri, magnitudinem periculi, quod sponte subierunt Reipubl. causa, ponit ob oculos.

Diuisio contra se Ruben. In partes, diuersasque sententias distracto, dum aliqui bello abstinendum, alij in communem Israëlitis contra hostes expeditionem prodeundum censent.

Magnanimorum reperta est contentio. Principum illius tribus contentio facta est, variæque ac discordes voluntates.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 16.

Vulg. Quare habitas inter duos terminos, vt audias sibilos gregum? Diuisio contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

Pag. Vt quid sedisti inter duas caulas, vt audires? &c. Magni scrutatores cordis.

Arias. Vt quid sedisti inter duos ordines? &c. Magnæ scrutationes cordis.

Tigur. Sedisti inter duos limites vt audires boatus gregum.

Malu. Inter duas metas.

Isidor. Clar. Et segreges te cum magnatibus, & sapientibus corde.

Sep. Rom. Ad quid sederunt inter medium digomiæ.

Reg. Vt quid sedetis inter Mosphataim, vt audiat seruos ad transeundum? In res Ruben, magnæ vestigatio-

nes cordis.

Aquila. Inter duas sortes.

Sym. Vicinias.

Cald. Quare reditis ex exercitio belli ad sedendum inter terminos, ad audiendum legationem, ad sciendum manum exercitus vincentium in prælio, ad esse cum eo Barac vos dicentes tui nos, & Zizzaræ. Vos dicentes tui nos: num ita rectum vobis faciendum domus Ruben, nonne cognouistis quod ante eum apertæ cogitationes cordis?

Syr. Cur sedes inter semitas ad audiendum halitum onagrorum, portionem Rubil.

Arab. Ad quid sessio tua inter vias, vt audias strepitum ferarum in portione Ruben?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quare habitas inter duos terminos? Alij, *Duas caulas, duos ordines, &c.* Quorum omnium idem sensus, quod ita desides vel ignaui, vt inter caulas, & septa detinerentur balatibus gregum suorum delectati, cum tenerentur pro communi bono contra Sifaram dimicare. Vox *שְׁכֵרִיתוֹת* *scherikoth*, boatus, balatus, sed præcipuè sibilos significat. *Diuisio contra se Ruben*, Alij, *In diuisionibus*. Isid. Clar. *Vt segreges te cum magnatibus*, quia *לִפְלַגְגוֹת* *liplaggoth*, pro infinitiuo sumit. Quoad Sep. varius eorum codex, nam Rom. habet: *Ad quid sederunt?* Sed aliqui putant esse mendum, & ita pro *ἐκάθισται*, legendum *ἐκάθισται*, sedisti. Habent etiam *διζωτία*, quod plures fatentur se nescire quid significet. Flaminius tamen ait: videtur id dictum quasi in medio duorum ponderum, quod Latine dicitur, sedentes in duabus sellis, Reg. Codex retinuit vocem Heb. Mosphataim.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ψ. 16.

Quare habitas, &c. Quia fors Ruben fuit super Iordanem fluuium, qui diuidebat terram duarum tribuum & dimidiæ, à terra aliarum tribuum.

Vt audias. Id est, balatus, illa enim tribus delectabatur in talibus, quia habebat pecora multa, & intendebat nutritioni, & multiplicationi eorum, vt habetur Num. 23.

Diuisio contra se Ruben. Repetitur ad maiorem affirmationem, & quia sicut in cantilenis idem repetitur, sic in isto cantico, & exponatur sicut prius.

MENOC. *Quare habitas inter medios terminos? Quare nec in hostes irruis, nec Israëlitis castris iungeris?*

Vt audias sibilos gregum. Inter ouium tuarum balatus desidens, nec communem calamitatem amoliri studens.

Quare, O Ruben, habitas inter duos terminos?] Caldaicè, quare medius hærebas, & dubius inter terminos hostium, & Israëlitarum, expectans belli euentum, vt si vinceret Sifara, te illi coniungeres: Sin Barac, illi adhereres? Nempe diuisio, seu dissensio fuit inter principes tuos: magnanimos scilicet illos, qui sibilos, & balatus gregum suorum audire maluerunt, quàm sonitum buccinæ Barac.

TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 17. & 18.*

Vulg. Galaad trans Iordanem quiescebat, & Dan vacabat nauibus: Afer habitabat in littore maris, & in portibus morabatur.

Pagn. Mansit: Et Dan, vt quid habitauit in nauibus? Afer sedit in portu nauium, & in fracturis eius habitabit.

Calet. Et inter finituras eius castrametabitur.

Isidor. Clar. Et in locis suis ruinosis morabatur.

Tigur. Sedit in statione nauium, & in rupturis eius manet.

Bonfr. Peregrinabatur nauibus.

Malu. Trans Iarden scenitauit: Et Dan ad quid trahet naues? &c. & super irruptiones suas scenitabit.

Sep. Rom. Trans Iordanem vbi habitauit Dan, ad quid incolet nauibus. Afer sedit ad littus marium, & super exitus eius habitabit.

Reg. In prærupis eius habitabit.

Cald. Domus Ghilgad trans Iordanem habitauerunt, & domus Dan vadarunt, transmiserunt Iordanem, posuerunt diuitias suas in nauibus. Domus Afer super limitem maris, habitauerunt vrbes gentium quas destruxerunt, redierunt, ædificauerunt eas, & habitauerunt in eis.

Syr. Gad in aduersa Iordanis ripa commoratur. Dan ad portum trahit naues. Afer degit fecus littus maris, & ad eiusdem ostium habitabit.

Arab. Dan naues sumerit, & Afer habitat in ora maritima, ipseque habitabit in patria sua.

Vulg. Zabulon vero & Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

Pag. Zabulon populus probris affectit animam suam ad moriendum, & Nephthali super altitudinem agri.

Arias. Repudiavit animam suam.

Calet. Dehonestauit, & Nephthali, super celsitudines campi.

Tigur. Mouit animam suam ad mortem.

Malu. Perfodit, &c. super eleuationes agri.

Sep. Improperauit animam suam, &c.

Reg. Contemnens, & Nephthali in sylua agri sui.

Cald. Zabulon è regione gentium, quas exprobrauerunt, tradiderunt animas suas ad occidendum eas, & domus Nephthali. Laudabunt eos omnes habitatores terræ.

Syr. Qui cum exprobratione obiecit se morti.

Arab. Nephthali celsitudini pagorum sitorum infidet.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Galaad trans Iordanem quiescebat. Alij, Scenitauit, habitauit. Verbum *שָׁכַן* *sacan*, quod vertit Interpres, quiescebat, significat habitare, quemadmodum & Sept. reddiderunt, sed per habitationem, conuenienter quietam, & firmam habitationem. *Dan vacabat nauibus*, Alij, *Ad quid trahit naues, incolit, peregrinatur?* Certant Hebraisantes, quòd verbum *נָוֶה* *gur*, cuius significatum proprium est peregrinari, cum coniungitur cum loco, aut re aliqua, & ei coniungitur sine aliqua præpositione, tunc significare idem, quod versari, degere, conuersari, commorari: hæc autem efferunt in Heb. per interrogationem? *Afer habitabat in littore maris, & in portibus morabatur*, Alij, *Sedit in portu nauium, & in fracturis eius habitabit, &c.* Heb. est *מִפְרָצִים* *miphraçim*, quod significat fracturas, aperturas, diuisiones, interruptiones; vnde ferè ab omnibus Hebraisantibus vertitur, in fracturis, vel rupturis suis, vel eius: per has autem fracturas nihil aliud intelligere debemus, quam quod Vulg. & Sep. legentes. *Et super exitus eius habitabit* (Exituum autem nomine portus intelligendi veniunt. Portus enim sunt exitus maris, hoc est quibus in mare exitur) intellexere, portus scilicet qui fracturæ, vel rupturæ maris dici possunt, siue quia maris vis, & fluctus ibi franguntur, siue quia mare ibi inter portus angustias quasi interrumpitur.

Obtulerunt animas suas morti: Alij, *Affectu probris animam suam, repudiavit, dehonestauit, &c.* Verbum *חֶרֶפָה* *chereph*, in pihel non significat simpliciter animam suam morti offerre, sed ipsimet opprobrio, contemptui, quem incurrere potuerunt, quod tam pauci pedites, tam valido exercitui se obiecerint. Hebraismus famosissimus, significans viles, & quasi infames habuisse animas suas. *In regione Merome*, Alij, *Super altitudines, eleuationes campi.* Vulg. ergo propriè accepit tanquam nomen loci, vbi commissum est prælium contra Sisaram, Alij autem appellatiuè.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **G**alaad trans Iordanem. Nolens venire ad prælium A positæ, quietem agebant, nec rem publicam curabant, sicut piger, & ignauus. priuatis commodis intentæ.

§. 17.

Et Dan vacabat. Pro mercibus exercendis, quia fors sua fuit super littus maris Mediterranei, & ideo noluit venire ad prælium intentus ad lucrum, & eodem modo exponitur, quod subditur.

Afer habitabat, &c. Zabulon vero, &c. Isti commendantur de probitate & audacia: quia ex ipsis principaliter exercitus erat, vt patet supra 4. c.

MENOC. *Galaad trans Iordanem.* Tribus, quæ sunt vltra Iordanem, quæ terra Galaad dicitur, quasi procul à periculo

Dan vacabat nauibus. Negotiationi, & mercimoniis.

Afer habitabat in littore maris, &c. Rebus suis vacans, negligens laboranti Reipublicæ opem ferre.

In regione, &c. Id est, excelsa, quia in monte Thabor fuit congregatus exercitus Barac, vt fuit dictum sup. 4. cap.

Zabulon vero, &c. Interim dum alij oriantur, in discrimen venerunt, & vitæ periculum subierunt.

In regione Merome. Merome, seu, vt in Hebræo est, *excelsorum campus, est mons Thabor.*

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 19. & 20.*

Vulg. Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes.

Pag. Aurum vile non acceperunt.

Arias. Cupiditatem argenti.

Tigur. Lucrum pecuniæ non abstulerunt.

Malu. Venerunt reges, ceciderunt, præcisionem argenti non acceperunt.

Sep. Munus argenti.

Reg. Abundantiam argenti.

Basil. Cod. Cupiditatem.

Cald. Venerunt reges, inierunt bellum, tunc inierunt reges Cheuaan in Tachuagh fugerunt habitantes, & per Tom. IV.

tingentes vsque ad aquas Magido diuitias argenti non voluerunt.

Syr. Suppellectilem.

Vulg. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnaverunt.

Pag. De cælo pugnaute stellæ, de gradibus suis pugnaverunt cum Sifarra.

Tigur. E stationibus suis.

Arias. De exaltationibus suis.

Vatab. De viis suis.

Malu. De cælis ceciderunt stellæ, de viis stratis suis ceciderunt.

Sep. E semitis suis.



Reg. De cælo expugnati sunt : stellæ ab ordine suo.
 Cald. De cælo initum est cum illis bellum de loco quo exeunt stellæ de semitis ductu earum initum est præliū.

Syr. Bellum gesserunt sydera.
 Arab. Digressa sunt sydera è propriis locis, descenditque bellum de cælo contra Sisaram in torrente Cifon.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T Amen nihil tulere prædantes, Alij, Cupiditatem argenti, abundantiam, &c. non acceperunt. *בצב* *betzagh*, significat non quamlibet concupiscentiam, sed eam, quæ cum iniustitia coniuncta est, atque adeo prædam, rapinam. Vnde Codex Basil. habet Cupiditatem argenti. *Stella manentes in ordine, & cursu suo*, Alij, *De gradibus, de stationibus suis*. *מסלול* *meslloth*, propriè significat vias itratas, lapidibus aggeratas & complanatas : translata locutio à militibus ex editiore loco fœlicius pugnantis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**enerunt reges. Qui erant confœderati ipsi Iabin. *Et pugnauerunt.* Quia venerunt ad expugnandum Barac, & eius exercitum : vt habetur sup. 4. c.
†. 19. *Nihil.* Minus dicit, & plus significat : venerant enim ad deprædandum terram Israël, & tamen ipsi, & sua ibidem remanserunt.

MENOC. *Juxta aquas Mageddo.* torrentem Cifon.
Et tamen nihil tulere prædantes. LXX. *Munus argenti non acceperunt,* Alij *πλεονεξίαν*, abundantiam, id est rapinosis, adeo non retulerunt prædam vt ipsi cæsi sint, & delati.

LYRAN. *De calo.* Hic consequenter Debhora explicat, cui ista victoria sit attribuenda, scilicet ipsi Deo : & ideo dicitur. *De calo dimicatum,* scilicet fulgure & grandine.
†. 20. *Stella manentes in ordine.* Hoc dicitur ad differentiam illius victoriæ quæ facta est à Deo per Iosué : vt habetur Iosué 10. quia tunc sol, & luna steterunt per spatium vnus diei : in hac autem victoria non steterunt, sed processerunt in cursu suo.

ESTIYS. *De calo dimicatum est contra eos.* Sensus est ; Deus pro populo suo pugnavit contra eius hostes ; Nempe secundum id, quod Debhora dixerat ad Barac capite præcedenti. *Hæc est Dies in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas : En ipse ductor est tuus.* Et sequitur ; *Perterruitque Dominus Sisaram, & omnes currus eius.* Alij sic exponunt : Pluuiæ, ventû, grandines, procellæ, quæ sunt cælestia meteora pugnaverunt contra eos. Nam in Hebræo est, *è calis pugnaverunt.* Et in nostra quoque versione mox sequitur ; *Stella manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnaverunt.* Heb. *Stella à semitis suis*, aliàs, *è suis aggeribus pugnaverunt contra Sisaram*, metaphora à militibus, ex editiore loco pugnantis. Significatur autem vel stellas, quarum influxu commouentur tempestates cæ-

A li, fuisse hostibus aduersas ; vel potius Angelos Dei ministros contra eos pugnassee. Et fortè ita loquitur canticum, quod pugna nocte, lucentibus stellis, fuisset commissa.

De calo dimicatum est contra eos. Quia, vt narrat Iosephus, conflictus huius tempore procella magna exorta est, aquæ etiam, & grandinis multum oculis Chananæorum offusum, vt arma bellica iis vsui esse non potuerint.

Stella manentes in ordine, & cursu suo, pugnaverunt contra Sisaram. Pro stellis aliqui intelligunt Angelos, quorum militia quia ordines suos seruat, dicuntur *Manentes in ordine & cursu suo.* Alij vt Caietanus, & Del-Rio lib. 4. disq. c. 3. quæst. 1. aiunt, sic aërem, cæteraque elementa, & tempus ipsum fauisse populo Dei, vt ipsæ quoque stellæ solitæ imbres cière, censeantur contra Sisaram pro Israëlè pugnassee. Dicuntur vero stellæ in ordine, cursuque suo permanisse, ne putaret quispiam eas aliquid passas, quemadmodum Sol & Luna passæ sunt, dum illis à Iosué statio imperata est. Iosué 10. 2.

De calo dimicatum est.] Quasi dicat ; licet decissent hæc humana subsidia, non defuerunt cælestia.

Stella manentes in ordine & cursu suo.] Id est, non turbatæ ; vt nuper imperante iis stationem Iosué, sed profequentes ordinarium cursum suum, causerunt tantas tempestates ac procellas grandinum, ventorum, fulgetrorum vt omnes copiæ hostiles turbarentur, frangerentur ac contererentur : Deo interim & Angelis, quorum opera hæc tempestates ciebantur, Iudæos vbique protegentibus & in hostem animantibus. Simile habes sub Samuèle 1. Reg. 7. & Imperatore Theodosio contra Eugenium, & Maximum Tyrannos, teste Eusebio. Et similia fingit quoque Plato in suo bello Atlantico. Ita Iosephus, Abulensis & Lyranus. Addunt Rabbinii, *Omnia, & quæ in calis, & quæ in terris, pugnassee contra Sisaram,* pro Iudæis.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 21. & 22.

Vulg. Torrens Cifon traxit cadauera eorum, torrens Cifon : conculca anima mea robustos.
Pag. Cifon scopauit eos : conculcabit, &c. robustum.
Arias. Deuoluit eos, conculcabit robur.
Caiet. Diriges anima mea fortitudinem.
Tigur. Calcabas fortiter anima mea.
Malu. Volutauit eos torrens anteriori statu, &c. viabis anima mea obfirmationem.
Serar. Torrens Orientalium.
Alj. Præoccupatorum.
Sep. Torrens antiquitatum, &c. & conculcabit animâ mea potens.
Cald. Fluuium Kysson fregit eos, fluuius, quo facta sunt in eo signa, & fortitudines Israël ab antiquis, ipse fluuius Kysson : ibi conculcauit anima mea omnes occisos fortium eorum in robore.
Syr. Alluione deleuit eos torrens Cifon.
Arab. Abduxit eos : fortitudinem assequatur anima mea.
Vulg. Vngulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium.
Pag. Tunc quassatæ sunt plantæ equi à sono pedum, sono pedum fortium eius.
Arias. Tunc contusi sunt calcanei equi à calcitratibus, cal-

citatibus fortium eius.
Isidor. Clar. Tunc concussæ sunt vngulæ equorum propter saltus à magnificis eorum excitatos.
Caiet. Tunc calcanei equorum fregerunt à calcationibus, calcationibus fortium suorum.
Guar. Calces equi.
Tigur. Propter vehementem impetum.
Malu. Tunc contuderunt calces equi propter calcationes volucrum eius.
Sept. Rom. Quando impediti sunt calcanei equi festinantes festinauerunt fortes eius.
Reg. Tunc abscissa sunt crura equorum, hinnientibus potentium eius.
Cod. Basil. Tunc subneruata sunt crura equorum, & æquabit eos crus meum, contumelias insanis eorum.
Procop. Tunc abscissæ sunt vngulæ equorum Madaroth fortium eius.
Cald. Tunc educatæ sunt vngulæ equorum eorum à fremitu, quo fuit fremens ante currus fortitudinis eius.
Syr. Tunc cadet extremitas equorum eorum, præ gemitu roboris fortiorum eius.
Arab. Præ clamore.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T*Raxit cadauera eorum*, Alij, *Voluit, deuoluit, eiecit, &c.* Heb. est גרף *garaph*, quod hæc omnia comprehendit significata. Vatab habet scopauit, id est instar scopæ euerit. Auctus enim ille torrens imbribus sua rapiditate hostium interfectorum corpora abstulit. *Torrens Cadumim*, Alij, *Anterioritatum*. Noster cum Sept. nomen proprium reliquere, Alij appellatiuum maluerunt. Serar. habet. *Torrens Orientalium*, קדמ *kedem*, enim non solum significat prioritatem, anterioritatem, sed & Orientem. Torrens enim ille labitur partim versus mare Mediterraneum, quod est ad Occidentem, partim in mare Galileæ, quod est ad Orientem. Qui dixerunt autem, *torrens præuentorum*, ideo est quia Cadumim pro participio passiuo accipiunt. Ibi enim Sisoriani ex inopinato aquis præuenti, & suffocati sunt. Kadem enim significat præuenire, præoccupare. *Conculca anima mea robustos*, Alij, *Calcasti in fortitudine tua*, Alij, *Robustum, &c.* Sensus nostri Interp. cum aliis est conueniens, scilicet, gaude anima mea, quia Sisorianos quantumuis robustos conculcandos mihi exhibuisti, Alij in singulari legunt, *robustum*, vel Sifaram, vel exercitum illius validum intelligunt. Scio alios intelligere ipsum torrentem quem ipsa fortiter conculcauit, aduersariis eius in eo submersis. Qui autem habent, *Dirige anima mea fortitudinem*: sic explicant, fortitudinem non detorqueas anima mea ad Deos alienos, sed directè in vero Deo colloca.

Vngula equorum ceciderunt, Alij, *Calces, calcanei conquassati sunt, contusi*. Heb. הלכו cum eodem sensu cum Vulg. nempe quod vngulæ equorum in vehementi cursu ex collisione ad saxa è pedibus ceciderunt. *Eugentibus impetu & per præceptis ruentibus fortissimis hostium*, Alij, *A calcitrantibus, sono pedum, sono fortium eius*. Vox enim Heb. דהר *dabar*, bis reperitur כדהרות דהרות *middaharoth debaroth*, quæ indicant præproperam concursionem, & præcipitem impetum. Codex Basil. aliena planè hæc infert. Secundum Procop. Aquila exposuit, illud *madaroth*, nempe *decus irruentium*, hoc est, vngulæ equorum in acie agilissimorum inutiles factæ sunt.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **T***orrens Cifon, &c.* Cifon & Cadumim sunt nomina torrentium, propè quos fuit bellum: & multi ceciderunt ibi, & fuerunt submersi.
- CONCULCA ANIMA MEA. Id est, despice.
- ROBUSTOS. Id est, Sifaram & bellatores suos: qui confidetes in sua fortitudine volebant populum Domini delere.
- MENOC. *Torrens Cadumim*. Torrentis Cifon duo sunt rami, alter properat ad Occidentem, & mare Mediterraneum, alter ad Orientem, & lacum Genesareth. Hanc partem Orientalem putat Serarius appellari *Cadumim*, quia *Kedem* sapè pro Oriente sumitur in scriptura, vt Gen. 2.8. & alibi. Dicitur vero torrens cadauera traxisse, quia imbribus è cælo missis, de quibus dixi versiculo superiore, intumuerat.
- ROBUSTOS. Milites Sifara, qui armis, & viribus suis fidebant.
- VNGULA, &c. Ex magnitudine grandinis, & fulguris, & asperitate locorum fuerunt læsa, & dissipata.
- VNGULA EQUORUM CECIDERUNT. Extrita, debilitata. Septuaginta habent, *impediti sunt calcanei equi*.
- LYRAN. V. 22.
MENOC. V. 22.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 25.

V*ulg.* Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius.

Pag. Maledicendo maledicite habitatores eius, &c. Ad auxilium Domini cum fortibus.

Tigur. Quia non adfuerunt auxilio Domini.

Malu. Adiutorio eius in præualidis.

Sept. Maledictus omnis inhabitans eam, quia non venerunt in auxilium.

Reg. Dominus auxiliator noster. Dominus in pugnatibus potens.

Cald. Dixit Barak propheta Domini, maledicite & frangite habitatores eius, quia non venerunt ad auxilia populi Domini, quando iniuit bellum cum fortibus viris.

Arab. Quia non iuuerunt in bello Domini cum viris suis.

Vulg. Benedicta inter mulieres Iahel, vxor Haber Cinai, & benedicatur in tabernaculo suo.

Pag. Benedicetur præ mulieribus Iahel, &c. præ mulieribus benedicetur.

Arias. In tentorio.

Malu. Benedicetur de mulieribus Iahel vira.

Sept. A mulieribus in tabernaculo benedicatur.

Cald. Benedicetur à benedictionibus mulierum bonarum vxor Salmæi, sicut vna ex mulieribus, quæ ministrantes in domibus scholarum benedicetur.

Vulg. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

Pag. In phiala fortium.

Arias. Illustrium.

Malu. In concha præamplissimorum appropinquare fecit butyrum.

Aliqui vertunt. In vase coriaceo, in vtre maiorum pastorum.

Cald. Aquas petiuit eam impius Sifara, lacte potauit eum, ad sciendum si cogitationes eius super eum, in phialis virorum attulit ante eum pinguedinem caseorum.

Syr. In cratere gygantum.

Arab. In Scypho.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D*ixit Angelus Domini*, Cald. *Barak propheta Domini*. Sed hæc verba Interpretis accipienda pro vero Angelo? Ad quid enim ea detorque ad Barac, vel vt alij ad Deboram? *Maledicite habitatoribus eius*. Alij maiori cum emphrasi, *Maledicite maledicentibus*. *Quia non venerunt ad auxilium Domini*. Alij, *In auxilium Domini*, scilicet per suos fideles Hebræos, pugnantibus contra infideles Chananæos. *In adiutorium fortissimorum eius*. Alij, *Cum fortibus*, in præualidis scilicet militibus Hebræis.

Benedicta inter mulieres, Alij, *Ex mulieribus*, vel à, vel præ mulieribus, sed altero istorum verborum reddi potest, eademque sententia, non sine venustate repetitur. *In phiala principum*, Alij, *In concha præamplissimorum, in cratere gygantum*. ספח *sophel*, phialam, craterem, lagenam, concham significat. Quid autem significet phiala principum, fortium, illustrium, &c. non satis compertum. Arbitror ita dici, quod erat phiala præclara, in qua bibere possent principes, vel præcipua, quæ communi vsui non seruebat, sed cum aliquis honoratus, in ea bibere solebat. Qui autem vertunt, *In vase coriaceo, in vtre maiorum pastorum*. Sic אדיר *adirim*, sumi videtur Ierem. 25. v. 34. quod scilicet, vt præstantioribus seruabatur. *Obtulit butyrum*, Alij, *Pinguedinem caseorum*. Nomine butyri lac pingue recens, & non pressum intelligendum, vel ex quo expressum non fuerat butyrum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **M**aledicite terra Meroz, dixit Angelus Domini. A sub dit.
 v. 23. Dicunt expositores nostri communiter: quod Angelus Domini hinc accipitur pro Michaële, qui præerat filiis Israël ad custodiam: vt habetur Dan. 10. Meroz autem est nomen dæmonis qui excitauit Sisaram, & suos ad veniendum contra filios Israël: cui dixit Michaël esse maledicendum, & malis Angelis sibi adiunctis, ideo subditur.

Maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius. Id est, exercitus Domini, qui erat exercitus Israël: sed magis venerunt ad nocendum: sic ergo exponunt communiter Doctores Catholici. Hebræi autem aliter exponunt dicentes: quod Angelus Domini, hinc intelligitur ipse Barac missus à Deo ad pugnam prædictam: vt patet ex dictis supra 4. cap. Angelus enim idem est, quod nuntius, Malach enim quod est nomen Hebraicum, æquiuocum est ad Angelum, & ad nuntium. Meroz autem nomen hominis potentis, qui habitat propè locum, vbi fuit bellum, & ideo magis fuit reprehensibilis, eo quod noluit venire quò alij qui erant longè: propter quod Barac dixit ei maledicendum, & hominibus sub eius potestate constitutis, & hæc expositio magis videtur concordare litteræ.

MEN OC. *Maledicite terra Meroz.* Loci nomen iam ignoti, cuius nec apud Eusebium, nec apud S. Hieronym. libro de locis, Heb. mentio est. Huic ergo vel vrbi, vel loco, quò ad sacrum hoc bellum venire noluerit, imprecari omnes vult, non sua tantum, sed auctoritate etiam Angeli, de quo

Dixit Angelus Domini. Verus Angelus, & fortasse Michaël, qui bello huic præfuit, tanquam Israëliti populi princeps, ac præses. Dan. 10.

Benedicta inter mulieres Iahel, &c. Hinc consequenter LYRAN. Debbora commendat Iahel, quæ Sisaram interfecit, vt v. 24. patet ex prædictis 4. c.

Benedicatur in tabernaculo suo. In Hebræo habetur. *Præ mulieribus in tabernaculo benedicatur:* Id est, præ mulieribus habitantibus in tabernaculis, quæ non leguntur fecisse tam viriliter & cautè: ideo subditur.

Aquam petenti, lac. Vt citius dormiret, & grauius, vt LYRAN. dictum est supra 4. capitulo. v. 25.

Et in phiala principum. Id est, apta pro principibus

Obtulit butyrum. Id est, lac pingue. Phiala enim vt videtur, non est vas aptum pro butyro: nam secundum Isid. etymol. vlt. inter vasa potatoria numeratur. Hebræi tamen dicunt hinc: in phiala, id est in bacino, aliàs catino, & est vas in quo potest offerri butyrum propriè dictum: & secundum hoc dicunt aliqui quòd non solum obtulit ei potum vt petierat, sed etiam cibum. Cætera patent in littera vsque ibi.

In phiala principum. In vase aliquo ornato, quale vel MENOC. principem deceat.

Butyrum. Lac non ita pridem mulsam, à quo pinguior pars, ex qua butyrum fit, nondum erat separata.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 26. ad 28.

Vulg. Sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.

Pag. Dexteram suam ad malleum laborantium, & conuassauit Sifera, abscidit caput eius, & perfodit, & incidit tempus eius.

Arias. Manus eius ad clauum sese miserunt, & contudit Sifera, amouit caput eius, & transfixit.

Tigur. Manum suam abstulit clauo, & dexteram suam malleo laborum.

Malu. Manum suam paxillo mittet, &c. tuditi laborantium, & contundet Sifera, conuassauit caput eius, & inficiet, & transibit tempus eius.

Sept. Rom. Malleo terebrauit Sisaram, perforauit caput eius, & percussit, perforauit tempus eius.

Reg. Manum suam in palum extendit, dexteram suam in abscissiones laborantium, contriuit caput eius, & confregit.

Basil. Codex. Et dexteram suam ad perpetuo inutile reddendum per abscissiones excisorum.

Procop. Dextram in abscissiones exploratorum, &c. & perforauit maxillam eius.

Cald. Quæ conficta ad confringendum impios, & violentos, &c. transfixit cerebrum eius, tranliuit in tempore eius.

Arab. Ad malleum fabri lignarij, &c. fodit caput eius, percussit tempus, transuerberauit ad alterum vsque tempus.

Vulg. Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus est: voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis & miserabilis.

Pagn. Incuruatus est, cecidit, dormiuit inter pedes eius, curuauit se, cecidit vbi curuauit se, ibi cecidit vastatus.

Arias. Cecidit, decubuit.

Tigur. Quo loco recubuerat, illic corruit interemptus.

Malu. Accubuit inter pedes eius, curuauit se cruribus.

Sept. Rom. Inter pedes eius deuolutus est, cecidit, & dor-

miuit inter pedes eius, procumbens cecidit, sicut procubuit, ibi cecidit expirans.

Reg. Incuruatus est, cecidit, &c. flexit, cecidit, in quo flexit, illic cecidit miserabiliter.

Basil. Grauius cecidit, & obdormiuit inter crura eius, in quo flexit sicut conclusus est, &c.

Cald. In loco quo curuatus est, ibi cecidit spoliatus Sifera.

Syr. Cecidit, corruit, iacuit, quo loco concidit, ibi corruit prædo.

Arab. Is vero iactatus inter pedes eius ruit mortuus: in loco vbi ruit, ibidem cecidit obruncatus.

Vulg. Per fenestram respiciens, vlulabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? Quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?

Pag. Et vlulauit mater Sifera per cancellum.

Arias. Exclamauit, cur erubescit currus eius ad veniendum? cur tardauerunt vices?

Tigur. Per cancellos: cur frustatur me currus eius? Cur tardant rotæ?

Varab. Eiulabat.

Malu. In vsque ad fenestram prospexit, & minuit mater Sifera in vsque ad transfennam, quid cognitionis puffedactus fuit currus ad venire, quid cognitionis posteriorauerunt ictus vehiculorum eius?

Sept. Rom. Per fenestram respicit extra fenestellam, cur erubuit currus eius?

Reg. Respiciebat, & intuebatur per cœnaculum, quare moratus est eius currus ad venire? Quare tardauerunt vestigia curruum eius?

Procop. Respexit per opera reticulata.

Cald. In vsque ex fenestra prospexit, & attendens mater eius ex inter cancellos dixit, quid hoc tardauit currus Zizaræ filij mei à veniendo? quid hoc impediti sunt cursores qui fuerunt venire mihi facientes epistolam victoriarum?

Arab. Clamitauit de fenestra sedens super podro, & ait, quæ de causa currus filij mei morati sunt, nec aduenire, & quamobrem aduentus stridoris curruum eius nondum auditus est?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

M Anum misit ad clauum, Alij, Manus eius ad clauum sese miserunt, scilicet sinistra ad clauum, siue paxillum. Vide Concordiam vers. 21. cap. præcedentis, & altera ad malleum. Ad fabrorum malleos, Alij, Tunditem laborantium. Heb. להלמוד *lehalmud*, malleus, tudes à tundendo, quæ etiam est ethymologia Heb. nam חלהל *halam*, est tundere, & contundere. Melius dixit Vulg. malleos fabrorum, quam alij laborantium: plurimi enim laborant, qui malleis non vtuntur, vel saltem raro. Percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, &c. Quatuor verba in Heb. habentur, quorum idem est sensus ac Interpretis, tamen secundum non benè redditur à quibusdam. Verbum illud est מחק *machak*, quod reddunt, abscidit, at manifestum est ex hoc loco, non posse significare abscindere, quomodo enim malleo, & clauo caput abscinderetur? vnde alij melius, *terebravit* verterunt.

Mortuus est, Alij, *Obdormiuit*. Sed somno sempiterno, potest etiam vox Heb. שכב *facab*, verti, iacuit, decubuit. *Exanimis*, & *miserabilis*. Alij, *Deuastatus*, id est, exanimatus, extinctus, vel spoliatus, nempe vitâ. *Per fenestram respiciens ululabat mater eius*. Sept. Rom. solum vnicum verbum habent, *μαρξενωσαν*, quod significat accuratè, & cum quadam inclinatione respicere: quod duobus verbis Sept. Reg. dixere, *Respiciebat & intuebatur*. Porro vbi Vulg. habet *Ululabat*, Alij legunt, *Exclamauit*, *minuriuit*. Verbum יבב *iabab*, quod solum hîc reperitur, variè redditur, ululauit, ciulauit, exclamauit; minuriuit autem idem est quod susurravit exili, & flebili voce. *De cœnaculo loquebatur*: Alij, *Per cancellos*, *per opera reticulata*. Heb. vox אשנב *esnab*, significat cancellos, cui suffragatur Procop. legens, opera reticulata, seu fenestræ ad modum retium factæ, dicitur autem *δανωνν*, non solum fenestra reticulata, aut aliud opus reticulatum, sed etiam ipsum cœnaculum, huiusmodi fenestras habens. *Cur moratur?* Alij, *Cur erubuit?* בשש *basas*, & tardare, & erubescere significat: & vero sæpè pudor moræ causa est, & impedimentum, ne in publicum prodeamus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P** Er fenestram. Vbi describitur anxietas matris Sifara, co quod ultra modum tardabat venire, quam

VARIETAS LECTIIONVM. Vers. 29. & 30.

Vulg. Vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc sociui verba respondit.

Pag. Sapientes Dominae responderunt ei, etiam ipsa verba sua.

Arias. Etiam ipsa conuertebat dicta sua sibi.

Caiet. Sapientes domicellæ eius.

Tigur. Ex præcipuis mulieribus, quæ erant apud ipsam.

Malu. Sapientes principissarum eius respondebunt: etiam ipsa reuertere faciet dicta sua sibi.

Sept. Rom. Principes eius, &c. & ipsa conuertit sermones suos sibi.

Reg. Sapientes principum, &c. illa autem respondit in verbis suis.

Cald. Etiam ipsa in sapientia sua respondit ad dicendū illis.

Syr. Arab. Sapientissima adolescentularum eius, respondens dixit ei.

Vulg. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: vestes diuersorum colorum Sisarae traduntur in prædam, & suppellex varia ad ornanda colla congeritur.

Pag. Nonne inuenient, diuident spolia, puella, duæ puellæ capiti viri spolia discolorum ipsi Sifra spolia discolorum polymitum, discolor, duo polymita collo spolijs?

Arias. Diuident spodium, amasia, duæ amasiæ capiti viri spodium colorum, &c. spodium colorum recamatum, color duo recamata collis spolijs?

Guar. Spolia discolorum acupicta, discolor ex vtraque parte acupicta in collum spolijs.

Vatab. An non diuidunt spolia cuique militi forti amicam vnâ, vel duas, prædam vestium varicolorum?

Isidor. Clar. Certè inuenerunt, & diuidunt spolia, est puell-

la vna, vel duæ cuilibet viro, &c. traduntur in prædam vestium discolorum, & quæ acupictæ sunt, vestem discolorum, & acupictam, quæ priori competit in spoliolorum distributione.

Malu. An dispertient spodium matris, duæ matrices, capiti perualidi spodium coloratorum Sifara, spodium coloratorum recamatura, coloratus duarum recamaturarum coloribus spolijs.

Alij. Spodium rubricatorum, vel vestium diffusarum, dissectarum.

Sept. Nonne inuenient eum diuidentem spolia? Misericors miserabitur eius in caput viri spolia tincturarum ipsi Sifarae, spolia tincturarum varietatis, spolia variatorum ipsa capiti eius spolia.

Reg. Amicus amicis in caput potentis.

Fasil. Amicitiam conciliat cum amicis.

Procop. Et qui diligunt ipsum.

Cald. Ex quo inuenientes, & diuidentes prædam dantes virorum, & domum eius omni vni, & vni prædam multam ante Zizarram, prædam polymitorum colorum super collum eius diuitias opulentorum, & vasa desiderij ante virum eum quem spoliauerunt.

Syr. Forsan abiens inuenit spolia multa, distribuit multum onustum singulis ducibus virorum: spolia vero opima variæ tincturæ, atque picturæ, ipsi Sifarae tincturæ, atque picturæ super colla prædatorum.

Arab. Fortè fauste offendit prædam multam in itinere suo, & partitus est vnicuique onus mellis, & olei copiam, aurificia & phrygionicum opus pro Sifara: aurificia quoque, & phrygionicum opus super colla prædantium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V Na sapientior cæteris vxoribus eius hæc sociui, &c. Alij, Sapientes Dominae responderunt ei. Et etiam ipsa respondit verba sua. Sanè in alijs, nec fit mentio vxorum, nec focus, imò Vulg. indicat vnâ ex suis vxoribus ei hæc verba dixisse, quæ sequenti versu referuntur. Alij autem volunt ipsammet Sifarae matrem ad semetipsam sermonem direxisse, atque aded verba sequentia esse ipsius matris Sifarae: dicendum hanc sententiam vtriusque esse vnus proferentis, & alterius approbantis, & quasi sibi applaudentis.

Forsitan nunc diuidit spolia, Alij, *Nonne inuenient, & diuident spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei?* Alij, *Puella, duæ puella capiti viri, amasia duæ amasia, &c.* Quis non videt lectionem Interpretis clariorem, & alijs præstantiorem? Verum est tamen non verba, sed sensum expressisse, Alij etiam habent *capiti viri*, quæ verba ad alia referunt quam ad Sifaram, sed de Sifara est sermo. *Vestes diuersorum colorum*, Alij, *Spolia discolorum ipsi, spolia discolorum acupicta*; sed idem sensus. Vox enim צבעים *isebahim*, propriè tincturas, & colores significat, & verbum תסבב *tsabab*, tingere, & colorare, & ad indicandam multitudinem copiosam harum vestium, & spoliolorum eorum fit repetitio in

Hebræo. *Et suppellex varia*, Alij, *Polymittum, discolor, acupictum, &c.* Heb. ריקמה rikmah, quæ propriè significat variegatum, acupictum, Phrygionicum opus, de quo aliàs. *Ad ornanda colla congeritur*; Alij, *Collibus, spoliis*, sed colles pro collis non sumuntur, & ita mendum debet esse. Codex Græcus, vt videre est, varius, & nequaquam textui conueniens, & nostro, quoad prius hemistichium.

ANNOTATIONES.

MEN OC.
v. 29.
LYRAN.
v. 30.

V *Na sapientior. Quæ sapere videri voluit. Forsitan nunc diuidit spolia. Bellatoribus suis. Et pulcherrima fœminarum. De Hebræis.*

A *Eligitur. Ad concubitum. Vltimo ponitur conclusio cantici, cùm dicitur.*

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 31. 32.*

V *Vlg. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.*

Pag. Diligentes eum, erunt secundum exitum solis in fortitudine sua.

Malu. Sic auferentur omnes maleuolentes tui Ihuh, & amantes, sicut exire sol in præualefcentia eius.

Cornel. à Lap. Sicut sol in virilitate sua.

Sept. Rom. Sicut exitus solis in virtute sua.

Reg. Sicut oriens solis in potentatibus suis.

Cald. Sic peribunt omnes ofores populi tui Domine, & misericordiæ eius erunt futuræ splendescere, sicut exire solem, &c.

Syr. Amici vero tui sint veluti ortus solis.

Arab. In robore suo.

Vulg. Quieuitque terra per quadraginta annos.

Syr. Tranquilla fuit terra.

Arab. A bello quadraginta annis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

S *icut sol in ortu suo splendet, Alij, In fortitudine sua, virilitate.* Heb. enim est בגבורתו bigburato, Sep. in δυναστεία αὐτοῦ, id est, *In potentatu suo.* Cum scilicet sol manè clarè exoriens auricomus apparet, ac fortiter suos splendoris radios longè lateque totis quasi viribus eiacularur. *Qui autem diligunt te, Alij, Diligentes eum.* Benè vertit Interp. in secunda persona. Intellexit enim rectè esse subitanè saltum à secunda ad tertiam personam, neque illud *eum* ad aliun referri posse, quàm ad Dominum, de quo proximè præcesserat.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 31.

S *ic pereant, &c. Qui te in tuis fidelibus persequuntur: sicut dictum est Saïlo Act. 9. Saïle, Saïle, quid me persequeris.*

Qui autem diligunt. In Heb. in ortu suo, habetur בגבורתו

B *bigburato, id est in fortitudine sua, quod exponunt Hebræi de illa fortitudine solis futura: de qua dicitur Esaii 30. Eris lux luna sicut lux solis, &c.*

Quienit terra. Vide supra c. 3. Num. 11.

MEN OC.
v. 32.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

R *elapsis in priora scelera Israëlitis, & iam à Madian oppressis, Gedeon variis signis à Deo decernitur liberator: qui occasione destructa ara Baal, nomen inde Ieroboal sortitur.*



I. Ecerunt autem filij Israël malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis, 2. & oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca. 3. Cumque seuisset Israël, ascendebat Madian & Amalec, cæterique Orientalium nationum: 4. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oues, non boues, non asinos. 5. Ipsi enim & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum vniuersa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid terigerant deuastantes. 6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. 7. Et clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. 8. Qui misit ad eos virum Prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis, 9. & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis terram eorum. 10. Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et nolulistis audire vocem meam. 11. Venit autem Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, 12. apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime. 13. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian. 14. Respexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quod miserim te. 15. Qui respondens ait: Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. 16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quasi vnum virum.

17. Et ille, Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quòd tu sis qui loqueris ad me.
 18. Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi. Qui respondit: Ego præstolabor aduentum tuum. 19. Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, & ius carniū mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei. 20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde. Cumque fecisset ita, 21. extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: ascenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit: Angelus autem Domini euauit ex oculis eius. 22. Vidensque Gedeon quòd esset Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris. 24. Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitque illud, Domini pax, vsque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, 25. nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succide: 26. & ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, super quam antè sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris. 27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte compleuit. 28. Cumque surrexissent viri oppidi eius manè, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. 29. Dixeruntque ad inuicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, vt moriatur: quia destruxit aram Baal, & succidit nemus. 31. Quibus ille respondit: Numquid vltiores estis Baal, vt pugnetis pro eo? qui aduersarius est eius, moriatur antequam lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius. 32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Ieroboal, eò quòd dixisset Ioas: Vlciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius. 33. Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati sunt simul: & transeuntes Iordanem, castrametati sunt in valle Iezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se. 35. Misitque nuntios in vniuersum Manassen, qui & ipse sequutus est eum: & alios nuntios in Aser, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si saluum facis per manum meam Israël, sicut loquutus es, 37. ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut loquutus es, liberabis Israël. 38. Factumque est ita. Et de nocte confurgens, expresso vellere, concham rore impleuit. 39. Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentauero, signum quærens in vellere. Oro vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa vt postulauerat: fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. I. ad 5.

Vulg. Fecerunt autem filij Israël malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis.

Arab. Verum filiis Israël scelera aggredientibus immisit in eos Dominus Madianitas.

Vulg. Et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca.

Pag. Inualuit manus Madian super Israël à facie Madian, fecerunt sibi, &c. munitiones.

Tigur. Ita vt facerent metu Madianitarum recessus: syros quoque & arces.

Malu. Et obfirmavit manus Madian super Israël de faciebus Israël, & fecerunt sibi filij Israël confluentias, quæ in montibus, & cauernas.

Sept. Et speluncas, & pensilia.

Reg. Fecerunt sibi antra in montibus, in speluncis, & munitissimis locis.

Cald. Roborata est manus Madianæorum, &c. fecerunt sibi latibula.

Arab. Adhibuerunt domos in montibus & cauernis.

Vulg. Cumque senisset Israël, ascendebat Madian & Amalec, cæterique Orientalium nationum.

Pag. Et filij Kedem ascendebant aduersus eum.

Malu. Et fuit si seminat, &c. & filij Orientis ascenderunt super eum.

Sept. Rom. Et factum est si seminauerunt.

Arab. Ascendebant Madianitiæ, Amalecitiæ, & filij Recem.

Vulg. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis

Tom. IV.

cuncta vastabant vsque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oues, non boues, non asinos.

Pagn. Castrametabantur aduersus eos, & vastabant fructum terræ, donec venias in Gazzah, & non relinquebant victum.

Arias. Corrumpebant productionem terræ.

Calet. Destruiebant prouentum terræ.

Malu. Et desederunt super eos, & funditus perdiderunt productionem, &c. & non reliquerunt viuificationem, & pecudem & taurum & asinum.

Sept. Rom. Corrumpebant fructus eorum, & non relinquebant substantiam vitæ, &c. neque in gregibus taurum, &c.

Reg. Vastabant confinia terræ, & non reliquerunt sustentationem vitæ.

Cald. Non reliquerunt cibum ad viuificandam animam.

Vulg. Ipsi enim & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum vniuersa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant, deuastantes.

Pag. Veniebantque tanquam locustæ in multitudine & veniebant ad deuastandum eam:

Arias. Ipsi & acquisitiones eorum ascendebant, &c. venient secundum sufficientiam locustæ multitudini, &c. ad funditus perdere eam.

Sept. Et tabernacula eorum adueniebant.

Reg. Asterebant.

Cald. Et venerunt in sufficientia locustæ ad multitudinem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Oppressi sunt valde ab eis; Alij, *Inualuit manus Madian super Israël*: Ita vt eos seruituti subigerent. *Fecerunt sibi antra*; Alij, *Confluentias*. Hebr. est מַחְרֹת *minharoth*, id est, specus, antra, Confluentias dixit Malu. Id est, inquit, confluxus aquarum; Ad serendum in montibus, quia planis & campestribus arcebantur: vel confluentes, id est, ait, congregationes hominum incertis sedibus vagantium. Alij, *Speluncas*; Alij, *Syros*, id est, subterraneas serobes condendis frugibus: *Munitissima ad repugnandum loca*. Alij, *Recessus, arces*: *Pensilia* dixerunt Sept. Rom. nimirum, quia è montibus, erant quasi auium nidi pensiles. *Ceterique Orientalium nationum*. Alij, *filij Orientis*: ex Abraham, & Cethura progeniti, habitantes ad Orientem, qui proinde vocantur filij Orientis. *Nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant*. Alij, *Vinificationem, cibum, ad vinificandam animam*, quorum omnium idem sensus.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. 1.** **F**ecerunt. Hic consequenter describitur quarta tribulatio, quæ facta fuit per Reges Madian, & à qua liberati fuerunt filij Israël per Gedeonem, & diuiditur in duas partes, scilicet principalem, & incidentalem: 2. incipit 9. cap. Prima in duas: quia 1. describitur tribulatio, 2. liberatio, ibi, *Qui misit ad eos*. Circa primum dicitur.
- Fecerunt autem filij*. Non dicitur hic, addiderunt facere malum, sicut in aliis tribulationibus dicitur post primam, cuius rationem assignant Hebræi, dicentes quod per canticum Debboræ & Barac & eorum merita, peccata præterita erant simpliciter dimissa.
- Qui tradidit*. Vt deformitas vel dedecus culpæ non transiret sine decore iustitiæ,
- MENOC.** *In manu Madian*. Madianitæ erant ex Abraham posteris ex Cetura vxore, sed non per promissionem hæredem Isaac Genesis 25. 2.
- Septem annis*. Breuior populi afflictio, quàm narratur superioribus capitibus; nisi dicamus temporis breuitatem
- A** compensatam pœnæ ac seruitutis acerbitate, statim enim additur, & *oppressi sunt valde ab eis*.
- Feceruntque sibi*. Scilicet pauperes, & debiles, & timidi, vt se absconderent.
- Et munitissima ad repugnandum*. Quantum ad potentes, vt ibi refugium haberent.
- Cumque seuisset Israël*. Tempore vernali, quo semina incipiunt fructificare, vt nullus victus remaneret Hebræis.
- LYRAN.** **Y. 3.** *Amalec*. Amalecitæ erant ex posteris Isaac, sed per Esau, Gen. 36. 2.
- Ceterique orientalium nationum*. Qui orientem terræ sanctæ habitabant.
- Vsq̄ue ad introitum Gaza*. Quæ est vltima ora regionis illius ad mare mediterraneum, quod occidentale terræ sanctæ littus alluit.
- MENOC.** *Ipsi*. Ita quod pro intemperie aëris non cogerentur exire de terra, donec omnia essent consumpta. Cætera patent in littera.
- LYRAN.** **Y. 5.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad 12.

- V**ulg. Humiliatusque est Israël valdè in conspectu Madian.
- Caiet.* Attenuatus est à facie Madian.
- Malu.* Et exhaustus fuit, & exclamauerunt filij Israël ad Iuh.
- Sept. Rom.* Et mendicauit Israël.
- Syr.* Et concussus est vehementer.
- Arab.* Itaque metuuerunt filij Israël Madianitas metu maximo.
- Vulg.* Et clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.
- Pag.* Et fuit cum clamassent.
- Malu.* Quia exclamauerunt super occasiones Midian.
- Cald.* Super causam Madianæorum.
- Arab.* Et vociferantes filij Israël ad Dominum, opem implorantes contra Madianitas.
- Vulg.* Qui misit ad eos virum Prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego vos feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis.
- Pag.* Eduxi vos de domo seruorum.
- Vulg.* Et liberaui vos de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis terram eorum.
- Arias.* Erui de manu omnium opprimentium vos.
- Sept.* Omnium tribulantium vos.
- Cald.* Omnium molestatorum vestrorum.
- Syr.* Consumpsi eos.
- Arab.* Disperdidi eos à conspectu vestro.
- Vulg.* Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et nolulistis audire vocem meam.
- Arias.* Et non audiuistis in voce mea.
- Sept.* In quibus sedetis in terra vestra.
- Cald.* Ne timeatis errores Amorrhæi, &c. & non audistis in dicto meo.
- Arab.* Non acquieuistis dictis meis.
- Vulg.* Venit autem Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas, patrem familiae Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian.
- Pag.* Quæ erat ipsi Ioas patris Ezri. Vt fugeret à facie Madian.
- Caiet.* Vt faceret fugere à facie Midian.
- Tigur.* Qui triticum in torculari exterebat, vt absconderetur à Madianitis.
- Malu.* Sedit sub ilice, quæ in Ghophrah quæ Ioas Abighazeritæ.
- Sept. Rom.* Sedit sub therebinto.
- Reg.* Sub quercu.
- Syr.* Fricabat spicas in Gath.
- Vulg.* Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime.
- Pag.* Et conspectus est ei Angelus Domini.
- Arias.* Dominus tecum, potens virtute.
- Caiet.* Vir fortitudinis.
- Malu.* Præualidæ strenuitatis.
- Sept. Rom.* Fortis virtutum.
- Reg.* Potens fortitudine.
- Cornel.* Fortis strenuitate.
- Cald.* Dictum Domini in auxilio tuo vir virtutis.
- Syo.* Dominus ro' ore potentissimus tecum sit.
- Arab.* Dominus potentissimus, fortissimus tecum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Humiliatus est Israël valde. Alij, *Attenuatus*. Sept. *Mendicauit*, id est, ad summam miseriam nempe mendicitatem redactus: *Sub quercu*; Alij, *Sub ilice*, Sept. Rom. *Sub therebinto*. Certum est, חַלְמַח *hælach*, esse quercum. Verum est Sept. Rom. nobiscum in hac specie arboris non conuenire. Sed standum Vulg. quem etiam codex Reg. & Basil. sequitur. *Et pertinebat ad Ioas patrem familia Ezri*. Alij, *Quæ erat Ioas patris Ezri*. Alij, *Quæ Ioas Abighazeritæ*. Hebr. est אֲבִי עֲזְרִי *aqi ezri*, nullâ factâ mentione familiae. Porro illa verba vel disiunctiue sumun-

tur, & sic significant patrem Ezri, vel coniunctiuè, vt reddit Malu. Quasi vox esset patronymica, videlicet vt nomen esset proprium alicuius viri dicti Abiezeri, à quo deinde tota familia nuncupata sit familia Abiezer. Et qui de ea essent, Abiezeritæ. *Dominus tecum virorum fortissime*; Alij, *Potens virute*, Syr. *Dominus robore potentissimus tecum sit*. Hebraicè est גִּבּוֹר הַחַיִל gibbor hechail. Gibbor autem significat virum fortem, potentem, robustum, quales erant gygantes. Chail vero significat robur, industriam, strenuitatem, vires. Vnde Serarius suspicatur pro *virorum*, legendum *virum*; Sed nihil cogit hoc dicere, nam *virorum* respondet Hebr. gibbor. Gibbor autem & virum & fortem significat. Viri enim sunt fortes: Vnde Gabriel dictus est, quasi fortis Dei, vel vir Dei. Verum est hæc verba non solum Syrum & Arab. sed etiam D. August. non ad Gedeonem referre, vt sit vocatiui casus, sed ad Dominum: de quo præcessit, vt sit nominatiui casus; At manifestum est nostrum Interpretem hoc ad Gedeonem retulisse, idque concinnius, vt ex hac compellatione eius animum præpararet ad bellum contra Madianitas suscipiendum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 8.

Qui misit ad eos. Hic consequenter describitur liberatio de dicta tribulatione. Circa quod sciendum, quod sicut supra dictum est, & patet ex decursu libri, quando filij Israël peccabant, affligebantur, & quando pœnitebant, liberabantur, & ideo Dominus primò mittit eis reprehensorem, vt verè pœniteant, 2. adiutorem, vt vincant, ibi: *Venit autem Angelus*. Circa primum dicitur, *Qui misit ad eos virum*. Dicunt communiter expositores nostri, quod fuit Angelus in specie viri, & ille idem qui infra nominatur Angelus. Hebræi autem dicunt, quod fuit Phinees filius Eleazari sacerdotis. Et satis videtur ex textu, quod iste missus à Deo fuerit homo verus, siue fuerit Phinees siue alius, quia dicitur in textu, *misit ad eos virum Prophetam*. Angeli vero in sacra scriptura non vocantur Prophetæ, quantum mihi occurrit, & hoc rationabiliter, quia licet prophetica cognitio sit clarior notitia fidei, tamen est ænigmatica, cognitio vero Angelorum qui cognoscunt res in verbo, de qua est hîc sermo, clara est, & absque ænigmate.

Ego vos feci, &c. In signis mirabilibus, sicut in Exodo continetur.

MENOC.

Virum Prophetam. Cuius nomen non exprimitur. Fuit autem, vel quoad vocationem, quasi perpetuam, Prophetæ; vel ad breue istud tempus, quo populum admonerat, primum videtur verius, quia huiusmodi Prophetarum maior est auctoritas. Huius autem Prophetæ oratio conuenit cum ea, quæ supra habetur cap. 2. v. 1. 2. 3.

LYRAN.
v. 10.

Ne timeatis deos. Impendendo eis latiam.
Et nolulistis. Sed ad idololatriam declinastis, & ideo merito concidistis in tribulationem istam.

LYRAN.
v. 11.

Venit autem Angelus. Hic consequenter describitur missio adiutoris Angeli: per cuius adstantiam Gedeon habuit victoriam: & non fuit Phinees, sed verus Angelus. Circa quod primò ponitur vocatio ducis: secundò modus certaminis: cap. 7. Circa primum: primò datur

A duci præceptum ad aggrediendum pugnam: secundò signum ad cognoscendum personam esse Angelicam, ibi: *Et ille*: tertio mandatum destruendi patris idololatriam, ibi: *Cumque adhuc esset*: quarto duplex signum assequendi victoriam, ibi: *Dixitque Gedeon*. Circa primum dicitur; *Venit autem Angelus Domini in specie viri*. Tamen erat verus Angelus Dei, vt patebit ex sequentibus.

Et pertinebat ad Ioas patrem familie. Dicitur autem hîc pater non ratione generationis, sed quia erat potentior & principalior in familia sua: diuidebantur enim tribus in familias, & familie in domos, & domus in capita virorum: sicut dictum fuit Iosué cap. 18.

Cumque Gedeon filius eius, &c. Ad prouidendum sibi de victu.

Vt fugeret Madian. Ad aliquod fortalitium.

Venit Angelus Domini. Fortasse ille idem, quem dicebamus capite superiore num. 23. scilicet Michaël Israëlitiçi populi præses, & defensor. MENC.

Sub quercu. LXX. *sub terebintho*,

Qua erat in Ephra. Duplex Ephra, altera in tribu Benjamin, Iosué 18. 23. Altera hæc, in Manasse. Nomen à puluere ductum, quem Hebræi עַפְרָא dicunt.

Patrem familie Ezri. Caput familie Ezri.

Excuteret frumenta. LXX habent, *virga excuteret*.

In torculari. In loco torcularis, vbi erat torcular.

Vt fugeret Madian. Vt triticum illud Madianitarum manus effugeret, quia non ita facillè suspicarentur in torculari esse aliquid prædæ, cum nondum essent vindemiæ. Vel, vt ipsum cum tritico fugeret.

Apparuit ei Angelus Domini. In specie viri.

Et ait. Salutando eum.

LYRAN.
v. 12.

Dominus tecum, virorum. Non propter præteritâ nec propter eius conditionem: quia præparabat se ad fugam: sed propter futura, in quibus habiturus erat ex Dei adstantia victoriam. Vnde sequitur postea.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 13. 14. & 15.

Vulg. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt: De Aegypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.

Pag. Et vt quid inuenit nos totum hoc?

Arias. In me Domine mi, deditque nos in vola Midian.

Tigur. Cur nobis vniuersum hoc accidit, & vbi sunt omnia mirabilia eius?

Malu. In me sustentator mi, & existens ihuh nobiscum, &c. & omnia ardua eius, quæ numerauerunt nobis, &c.

Sept. In me Domine mi, si est Dominus nobiscum, ad quid nos inuenerunt hæc mala? Et nunc proiecit nos.

Reg. Repulit nos.

Cald. Et est diuinitas Domini nobiscum, & vbi omnes separationes eius, quas narrauerunt?

Arab. Reiecit nos in manus Madianitarum.

Vulg. Respexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian: scito quod miserim te.

Pag. Nonne misi te?

Arias. Saluum facies populum de vola Madian.

Malu. Ambula in virtute tua.

Sept. Respexit ad eum Angelus Domini.

Cald. Et reuersus est ei Angelus Domini, & dixit, ito in virtute tua hac, & redime Israël.

Arab. En misimus te!

Vulg. Qui respondens ait: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israël? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.

Pag. Ecce pater meus pauper est in Manassèh.

Arias. Ecce chalias meas tenuis.

Caier. Ecce millenarius meus pauper, &c. & ego paruus.

Tigur. Tribus mea millenaria est.

Malu. Ecce mille meum exhaustum.

Sept. Rom. Ecce chalias mea infirmata est, & ego sum minor.

Reg. Ecce familia mea humilior.

Cald. Profapia mea exigua, & ego debilis.

Arab. Rogo te Domine per quid seruabo Israëlitas, cum familia mea minima sit, & paucissima nunc ero omnium familiarum Manassis, & ego sum minimus.

Sym. Natorum.

Syr. Domesticorum patris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITTERALIS.

Obscuro; Alij, *In me*. Heb. est *ני בי* *bi*, quod licet sit interiectio obsecrantis, tamen Arias, imò & Sept. verterunt, in me, *ἐν ἐμοί*, & sane illud Hebr. potest reddi in me, quamquam hic minus conuenienter. *Vt apprehenderent nos hæc omnia*. Alij, *Vt quid inuenit nos totum hoc?* Quid autem sit totum hoc, vel hæc omnia, vt habet Vulg. rectè expresserunt Sept. dicentes: *Vt quid nos inuenerunt hæc mala? Scito quòd miserim te*. Hebr. *An non misisti?* Assue-rantissima Hebraïca affirmatio, sed Arab. pluraliter habet: *Ecce misimus te*, maioris authoritatis gratia. *Ecce familia mea infima est*; Alij, *Ecce pater meus pauper est*. Hebr. *אלפי* *alphi*, quam vocem reddidit pater meus. *אלף* *eleph*; pater dicitur quod *אלוף* *alluph*, sit doctor & pater sit dux, ac doctor filiorum, ac totius familiæ. Alij reddunt: *Ecce chilia mea tenuis*, id est, tribus mea millenaria. Per singulas tribus populus in chiliadas distribuebatur. Vnde passim in scriptura inuenies appellatos capita, vel principes millium, id est chiliarchos, q. d. Chilia mea in qua ego & familia mea sumus, tenuissima omnium chiliadum quæ sunt in Manasse. *Et ego minimus*. Alij, *Ego debilis*. Heb. *צפיר* *tsaghir*, paruus, exiguus, & potest esse ætatis, vel qualitatis.

ANNOTATIONES.

- MENOC.** **ψ. 13.** **S**I Dominus nobiscum est, &c. Non sunt hæc verba negantis, aut repugnantis, aut de diuina bonitate dubitantis, aut expostulantis, sed tantum de orationis ab Angelo (quem viatorem, sanctumque hominem putabat) veritate, & intelligentia ambigentis.
- LYRAN.** **ψ. 14.** *Vade in hac fortitudine tua.* Quam habebis per assistentiam meam.
- Et liberabis Israël.* Non per te ipsum, sed per me: ideo subditur.
- Scito quòd miserim te. Qui respondens ait:* Cætera patent ex dictis.
- MENOC.** *Respexit.* Non oculis tantum corporis, quod assumpserat, sed multo magis amicæ voluntatis, & beneficæ potentia.
- A** Dominus. Angelus Domini legatus, ac proinde Dominum referens, licet nondum agnosceretur à Gedeone.
- Vade in hac fortitudine tua.* Qua præditus es, & qua nunc auctus diuino beneficio.
- In quo liberabo Israël:* Qualis ego sum, aut quæ in me facultas, vt possim liberare Israël? **MENOC.** **ψ. 15.**
- Familia mea infima est in Manasse.* Aliarum familiarum comparatione, quæ in eadem tribu opulentiores sunt, & florentiores diuitiis, & numero capitum.
- Minimus in domo patris mei.* Vel ætate, vel minimè omnium iis facultatibus instructus, quæ ad tantum opus necessaria sunt.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 16. 17. & 18.*

Vulg. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quasi vnum virum.

Sept. Et dixit ei Angelus Domini, Dominus erit tecum.

Cald. Nam erit verbum meum in auxilio tuo, & occides Madianæos.

Vulg. Et ille, Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quòd tu sis qui loqueris ad me.

Pag. Fac mihi signum quòd loquaris mecum.

Tigur. Si impetraui gratiam coram te.

Sept. Rom. Si nunc inueni misericordiam in oculis tuis, & facies mihi omne quicquid locutus es mecum.

Cald. Si nunc inueni misericordias ante te.

Arab. Si benignitatem apud te sum nactus, da mihi signum aliquod, & ede portentum in conspectu meo, vt sciam, quòd tu modo locutus sis mihi.

Vulg. Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi. Qui respondit: Ego præ-

stolabor aduentum tuum.

Pag. Educam sacrificium meum, &c. donec reuertaris.

Arias. Et nunc recedam, & educam munus meum, & ponam ad facies tuas, &c. ego manebo vsque ad reuertite.

Caier. Ego sedebo.

Tig. Et eduxero sacrificium meum cibarium.

Malu. Nunc obsecro de isto, vsque ad venire me ad te, & exire faciam minchah meum, & deponam faciebus tuis.

Sept. Rom. Ne secedas hinc, &c. donec feram sacrificium meum.

Cald. Ne nunc transeas hinc vsque ire me ad te, & afferam donum meum, & apponam ante te, ego prolongabo.

Syr. Et protulero pactum meum.

Arab. Vt proferam prandium meum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITTERALIS.

DA mihi signum quòd tu sis qui loqueris ad me. Alij, *Fac mihi signum*. Arab *Ede portentum*: quo scilicet ostendas te mecum sermonem habere ex parte Dei, vel aliquo miraculo demonstra te à Deo esse ad me missum.

Portans sacrificium; Alij, *Munus, donum, passum, prandium*. Heb. *מנחה* *minchah*, de quo pluries, est munus honorificum, donarium, oblatio. Plures volunt verum hic sacrificium intelligi, quòd ad præsentiam viri Propheta vt credebat, voluerit Gedeon, Deo offerre: Sed verius, alij munus cibarium tantum existimant, quo virum illum Dei voluerit excipere, q. d. donec proposuerim tibi cibum vnde vescaris, vt tum demùm me signo instruas, sed Angelus vertit illud in sacrificium. Sed dices Vulg. nominat illud sacrificium: Et Sept. Proferam sacrificium & sacrificabo coram te. Dicendum sacrificium dixisse, quia Angelus paulo post donum Gedeonis noluit vsurpare, sed illud conuertit in sacrificium quòd Deo obtulit. Item epulæ per catharesim sæpe vocantur *θυσία*, id est, sacrificium & victima vt patet Prouerb. 9. vers. 2 Reg. 25. Matth. 22. 4. Sept. equidem habent *θύω*, occidam, sacrificabo, sed legendum *θύω*, ponam, ita enim legit S. Aug. q. 35.

ANNOTATIONES.

- MENOC.** **ψ. 16.** **Q**uasi vnum virum. Ac si non cum exercitu praualido, sed cum vno tantum homine decertandum esset.
- LYRAN.** **ψ. 17.** *Et ille.* Hic consequenter datur signum Gedeoni, quòd vere Angelus Domini loquebatur ei: & hoc est quòd petit, dicens.
- Da mihi, &c.* Scilicet missus ex parte Dei.
- B** Da mihi signum quòd tu sis qui loqueris ad me. Oculis, auribusque percipiebat Gedeon Angelum loquentem; petit ergo, vt signo aliquo monstret, atque confirmet se talem esse, cui diuinam opem, victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi merito debeat.
- Da mihi signum quòd tu sis.*] Hoc est, signo aliquo proba, te talem esse, cui diuinam opem, victoriamque tam
- MENOC.** **TIRINVS.**

nobilem promittenti fides haberi merito debeat. Nesciebat enim Angelum esse: sed neque an Propheta esset, certo constabat. Porro signum quod hinc petit Gedeon, dedit illi paulo post Angelus, nempe ignem tactu scipionis sui miraculosè à petra productum, quo sacrificium quod Gedeon attulerat, adsumptum fuit. Patet ex Hebræo.

Petes, an licuerit Gedeoni non sacerdoti, ut pote ex tribu Manasse, sacrificium offerre, & quidem extra locum tabernaculi? Respondeo, Gedeonem hinc non sacrificasse, sed solum ministrum egisse, afferendo & componendo victimam in altari ex imperio & præscripto Angeli, qui scipione suo ignem è petra educens, vltimam primamque operam sacrificio impendit. Ac proinde sacerdotis partes hinc egit Angelus, Deo omnium Domino sic iubente. Vnde, quod v. 18. Gedeon dicit, se sacrificium allaturum & oblaturum Angelo; non nisi materialiter accipi potest: nam formaliter afferebat illud Gedeon pro munere coniuuali, quod ex intentione Gedeonis seruiret pro prandio, sed voluntate Angeli conuersum fuit in sacrificium. Ita Theodoretus, Caietanus, Arias & Serarius.

Nota tamen, cum nocte sequenti iussit Deus Gedeoni ut taurum sibi in eadem petra immolaret, cum ipso etiam Gedeone dispensasse, ut sacerdotij munere fungeretur, offerretque holocaustum procul à loco tabernaculi: sicut postea dispensauit cum Sarnuele, Elia, & aliis quibusdam. Nam, ut optimè notat sanctus Augustinus. *Ita Deus legitima illa sacrificiorum constituit, ut leges non sibi, sed hominibus daret.* Vnde poterat, quodcumque placeret, extra legis suæ limites; ius sacrificandi dare quibus vellet seu hominibus, seu Angelis, & quocumque loco, aut tempore, aut modo vellet.

LYRAN. *Ne recedas, &c.* Non est intelligendum quod per hoc vellet offerre sacrificium ei qui sibi apparebat, quod soli Deo est offerendum: cum adhuc ignoraret si esset propheta, vel Angelus à Deo missus: sed quod volebat experiri per signum à Deo datum in acceptione sacrificij, per illum qui sibi apparebat Deo offerendum, si esset vere à Deo missus. Nec in hoc peccauit: quia licet esset prohibitum offerre sacrificium extra locum vbi erat tabernacu-

lum; prout dictum fuit Iosué 22. hoc tamen intelligendum est, sicut ibidem dictum fuit, de modo communit poterat tamen alibi offerri de speciali mandato Dei per Angelum, vel prophetam loquentem in nomine Dei: quod iste Gedeon volebat experiri secundum illud 1. Ioan. 4. *Probate spiritus si ex Deo sint.*

Ne recedas hinc, donec reuertar ad te portans sacrificium, & offerens tibi. Pro eo quod habemus (*offerens tibi.*) Hebr. est, *Ponam ante te.* Vnde non est putandum Gedeonem voluisse Angelo offerre sacrificium, quod non licet offerre nisi vni Deo; imò & Gedeon ne quidem sciebat esse Angelum, sed cum eo loquebatur tanquam cum homine. Et ideo voluit experiri per signum aliquod in offerendo sacrificio, vtrum ille qui sibi loquebatur, & benè precatus erat, verè esset à Deo missus. Quia in re Gedeon non peccauit. Si de eo magis moueri potest quaestio, quomodo non in eo peccauerit, quod ausus est sacrificium offerre extra eum locum, qui à Deo designatus erat, hoc est, extra Silo, vbi erat tabernaculum? Respondet diuus Augustinus eum id non fecisse proprio instinctu, sed approbante eo, quem initio Prophetam esse putabat, postea autem Angelum Domini esse intellexit. Imò non tam ipse Gedeon, quam Angelus in offerendo sacrificio minister fuit, qui excusso igne de petra, sacrificium incendit. Quare hac in re Dei autoritatem Gedeon secutus est. Et eadem excusatio est, quod voluit offerre ipse non sacerdos.

Portans sacrificium. Hebr. *portans munus.* Gedeon enim eo tantum animo fuit, ut hospiti cibum apponeret, & hoc consilio azymos panes coxit, & hædum mastrauit, Vocatur autem *sacrificium*, primò phrasi scripturæ, in qua sacrificare interdum est quod simpliciter mastrare. Sic 1. Reg. 25. 11. ait Nabal: *Tollam carnes pecorum meorum, qua occidi tonsoribus meis*, in Græco est, *sacrificanti, τρώγων*, Matth. etiam 22. 4. dicitur: *Tauri mei & altilia mea occisa sunt.* Græcè *τροπύνα*, *sacrificata.* II. quia, quæ Gedeon tulit in cibum, Angelus vertit in sacrificium, ut videbimus in sequentibus.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 19. 20. & 21.

Vulg. Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinae modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, & ius carniū mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei.

Pag. Parauit hædum caprarum & modium farinae fermentatae.

Arias. Fecit hædum, & modium farinae azymorum.

Caiet. Et eduxit ad eum sub Ela, & appropinquauit.

Tigur. Parauit Epha farinae, placentas fermentatas posuit.

Sept. Et Oephi farinae, carnes posuit in cophino, &c. & ea protulit ad eum sub terebinto.

Reg. Sub quercu.

Cald. Fecit hædum filium caprarum, & mensuram farinae, azymum coxit, &c. coctum posuit in lebete.

Syr. Et vinum defæcatum immisit in lagenam, protulit foras.

Arab. Mastrauit hædum & parauit illum, posuitque modios quatuor similes, azyma & panes cum carne disco imponens, vinumque purum in heminam infundens protulit ad eum, obrulitque ei sub arbore terebinti.

Vulg. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde. Cumque fecisset ita,

Arias. Tolle carnem, & fermentata & pone ad pe-

tr a m.

Malu. Accipe carnem, & massas, & depone super ripam istam.

Sep. Rom. Et ius iuxta effunde.

Reg. Ius effunde.

Cald. Et coctum effunde.

Syr. Repone super lapidem, & defæcatum effunde super illum.

Arab. Vinumque purum effundito super vtrumque.

Vulg. Extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: ascenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit: Angelus autem Domini euauit ex oculis eius.

Pag. Et recessit Angelus.

Arias. Misit extremitatem fulcri, &c. & comedit carnem, &c. & abiit.

Malu. Extremitatem sustentaculi & tetigit in carne, & in massis eius, &c. & Angelus ambulauit de oculis eius.

Cald. Extendit caput baculi, &c. & Angelus ascendit è regione oculorum eius.

Syr. Et emerfit ignis è lapide.

Arab. Tunc eleuans baculum, &c. baculi apicem admouit, & sublatus ab eo Angelus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Coxit hædum; Alij, Fecit, parauit hædum, filium caprarum, id est, tenerum, lactentem adhuc sub vberibus, & cura matris. Fecit autem, idem est quod parauit. Quomodo autem parauit, explicuit Vulg. dicens: *Coxit de farina modio azymos panes*; Alij, *Parauit Epha.* Sept. *Et Oephi farina.* Vide Concord. cap. 16. Exodi. *Et obtulit;* Alij, *Accedere, appropinquare fecit*, id est, exhibuit vnde vesceretur. *Ius carniū mittens in ollam,* Syr. *Vinum defæca-*

um immisit in lagenam. Arab. eodem modo, sed apud eos nulla fit mentio vini: Et licet non dubitem, quin etiam potu vinum optimum attulerit, tamen etiam ius ex carnibus allatum, quod Syr. & Arab. omiserunt, & loco illius vinum ab ipsis dictum est etiam oblatum. *Euanuit; Alij, Abiit, ambulauit,* sed melius Interpres. *Extendit summitatem virgæ; Alij, Fulcri,* eo enim sustentari videbatur tanquam viator.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 19.

A *Zymos.* Ex hoc dicunt Hebræi, quod erat solemnitas Paschalis, in qua Iudæi septem diebus vtuntur azy-mis. Sed hoc argumentum non valet; quia panes Domino oblatis debebant esse azy-mi etiam aliis temporibus.

Tulit omnia sub quercu. Non tanquam ei sacrificandi, sed vt per eum offerretur Deo sacrificium, gratiâ.

MENOC. *Pone super petram.* Petram delegit, vt sacrificij huius esset altare, quod ex rudibus lapidibus confectum erat Exodi 21.

Ius de super funde. Ius cum sit aquosæ materiæ, miracu-

A lum auget quod versiculo proximo patratum ab Angelo narratur. Hæc etiam iuris superfusio vnctionis illius instar habuit, quia holocausti altare Gen. 28. 18. Vel, vt vult Arias, fuit instar libaminis in sacrificiis adhiberi soliti.

Extendit Angelus, &c. Tanquam offerens sacrificium.

Ascenditque, &c. In signum diuinæ acceptationis.

Ascendit ignis de petra, &c. Quo igne in holocaustorum morem ea omnia absumpta sunt, quæ extemporaneo illi altari erant imposita.

LYRAN.
v. 21.
MENOC.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 22. ad 26.

V *Vulg.* Videntque Gedeon quod esset Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

Malu. Et vidit Ghidghon, Ahah adonai Ihuh quia super sic vidi, &c. facies ad facies.

Sep. Rom. Ah ah Domine mi Domine.

Reg. Hei mihi.

Cald. Obsecro Domine Deus.

Arab. Quod Angelus Domini esset oculatim.

Vulg. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.

Malu. Non timebis, non morieris.

Arab. Non enim morieris modo.

Vulg. Edificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitque illud, Domini pax, vsque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri.

Pag. Vocauit illud Adonai Salom, adhuc est in Ophrat patris Hezri.

Malu. In Ghoprah Abighozerita.

Alij. Quum proclamauisset ipsi Iehoua pacem.

Cald. Edificauit, &c. ante Dominum & seruiuit super illud ante Dominum, qui fecit ei pacem.

Syr. Adhuc extabat in Ophra ciuitate patris Ezri.

Vulg. Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succide.

Pag. Tolle iuuenicum bouis, & iuuenicum secundum sep-

tennem.

Malu. Dirues altare Baghal quod patri tuo, & lucum, qui super illud est, excindes.

Sept. Accipe vitulum taurum.

Cald. Accipe bouem filium bouum, & bouem secundum, qui saginatur septem annis.

Syr. Contigit autem eadem die, &c. euerte aram Baal idoli patris tui, Esterem illi superpositam excide.

Arab. Concisaque Afira idolo scæmineo, quæ est super idem altare.

Vulg. Et edificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, super quam antè sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris.

Pog. Super verticem arcis ordinatæ, &c. ascendere facies holocaustum cum lignis luci, quæ succides.

Arias. Super caput fortitudinis huius in ordine.

Calet. In ordinationem.

Tigur. In vertice huius rupis in loco apto.

Vatab. In planitie ad libellam æquata.

Malu. Super caput obfirmationis istius in ordinatione ascendere facies ascensionem in lignis luci.

Sept. Rom. Super cacumen Maozi huius in ordine, & fume vitulum secundum, & offeres holocaustum.

Syr. Super verticem muniminis huius struem composito ex lignis Estheris.

Arab. Offer in oblationem & in struem ipsius adhibe ligna idoli Afiræ.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V *Ocauit illud Domini pax* Alij, *Quum proclamauisset ipsi,* nempe Gedeoni, *pacem,* quod sic explicant, quum cum, & de communi Israëlitarum salute, & ex particulari ipsius confirmasset Dominus, proclamauit ei pacem, sed sensus ille non est germanus, sed quem habet *Vulg.* scilicet quod ipse Gedeon vocauit nomen altaris, Domini pax: Dixerat enim illi Dominus, pax tecum, non morieris, & in gratitudinem, nomen hoc altari indidit. *Et nemus, quod circa aram est, succide.* Syr. *Esterem illi superpositam excide.* Itaque duo idola agnoscit Syr. nec non & Arab. imposita huic aræ, nempe Idolum Baal, & Estheris, vel Afiræ, vt habet Arab. sed *Vulg.* cum alijs, solum vnum agnoscit, nempe Baal, & lucum circa huiusmodi altare plantatum, ipsique Idolo consecratum. *Edificabis in summitate petra huius; Alij, Super verticem arcis ordinabis.* Petra hæc in Heb. dicitur *מַגְבוֹז maghoz,* quam vocem in sua versione retinuerunt Septuag. quamque alij arcem, munitiorem, turrem reddunt: sed melius noster Interpres, qui vult petram hęc appellatam, quod sit fortis, nam *גְּחָזָז ghazaz,* radix est, fortificare, & *מַגְבוֹז maghoz,* abstractè significat fortitudinem. *Super quam ante sacrificium posuisti; Alij solum habent.* In ordinatione, in ordine: Est enim in Hebræo *בְּמַעְרַכָּה hammaharacah:* sed hanc ordinationem intellexit *Vulg.* qua scilicet carnes, & cætera super petram disposita sunt. Scio aliquos hanc ordinationem ad altare referre, vnde vertunt: *Vel in loco apto, vel in planitie ad libellam aptata:* Sed illud in ordinatione, idem est quod ordinatè, ritè, legitimè, omnibus dispositis ad sacrificium.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 22.

H *Eu mihi.* Ex hoc enim quod scriptum est Exod. 22. B *Non videbit me homo & viuet,* surrexit opinio inter vulgares, & simplices Iudæorum, quod homo videns Deum, vel Angelum sibi apparentem in specie aliqua sensibili, deberet cito mori, quod non erat verum. Ideo subditur.

B *Heu mi Domine Deus, &c.* Ita loquitur Gedeon quia inter vulgares & idiotas eo tempore vigeat opinio, eum qui Angelum vidisset, mox interire. Ita opinandi occasionem sumebant ex eo quod dicitur in Exodi capit. 33. 20. *Non videbit me homo & viuet.* Falsa tamen erat opinio, quia frequenter visis multis Angeli narratur

MENOC.

narrantur in scriptura, & semper innoxie.

LYRAN. *Netimeas.* Hoc dicitur hic per anticipationem, quia non edificauit illud, nisi post diuinam reuelationem, quæ habetur parte sequenti.

MENOC. *Dixitque ei Dominus, &c.* Trepidanti Gedeoni Angelus, qui iam paululum recesserat, dixit, ita vt commodè audire posset, *Pax tecum ne timeas, &c.*

LYRAN. *Cumque adhuc esset in Ephra que est familia Ezri, nocte illa dixit Dominus ad eum. Tolle taurum.* Hic consequenter datur Gedeoni mandatum, patris sui idololatriam destruendi, cum dicitur.

MENOC. *Edificauit altare.* Non est diuersum hoc altare ab eò, cuius mentio fit numero 26. sequenti. Sæpe enim in scripturis breuiter aliqua res tangitur, quæ postea vberius explicatur, & magis disertè. Ita hic breuiter attingitur erexisse Gedeonem aram; quo autem modo, potestate, ac loco fecerit: subiungitur enucleatius num. 25. 26. 27.

Vocauit illud Domini pax. Vsitatum erat erectis huiusmodi aris aut titulis nomina quædam imponere, vt patet Gen. 28. 22. Exodi 17. 15.

Domini pax. Scilicet est, quasi dicat: est auctor pacis, seu salutis.

Vsque in presentem. Scilicet stat altare illud.

LYRAN. *Tolle taurum patris.* Qui idolo Baal sacrificari debebat.

Et alterum taurum, id est. Impinguatum septem annis, vt idolo Baal sacrificaretur.

Destruesque. Tanquam abominans idololatriam.

Et nemus, &c. Vbi homines exercebant luxuriam.

MENOC. *Taurum annorum septem.* Qui ætate tantus sit, quanta erat Madianitica seruitus, quæ septem annos tenuerat.

Destrues aram Baal, quæ est patris tui. Ioas Gedeonis pater, idolorum cultor erat. Gedeonem verò par est credere

A impietate maculatum non fuisse, & à matre fortasse, vel aua in vero vnus Dei cultu educatum.

Nemus, quod est circa aram. Nota veterum consuetudo, qui lucos Diis suis sacrare solebant.

Taurum annorum septem.] Chaldaicè, *taurum pingue factum annos septem*, fortè vt macrandus apud Egyptios Apis plures annos saginari consueuerat, ita Rabbini Theodoretus & Isidorus. Adit Arias, priorem *taurum* vocari hic *patris Gedeonis taurum*, quòd ei proprius esset, eiusque solius nomine destinatus sacrificio Baal. Posteriores vocari *alterum taurum*, scilicet publicum, & publico totius vrbs nomine in sacrificium ei demum Deo deuotum, cuius ope iugum Madianitica seruitutis depelli contingeret: vnde & tot præcisè annis saginatus fuerat, quot eadem seruitus duraret, saginandus quoque diutius, si hæc diutius durasset, vnde & *annarius taurus* vocabatur, eo quòd seruitutis annos annis æquaret suis.

Et edificabis altare, &c. Istud est altare de quo supra dictum est per anticipationem, quod patet ex hoc quod subditur.

In summitate petra huius super quam ante sacrificium posuisti, tollésque taurum. Quia in vno loco non poterant ab eodem edificari simul duo altaria.

Tollésque taurum secundum. Impinguatum septem annis, vt prædictum est.

Et offeres holocaustum, &c. Ex prædictis patet, quòd edificando altare alibi quàm in loco tabernaculi, & offerendo ibi non peccauit, quia hoc fecit de speciali mandato Dei, vt patet ex prædictis. Cætera patent vsque, ibi.

Offeres holocaustum. Sacrificare sacerdotum erat: iussu tamen Dei Gedeon non sacerdos, extraordinarius sacrificij huius minister constituitur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 27. ad 32.

Vulg. Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte compleuit.

Pag. Tulit decem viros.

Malu. Timuit homines de facere die, & fecit nocte.

Arab. Quoniam tamen timebat domesticos suos, & metuebat ciues.

Vulg. Cumque surrexissent viri oppidi eius manè, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc edificatum erat.

Pag. Et ecce iuuentum oblatum.

Malu. Et manicauerunt in mane, & ecce demolitum, &c. & inuentus secundus ascendere factus.

Sept. Et diluculo surrexerunt, &c. & lucus qui erat exterminatus.

Cald. Anticipauerunt viri in aurora.

Syr. Viderunt, &c. & Esterem quæ super illam excisam.

Arab. Videntes altare Baalis extirpatum concisamque Asiram.

Vulg. Dixeruntque ad inuicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.

Arias. Dixit vir ad socium suum, quis fecit hoc verbum?

Sept. Et quæsierunt, & inuestigauerunt, & cognouerunt.

Arab. Quisnam tantum facinus commisit?

Vulg. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, vt moriatur: quia destruxit aram Baal, & succidit nemus.

Malu. Dixerunt homines vrbs ad Ioas, exire fac filium tuum, & mortuus fuit, quia demolitus fuit altare.

Syr. Et Esterem quæ super illud erat, excidit.

Vulg. Quibus ille respondit: Numquid vltiores estis Baal, vt pugnetis pro eo? qui aduersarius est eius, moriatur antequam lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius.

Pag. Numquid litigabitis pro Baal? Numquid saluum facietis eum? Qui litigauerit pro eo, moriatur vsque mane, si Deus est, iudicium faciat sibi.

Tigur. Nunc vos agetis causam Baal, &c. antequam lucefcet.

Arias. Qui litigauerit ei.

Sept. Numquid vos nunc iudicium facitis pro Baal? quicumque indignum fecerit ei,

Cald. Verum spatium dabitur ei vsque mane, & si utilitas est in eo, vliscatur sibi Baghal.

Syr. Nunc vel disceptabitis.

Arab. Vliscemini.

Vulg. Ex illo die vocatus est Gedeon, Ierobaal, eò quòd dixisset Ioas: Vliscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius.

Pag. Et vocauit eum in die ipsa Ierubbahal dicendo, litiget eum eo Bahal, quia diruit. *Malu.* Demolitus est.

Sept. Rom. Iudicet eum Baal.

Reg. Forum iudiciale Baal.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Produc filium tuum vt moriatur; Alij in præterito, & mortuus fuit. Sane emphatica lectio Hebraica indignationem continens, id est enim primum cum adduxeris, interficietur, quum primum exierit, habe pro mortuo, reputa mortuum. *Qui aduersarius est eius, moriatur;* Alij, *Aduersus eum contendit.* Sed dicendum est hic litigare cum eo idem esse, ac ei, id est, in eum. *Et vocatus est;* Alij, *Vocauit eum.* scilicet quia ei nomen imposuit, vel pater eius, vel alius. Verum Interpres rectè conuertit Hebraicum notissimum quo 3. persona verbi actiui passiuè, siue impersonaliter sumi plerumque solet. *Vliscatur se de eo Baal;* Alij, *Litiget eum, iudicet eum eo.* Heb. *לך יאב לו* iareb lo; sed bene vertit Interpres de eo vliscatur, eo enim in casibus criminalibus lis actoris, & Iudicis sententia tendit, vt vindicta, & supplicium inferatur.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **N**umquid ultores estis Baal? Hoc dixit, quia nolebat filium suum mori. *Qui aduersarius est eius.* Non per hominem, sed per ipsum Baal si Deus est, quia potest se vindicare.
- MENOC. *Numquid ultores estis Baal? &c.* Quasi dicat, ne solliciti sitis, sacrilegium non patietur ipse Baal in crastinum usque diem viuere, sed ab eo interficietur quisquis ille est. Magis etiam decet, ut Baal, quia potentia, ac dominatu nomen habet, seipsum vlciscatur, suasque vindicet iniurias.
- Ex illo die vocatus est Gedeon, &c.* Id est, fortis contra Baal secundum proprietatem Hebraici sermonis, quia non vindicauit se de eo Baal, cum tamen destruxisset altare eius.
- Vocatus est Gedeon Ierobaal.* Quod idem est ac *impugnans Baal*, vel *indicans*, aut *damnans Baal*.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 33. ad ultimum.

- V**ulg. Igitur omnis Madian, & Amalec & Orientales populi congregati sunt simul: & transeuntes Iordanem, castrametati sunt in valle Iezraël.
- Arias.* Collecti sunt pariter.
- Malu.* Vnitè, & transierunt, & defederunt.
- Sept.* Congregati in idipsum.
- Cald.* Ut vnus, & posuerunt in planicie.
- Syr.* Et ecce vnà conspirantes.
- Vulg.* Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, ut sequeretur se. *Arias.* Et accitus est ab Abiezer.
- Malu.* Infixus in tuba, & conclamatus fuit post eum.
- Sept.* Cecinit in cornea, & clamauit Abiezer post te.
- Cald.* Et spiritus fortitudinis ab ante Dei vestiuit Gidhon.
- Arab.* Descendit Spiritus, &c. & insufflato cornu exierunt ciues Israël per vestigia eius, & assecuti sunt eum qui occurrerunt ei.
- Vulg.* Misitque nuntios in vniuersum Manassën, qui & ipse sequutus est eum: & alios nuntios in Aser, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei.
- Arias.* Legatos misit, &c. & ipse accitus est post eum, ascenderunt in occursum eorum.
- Malu.* Et clamatus fuit etiam ipse.
- Sept.* Ascendit in occursum eorum.
- Reg.* Ascenderunt in occursum eius.
- Vulg.* Dixitque Gedeon ad Deum: Si saluum facis per manum meam Israël, sicut loquutus es.
- Arias.* Si tu es saluans in manu mea.
- Cald.* Si tu es liberans.
- Vulg.* Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut loquutus es, liberabis Israël.
- Arias.* Ego statuens vellus.
- Cald.* Deponens, &c. super vellus in singularitate sua, & super omnem terram ariditas.
- Syr.* Ponam vellus lanigerum.
- Arab.* Tonsuram lanæ, si descenderit pluuia super solam tonsuram.
- Vulg.* Factumque est ita. Et de nocte confurgens, expressit vellere, concham rore impleuit.
- Pag.* Surrexit in crastino & constrinxit vellus, & expressit rorem de vellere plenam phialam aqua.
- Arias.* Expressit plenitudinem Phialæ aquarum.
- Malu.* Manicauit de crastino, expressit impletionem concham aquarum.
- Sept.* Et stillauit ros de vellere plena lagena aqua.
- Cald.* Anticipauit in die post eum, &c. & exiuit ros complementum lagena aquarum.
- Syr.* Elicuit catinum plenum aqua.
- Arab.* Emanauit plena situla aqua.
- Vulg.* Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentauero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.
- Arias.* Ne irascatur nasus tuus in me.
- Malu.* Non exardebit tantummodo ictum.
- Cald.* Ne fortificetur indignatio tua in me, erit tunc siccitas in vellere, in singularitate tua.
- Arab.* Et hac etiam vice per tonsuram probaturus.
- Vulg.* Fecitque Deus nocte illa, ut postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.
- Arab.* Fuit siccitas super solam tonsuram.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Spiritus Domini induit Gedeon. *Cald.* Spiritus fortitudinis ab ante Dominum vestiuit, Induendi verbum Hebrais, copiam & vbertatem alicuius rei cum extremis & perspicuis signis denotare solet, ut Psal. 39. vers. 26. 64. vers. 14. 92. vers. 1. & alibi. Hic sanè summam vim & impulsu diuini Spiritus, quo perfusus fuit, designat: *Qui occurrerunt ei: Alij, Et descenderunt in occursum eorum*, Gedeonis scilicet, & sociorum è tribu Manasse. *Sept. Rom. Ascendat in occursum eorum*, quod videtur ad Gedeonem referri, qui misit ad eos nuntios, & venientibus occurrit. Tamen *Reg.* habent, *Ascenderunt in occursum eius*, scilicet Gedeonis, nempe Asiritæ, &c. Sed idem est omnium sensus cum occursum sit ex vtraque parte. *Concham impleuit; Alij, Phialam, legenam, catinum.* *קפד sephel* significans Phialam, concham, & improprie catinum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **I**gitur omnis Madian & Amalec, &c. Hic consequenter B datur Gedeoni duplex signum assequendi victoriam: & primò describitur belli præparatio, cum dicitur. *Igitur omnis Madian & Amalec*, & patet littera: secundò subditur eius petitio & concessio, ibi.
- MENOC. *In valle Iezraël.* Fuit Iezraël Iudææ tribus oppidum, Iosué 15. 56. prope montem Gelboë, non procul à Iordane.
- MENOC. *Spiritus autem Domini.* Vide dicta cap. 3. num. 10 *Domum Abiezer*, familiam Ezri, de qua ipse erat.
- MENOC. *Occurrerunt eis.* Heb. *Ascenderunt ad occurrendum eis*, coniunxerunt se cum copiis Gedeon.
- LYRAN. *Dixitque Gedeon, &c.* Videtur quod Gedeon peccauerit petendo signum, cum iam esset certificatus, quod ille qui sibi apparuerat & victoriam promiserat, esset verus Angelus Dei, ut patet ex prædictis. Ad quod dicendum, quod quando petitur signum ex diffidentia post certificationem de nuntio Dei, peccatum est. Sed quando petitur ex quadam familiaritate diuina & voluntate seu desiderio, ut manifestetur Dei gloria, tunc non est peccatum. Sicut Ezechias petiuit signum de sanitate sua futura, quam tamen annuntiauerat ei Esaias propheta, ut habetur 4. Regum 20. & Esaiæ 38. & hoc modo petiit Gedeon signum de victoria sibi futura, & patet littera hoc excepto.
- Si saluum facis per manum meam Israël, ponam hoc vellus lana in area, &c.* Quæritur, quomodo non peccauerit Gedeon post sufficientem reuelationem de victoria consequenda sibi factam, adhuc tentando Dominum? Sic enim ille ipse paulo post loquitur: *Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero signum quærens in vellere.* Respondeo, petitio signi, si procedit ex in-

credulitate, vel diffidentia de diuinis promissis, peccatum est, & ad infidelitatem pertinet: Sic Iudæi in Euangelio signa petierunt. Si autem procedat ex familiaritate cum Deo, cum desiderio manifestandæ gloriæ Dei, aut etiam discutieudi ex animo suo omnem occasionem dubitationis, non est peccatum. Hoc modo Ezechias etiam post certam prædictionem sanitatis per Isaiam Prophetam, adhuc signum petit & impetrat, neque ob id reprehensus legitur. Atque hoc modo Gedeon petiuit signum. Et tunc coniunctio illa (si) causaliter ponitur vt sit sensus: Quando quidem dignaris populum tuum per manum meam liberare, seu saluum facere, peto vt huic promissioni velut sigillum etiam addas manifestum aliquod miraculum. Et quod Gedeon nequaquam infidelitatis alicuius accusandus sit, patet ex eo quod Heb. II. inter eos numeretur, qui per fidem mira patrarunt.

MENOC. *Si saluum facis, &c.* Credebat Deum posse & velle saluum facere Israël, sed duplici signo postulat fidem suam augeri, & alacritatem magis incitari.

MENOC. *Vellus.* Lanam ab ouibus tonsam, hoc enim significat Hebr. *gibzah*, quod à radice *gazaz* deriuatur, quod tondere, excidere, succidere significat.

TIRINVS *Si ros in solo vellere fuerit.* Duo noua signa petit Gedeon, non ex infidelitate, vt putat sanctus Thomas & Abulensis (iam enim *Spiritus Domini*, nempe fortitudinis, induerat eum v. 34.) sed ex magna in Deum fiducia, ad suorum quoque commilitonum ad se vndique confluentium fidem & spem erigendam, ita Origenes, Isidorus, Lyranus, Arias, Caietanus, & colligitur ex Epistola ad Hebr. II. vers. 32.

Symbolicè, Gedeon petit primo loco, sibi tamquam vili vellere rorem gratiæ & opis cælestis: posteriore, eandem gratiam petit & terræ reliquæ, id est, suis omnibus commilitonibus.

Allegoricè, ros cælestis doctrinæ, electionis & gratiæ,

quæ prius solum vellus Iudaicæ Synagogæ humectarat, postea exsiccatis & reprobatis Iudæis humectauit fecundauitque vniuersam gentilitatis terram. Ita Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus & Theodoretus. Aliter alibi S. Ambrosius, Rupertus & Procopius, conformiter Psalm. 71. v. 6. *Ros in vellere* est Christus in vterum Virginis sine huius corruptione aut dolore, silenter & tranquille Spiritu sancto irrorante delapsus. Vide de his fusius *Gustielmum Mennens* toto libro tertio *Aurei velleris*, qui putat *Philippum Burgundie*, Ducem cognomento *Bonum*, cum nobilissimum *Aurei velleris Equitum* ordinem tertio Idus Ianuarij, anno Christi 1430. institueret, non minus ad hoc *Gedeonis vellus*, quam ad illud *Iasonis fabulosum Colchide*, mentem intendisse; nimirum vt nobilissimi Heroës illi Ordini adscripti meminissent se veros præstare Gedeones, & Baalis aras æ lucos, Turcicas moscheas & heretica conuenticula excindere, & Madianitas omnesque Dei hostes extirpare debere. Idem innuit Franciscus Haræus, & apertè affirmat Adrianus Barlandus.

B *Concham rore.* In Hebræo habetur, bacinum.

LYRAN.

Concham. Heb. *phel*, quod concham, phialam, hydriamue significat. LXX. habent *peluim*.

v. 38.

Dixitque rursus. Similem modum loquendi habuit Abraham cum Domino, quando voluit replicare petitionem suam de salute Sodomorum, vt habetur Gen. 18.

LYRAN.

v. 39.

Si adhuc semel. Non accipitur hic tentatio prout tentatio Dei, dicitur peccatum, quod est quando aliquis exponit se periculo, volens per hoc experiri diuinum auxilium, cum tamen habeat quod agere possit secundum viam humanam, sicut est probatio in duello & tactus ferri candidi, quæ merito reprobantur in iure canonico: sed accipitur hic tentatio pro petitione signi procedente ex confidentia Dei, & vt eius gloria amplius manifestetur, vt supra dictum est,

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS.

Probatis ad aquas militibus quibuscum ad bellum progredieretur, Gedeon, omine bono ex Madianite cuiusdam somnio animatus, noctu irruiit in confertos hostes, non nisi trecentis sociis comitatus, solisque rubis, lagenis ac lucernis armatus: fugat omnes multis se vulneribus conficientes: duos principes Oreb & Zeb captos interficit.



I. Gitur Ierobaal, qui & Gedeon, de nocte confurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad, erant autem castra Madian in valle ad Septentrionalem plagam collis excelsi. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon. Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne gloriatur contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum. 3. Loquere ad populum & cunctis audientibus prædica; Qui formidolosus & timidus est, reuertatur. Reverseruntque de monte Galaad, & reuersi sunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanserunt. 4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi vt tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, reuertatur. 5. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon; Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. 6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. 7. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum. 8. Sumptis itaque pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: & ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle. 9. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. 10. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. 11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigilia. 12. Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi, fusi iacebant in valle, vt locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ iacet in litore maris. 13. Cumque venisset

Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. 14. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas, viri Israëlita: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius. 15. Cumque audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit: & reuersus est ad castra Israël, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. 16. Diuisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. 17. & dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum & quod fecero sectamini. 18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per circuitum clangite & conclamate, Domino & Gedeoni. 19. Ingressusque est Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, & custodibus fuscitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas. 20. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaueruntque: Gladius Domini & Gedeonis: 21. stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, vlulantesque fugerunt: 22. & nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant, 23. fugientes vsque ad Bethsetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israël de Nephthali, & Aser, & omni Manasse, persequebantur Madian. 24. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, & occupate aquas vsque Bethbera atque Iordanem. Clamauitque omnis Ephraim & præoccupauit aquas atque Iordanem vsque Bethbera. 25. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb, & Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb verò in torculari Zeb. Et persequuti sunt Madian, capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 1. 2. & 3.

Vulg. Igitur Ierobaal, qui & Gedeon, de nocte consurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad, erant autem castra Madian in valle ad Septemtrionalem plagam montis excelsi.

Pag. Iuxta fontem Charod, &c. à colle Hamoreth in valle.

Arias. Manicauit, &c. super oculum Charod.

Tigur. Castrametati sunt iuxta Charod.

Malu. Desederunt super, &c. & defidentia Midian fuit ei.

Isid. Clar. A petra vnde speculatio patebat in vallem.

Sept. Agabaathmoræ in conualle.

Reg. A colle Abor.

Cald. A colle qui respicit ad planitiem.

Arab. Exercitus Madianitarum fuit ad læuam oræ collis in Gelaad.

Vulg. Dixitque Dominus ad Gedeon. Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne gloriatur contra me Israël, & dicat: Meis viribus libera-

tus sum.

Pag. Manus mea salutem fecit mihi.

Malu. Nequando glorificare faciet seipsum super me Israël, ad dicere: Manus mea saluabit mihi.

Cald. Fortasse magnificabuntur ante me Israël, ad dicendum.

Syr. Manus quidem mea dedit mihi victoriam.

Arab. Fortitudine mea reportauit victoriam.

Vulg. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus & timidus est, reuertatur. Recesseruntque de monte Galaad, & reuersi sunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanserunt.

Pag. Qui est pavidus, reuertatur, & surrexit è monte.

Malu. Et nunc voca, euge, quis tremens, & contremiscens.

Sept. Recedat à monte Galaad, & reuerterunt de populo.

Cald. Et nunc clamare fac nunc ante populum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Venit ad fontem qui vocatur Harad; Alij, Super Charod: iuxta Echarad. Pluries diximus עין ghen, oculum & fontem denotare. Tigur. verba Hebræa עין חרד hen charad, intacta reliquerunt. Collis excelsi; Alij, De colle moreh. Videtur noster deduxisse מרה moreh à מרה rum; Vnde dixit collem excelsum, aspectabilem. Alij collem moreh pro nomine accipiunt. Quidam arbitrantur fuisse ibi speculatorem monstrantem vias. Vnde Isid. Clar. reddit à petra, vnde speculatio patebat in vallem. Reuertatur. In Hebr. est etiam aliud verbum quod huic reuertatur, subnectitur, יצקר iitpor, quod hic tantum legitur in Bibliis cui hæc significata subsunt. Mane factò discedat; Alij, Matures abire. Recesserunt de monte Galaad. Sept. Recedat à monte Galaad. Quis sit iste mons, consule Annotationes.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **I**gitur Ierobaal. Postquam descripta est vocatio ducis, A hic consequenter describitur modus certaminis: vbi primò ponitur concertatio pugna: secundo perfectio victoria cap. 8. Circa primum primò describitur bellatorum electio: secundo electorum asscuratio, ibi: *Castra autem Madian*: tertio asscuratorum certatio, ibi: *Diuisitque trecentos viros*: quarto adiutorum associatio, ibi: *Conclamantes*. Circa primum & secundum, quod Dominus voluit eligere bellatores in paruo numero, vt sibi victoria illa totaliter attribueretur, vt patet in textu: eliguntur igitur huiusmodi bellatores duplici signo. Primum est constantia mentalis cum dicitur.

Ad fontem, qui vocatur Arad. Adrichomius vult fontem hunc esse in Australi latere montium Gelboë, in Hebræo dicitur Fons Charod, quasi dicas, *Fontem terroris*, siue à terrore Madianitarum quem non longè ab hoc fonte passi sunt, siue à timore formidolosorum, qui post aquæ haustum domum remissi sunt, de quibus paulo post.

In valle. Iezraël, de qua superiori cap. num. 33.

Collis excelsi. Pars quædam montis Gelboë.

Multus tecum est populus. Triginta duo millia pugnantorum habebat in castris Gedeon, vt apparet ex versiculo sequenti. Numerus verò Madianitarum vt colligitur ex

MENOC.

MENOC.

cap. 8. num. 10. erat centum triginta quinque millium, ita vt Israëlitarum singuli haberent plusquam quatuor Madianitas oppositos, cum quibus pugnandum erat.

LYRAN. *Qui formidolosus & timidus.* Ita quod solum constan-tes & impauidi ad prælium remanerent, vnde subditur.

Recesseruntque de monte Galaad, &c. Iste mons non est ille qui est vltra Iordanem vbi Laban comprehendit Iacob: vt habetur Genes. 31. sed est alius mons in terra promissionis qui similiter nominatur. Secundo eliguntur signo potentie corporalis ibi.

Qui formidolosus & timidus, &c. Vt ita ante prælia proclamaretur, iusserat Dominus Deut. 20.8. sed nisi Dominus monuisset, fortasse lex ista seruata non fuisset, vel propter festinationem, vel quia omnes, qui ad commune periculum tam cito, tam alacres concurrissent, viros esse fortes, minimeque meticulosos credibile videbatur.

Recesseruntque de monte Galaad. Erant Gedeonis castra

A in monte Gelboë, cuius aliquam partem vel propter similitudinem cum monte Galaad, qui est vltra Iordanem, vel ob aliquam aliam causam nobis ignotam, montem Galaad dictum esse credibile est. Abulensis quaestione sexta in hoc caput ait, montem Galaad, cuius hic est mentio, montem quemdam paruum esse ad occidentalem partem Iordanis circa urbem Iezraël. Caietanus putat sermonem esse de monte Galaad, qui est vltra Iordanem, sed eum refert ad homines, hoc modo. Qui formidolosus est, etiam si sit ex tribu Manasse, quæ Gedeonis ipseus est, & vltra Iordanem in Galaad ex parte commoratur, etiam si sit è monte Galaad, recedat.

Viginti duo millia virorum. Licet enim omnes vel plerique magno accessissent animo, vt tamen venerunt in conspectum hostilium castrorum, expauerunt, & factam discedendi potestatem amplexi sunt.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 4. ad 7.

Vulg. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixerò tibi vt tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, reuertatur.

Pag. Fac descendere eos ad aquas.

Malu. Et iussi tibi ibi: iste ambulabit ad te, iste ambulabit tecum. Sept. Emundabo eum tibi illic.

Reg. Probabo eos tibi.

Cald. Deligam eos tibi ibi.

Syr. Illic tentabo eos tibi.

Vulg. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.

Arias. Qui lambuerit in lingua sua de aquis, &c. stare facies eum ad solum, & omnem qui incuruauerit se super

genua sua ad bibendum.

Cald. Constitues eum in singularitate sua.

Syr. Simul statuero.

Vulg. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.

Pag. Totum autem reliquum populi incuruauerunt se super genua sua ad bibendum aquam.

Malu. Superrelictio populi curuauerunt se cruribus, &c.

Vulg. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum.

Malu. Et omnis populus ambulabunt vir loco suo.

Cald. In trecentis viris, proiicientes in manibus suis ad os suum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ego probabo illos: Alij, Vssi eos. Sept. Rom. Emundabo illos. Verbo *tzaraph*, omnia hæc significata subsunt, Exussi, excoxi, purgavi, examinaui: Vnde Sept. Emundabo vel expurgabo eos. Proprie dicitur de metallis, sed metaphoricè de hominibus, & aliis rebus. Præteritum autem quod ponitur in Hebræo, certitudinem & accuratissimam examinationem denotat. q. d. Certissimè & exactissimè excoquam, expurgabo illos. Syr. habet, *Tentabo eos.* Qui autem curuatis genibus biberint in altera parte erunt. In Hebr. & Sept. Rom. (non autem in Reg.) illa verba. In altera parte erunt, non habentur, sed rectè ea adiecit noster Interpres, vt perspicua fiat sententia. Ita etiam legunt Syr. & Arab.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, &c.* Non est intelligendum, quod Deus probet aliquem vel aliquos ad cognoscendum aliquid sibi ignotum, sed vt cognoscantur ab aliis.

LYRAN. *Qui lingua lambuerint aquas.* Hoc erat signum, quod non erant multum sitibundi, quia sufficiebat eis accipere modicum de aqua manu, & projicere ad os, magis per modum refrigerationis & lotionis quàm per modum potationis. Signum etiam erat quod non erant multum fatigati, quia nolebant ad terram procumbere, sed statim transire: & è contrario in illis qui biberunt curuatis genibus ad terram vt effunderent se super aquam ad bibendum in magna copia, signum erat quod erant fatigati & multum sitibundi, & ideo de exercitu fuerunt separati. Hebræi autem dicunt quod hoc fuit eo quod erant assueti curuare genua coram Idolis, sed prima expositio est magis literalis.

ESTIUS. *Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, &c.* Nota, quod sicut Dominus paulo ante, proclamatione publica separauit formidolosos à reliquis, ita nunc idem facit signo occulto. Multi enim formidolosi ad publicam præconis vocem adhuc non recesserant, dum volunt non minus, quam alij fortes haberi. Signum autem tale erat, vt qui manu ad os proiiciente, aquas lambuerent, tanquam idonei bello seruarentur, qui verò proni, & ore flumini admoto biberent, tanquam segnes do-

B mum remitterentur. Ratio autem signi est, quia stando lambere aquas, manu ad os proiecta, indicium est, hominem neque admodum sitire (quia qui sic bibunt, non multum accipiunt) & non admodum fatigatum esse, quia stando bibit, & manum ori admouet; Contra forbere aquas pronum ac iacentem, ore ipso flumini admoto, signum est hominem vehementius sitire, quia tali modo copiosius bibere potest, signum etiam eum fatigationi succumbere.

Qui caua manu aquam hausissent, eamque canum more lambuissent. MENO C.

Curuatis genibus biberint. Qui corpore prono ad fluentes aquas os applicuissent, more iumentorum cum bibunt.

In trecentis viris. Trecentos hos viros retineri iussit Dominus, quia temperantes viri, & ad sensuum voluptatem minimum inclinati, bellicis laboribus magis idonei, & in periculis animo fortiori esse solent. MENO C.

C *In trecentis viris, qui lambuerint aquas, liberabo vos.]* Vt antea timidi, sic nunc intemperantiores reiecti à bello, certissima impedimenta victoriarum, pestes castrorum. Cum enim duo sint modi, è fluentibus aquis bibendi: vnus, vt commodè in genua procumbat bibiturus, & prostrato corpore caput in ipsas aquas inclinè, sicque instar bouis vno quasi spiritu, quantum libuerit potest: alter, vt pedibus erectis, sed corpore incuruato bibiturus, vola manus quantum potest aquæ hauriat, & id sur-

sum ad os ferat, & lingua iustar canis tum elambat; certum est, qui posteriore hoc modo bibunt, fortiores sese magisque temperantes præbere, eò quòd in defatigatione & siti, qua non minùs quàm alij torquentur, ne hoc qui-

dem sibi paucillulæ aut quietis, aut refocillationis indulgere velint, vt genibus inflexis, & ore propiùs admoto aquas commodiùs quàm abundantiùs hauriant. Ita ferè Lyranus, Arias, Serarius.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 8. ad 11.

Vulg. Sumptis ita pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: & ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.

Pag. Et tulerunt escam populi in manu sua.

Arias. Diuisit virum in tentoria sua, & apprehendit.

Malu. Acceperunt venationem populus, &c. & defidentia Median ei fuit de subtus.

Sept. Sumpserunt cibaria, & carnes suas, & trecentos viros confortauit.

Reg. Sumpfit.

Syr. Muniuit.

Cald. Tulerunt commeatus & buccinas eorum, & omnem hominem Israël misit in urbem suam & in trecentis viris fortificatus est, & exercitus Madianæorum posuit contra eum in depressionibus planitici.

Vulg. Eadem autem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & descende in castra: quia tradidi eos in manu tua.

Malu. Descende in defidentia.

Vulg. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.

Malu. Descendat Phurah excussus tuus, ad defidentiam.

Vulg. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigilia.

Arias. Ad extremum quintatorum qui in castra.

Malu. Postea obtinebunt manus tuæ, in defidentia, &c. & excussus eius ad extremitatem.

Sept. Rom. Post hoc inualescent manus tuæ: descendit, &c. ad principium quinquaginta.

Cald. Fortificabuntur manus tuæ.

Syr. Confirmabuntur, descendit, &c. prope ducem.

Arab. Astitit duci.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sumptis tubis. Sept. cuius materia essent expressere, dicentes, corneas esse. *Cum trecentis viris se certamini dedit;* Alij, *Retinuit, apprehendit, confortauit,* id est, totum suum exercitum in iis trecentis viris retentis, totum robur suum constituit. *In patrem castrorum;* Alij, *In extremitatem.* Sept. Rom. *Principium,* non malè, siquidem etiam principium cuiuslibet rei extremitas est, & extremitas ea, quam adire Gedeon iubebatur, erat ea pars quæ prima, & proxima ei occurrebat. *Vbi erant armatorum vigilia;* Alij, *Ad extremum quintatorum, quinquaginta,* vbi per quinquaginta intelligitur multitudo quinquaginta militum sub vno pentacontorcho militantium. Vnde Syr. & Arab vertunt, *ducentis quinquaginta.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 8.* **S**umptis itaque pro numero cibariis & tubis omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua, quia residuum ciborum dimisit reuertentibus.

Castra autem. Hic consequenter describitur electorum affecuratio: & primò verbo diuino, cum dicitur: *Surge & descende in castra, quia tradidi eos in manu tua.* Secundò ex somnio audito: & ideo subditur:

LYRAN. *ψ. II.* *Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ.* Quod intelligitur de somnio audito, & interpretatione eius, quæ postea ponuntur cum dicitur: *Narrabat aliquis somnium proximo suo in hunc modum* cuius for-

ma subditur, cum dicitur.

Confortabuntur manus tuæ. Confirmatur à Deo Gedeon, vt auctior ipsius esset fortitudo, & fiducia, vtque milites erectiores fierent, & fidentiores, si enim cum triginta duo millia essent, tam multi trepidarunt, quid censendum de reliquis trecentis, nisi eis Dominus animos addidisset?

Ipsè & Phara. Socium assumpsit, quia ita à natura comparatum est, vt in terroribus omnibus magno vel solatio vel auxilio sit aliorum, si non plurium, duorum certè, vel etiam vnus tantum præsentia,

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 12. ad 15.

Vulg. Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi, fusi iacebant in valle, vt locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ iacet in littore maris.

Arias. Filij Kedem cadentes in valle.

Malu. Sicut arena, quæ super labium maris.

Cald. Sicut puluis, qui super littus maris ad multitudinem.

Arab. Filij Racem posuerunt castra in valle.

Vulg. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coarctauit.

Pag. Ecce torta panis hordeacei voluebat se.

Arias. Subuertit illud de super, & cecidit tentorium.

Malu. Ecce assura panis hordeorum vertentis sese in defidentia Madian.

Caiet. Et ecce tremor panis hordeorum voluentis se.

Vatab. teste aliqui legunt, & ecce strepitus panis.

Sept. Rom. Et ecce mensa panis.

Reg. Ecce subcinericius panis,

Ioseph. Et ecce massa panis.

Vulg. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas, viri Israëlitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius.

Malu. Et respondit sodalis eius, non istud nequaquam si gladius, &c.

Sept. Non est hæc.

Cald. Non est hoc.

Vulg. Cumque audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit: & reuersus est ad castra Israël, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

Pag. Cum audisset narrationem somnij & eius solutionem, incurrauit.

Malu. Et fuit secundum audire Ghidahon enumerationem somnij, & fracturam eius, procumbere se fecit, & reuersus ad defidentiam.

Sept. Reg. Tradidit in manus vestras.

Cald. Et quando audivit expositionem & laudauit.

Aliqui. Et fractorem eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

F *Vsi iacebant, Alij, Cadentes.* Id est strati, partim iacebant in terra per illam conuallem. *Quasi subcinericius panis, Alij, Torta, massa, assura panis, & tremor tinnitus.* Heb. est צליל *tselul*, vel צליל *tselil*, quam vocem alij deducunt à radice צלל *tsalah*, quod est assare, & torrere ad prunas, quod subcinericio pani, siue sub prunis rosto conuenit; Alij à צלל *tsalal*, quod est tinnire, strepere, vnde vertunt. *Et ecce strepitus.* Et quia ex strepitu inopinato merus suboritur, Caiet. vertit, *Et ecce tremor.* Sed à quacumque radice deducatur, rectè reddidit Interpres, *Ecce subcinericius panis*; nam צלל *tsalal* etiam est obtegere, quod pani, qui sub prunis, & cineribus coquitur, conuenit, consentiunt Vulg. Sep. Reg. qui מצה *afsa*, dixerunt: Est autem מצה *afsa*, panis subcinericius. Ioseph hunc panem מצה *afsa* appellat, quod eius Interpres Latinus vertit massam: sed Sep. Rom. habent, *mensa panis*, quam lectionem retinet Augustinus. *Volui, Alij, Voluebat se, voluentis se.* Est enim participium מיתפח *mithapphech*: vnde coniectantur hunc panem fuisse rotundum & orbicularem, qui rotabat, & voluebatur in castris Madianitarum. *Et interpretationem eius, Alij, Et fracturam, siue fractionem eius,* id est solutionem, ducta Metaphora à fractione nucum, vnde eruntur nuclei. Alij vertunt, *Fractorem eius*: sed Heb. nulla est forma participij, aut nominis adiectiui.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
P. 13.

V *Idebatur mihi quasi subcinericius panis, &c.* Per quem significabatur Gedeon, qui nullius reputationis erat in conspectu regum Madian, sicut panis subcinericius, & hordeaceus vilis est ex materia & forma: & hoc est quod subditur in interpretatione: cum dicitur. *Non est aliud, nisi gladius Gedeonis.*

MENOC.

Ad tabernaculum. Vel ducis exercitus, vel est synecdoche vnius tabernaculi nomine, omnia exercitus tentoria significans,

MENOC.
P. 14.

Non est hic aliud, nisi gladius Gedeonis, &c. Bene coniectat, nam Gedeon ex minima familia, & minimus ipse inter suos bene confertur cum pane hordeaceo, qui est inferioris notæ, quam triticeus. Subitaria etiam, & prope-rata expeditio, panis illius celeri volutione commodè refertur. Tabernaculi deiectio, bene euerfionem rei Madianiticæ, clademque designat.

TIRINVS

Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.] Vti somnium Madianitæ non fuerat humanum, fortuitum aut naturale, neque à dæmone, sed à Deo immisum: ita & explicatio illius non nisi Angelicæ suggestioni, aut diuinæ reuelationi ascribenda est: quia alioqui non potuisset Gedeon illa solidè niti, aut per illam certò confirmari: ita Arias, & Abulensis. Est alioquin inter hunc panem subcinericium, & Gedeonem nonnulla quoque similitudo, inquit idem Arias: nam vt panis hordeaceus, qui ex vilioribus est, sub cinerem cito coctus, visus est è terra, & statione Israëlitarum sublime raptim tolli, voluique identidem ac reuolui, tandemque in Madianitarum castra deuolui, regium tabernaculum petere, ferire, prosternere: ita Gedeon in speciem abiectus, & vix de nomine notus, subito & tumultuariè pauculis in vnum coactis copiis, exitio certissimo Madianitis futurus prænuntiatur. Et Hebræi, qui hæcenus fuerant quasi panis, & esca Madianitarum, deinceps gladius eorumdem, & exitium deuorantium se futuri dicuntur. Ita S. Augustinus, Abulensis, & Lyranus.

LYRAN.
P. 15.

Cumque audisset, &c. Ed quod inuenerat verbum confortatiuum, sicut ei dixerat Dominus. *Tunc confortabuntur manus tue, &c.* Et per hoc sciuit quod non erat somnium vanum, sed magis à Deo immisum ad confortationem Gedeonis, & sociorum eius, & ad desolationem ad-

uersariorum ipsius. Tales enim visiones, & interpretationes earum aliquando à Deo conceduntur, etiam malis hominibus, sicut & prophetandi actus, prout habetur in pluribus locis sacre Scripturæ: vnde Saluator Math. 7. c. dicit, *Multi dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo prophetauimus? &c.* sequitur. *Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, &c.* Gedeon autem ex prædictis assecravit socios suos, dicens. *Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras Madian.*

Cumque audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, Nempe, Gedeon in castris Madian audit somnium de pane hordeaceo in castra Madian deuoluto, & tabernaculum subuertente; atque insuper somnij eius interpretationem, quod hoc nihil aliud esset quam gladius Gedeonis. Per hæc igitur confirmatus est ad inuadenda illa castra. Et rectè hordeaceus panis Gedeonem significabat; quia sicut panis hordeaceus villis habetur, & contemptibilis in comparatione triticeæ aut filigineæ; ita Gedeon apud reges Madian nullius erat existimationis. Nequaquam autem putandum est somnium hoc fuisse fortuitum, sed fuit immisum à Deo ad animandum Gedeonem, eiusque socios. Nec obstat quod ille, cui somnium hoc immisum erat, fuerit à cultu viri Dei alienus. Nam & Pharaon, & Nabuchodonosor impij reges similia somnia, Deo inspirante, viderunt. Hoc autem ex eo patet, quia Deus præcepit Gedeoni, vt descenderet in castra Madian, ibi auditorus aliquid, per quod confortaretur, & securus in hostes irrueret. Deus ergo somnium illud, & interpretationem eius præparauit Gedeoni, ad certam victoriæ fiduciam. Ex quibus simul intelligitur nullum ominationis, seu obseruationis somniorum in lege prohibita, peccatum Gedeoni posse impingi; videlicet, quia signum datum à Deo non debet proprie, seu secundum vulgarem loquendi modum omen vocari, multo minus vllatenus reprehendi, qui illud obseruat, & actiones suas secundum hoc instituit.

Adoravit. Deum scilicet, gratias agens, precatusque, vt porro omnia bene succederent, vt ostenso omne Dominus ipse pollicebatur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 18.

V *Vig.* Diuisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum.

Pag. Diuisit in tria capita, &c. hydrias vacuas.

Arias. Et titiones in medio hydriarum.

Caiet. Et torres in medio lagenarum.

Tigur. In tres ordines tradidit cornua, & vacuos codos, & in medio faces.

Malu. Dimidiauit tres centos, nimirum tria capita.

Aly. Tres cuneos, tria agmina.

Sep. Rom. Diuisit in tria principia, & dedit corneas.

Reg. In tres principatus, dedit buccinas.

Cald. In tres tutmas, & dedit cados inanes.

Arab. Iussit vt manibus suis ollas tenerent, &c. in quibus fax ignea.

Tom. IV.

Vulg. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediat partem castrorum, & quod fecero sectamini.

Arias. Ecce ego ingrediens in extremum castrorum.

Malu. Desidentia.

Sep. Ex me videbitis, ingredior principium castrorum.

Cald. Ego veniam in finibus castrorum.

Syr. Me spectate, ego in media castra sum ingressurus.

Vulg. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per circuitum clangite, & conclamate, Domino & Gedeoni.

Pagn. Clangamque tuba, & omnis qui erit mecum, dicetisque Domino.

Malu. Et infigam in tuba ego, &c. & infigetis etiam in tubis, etiam vos circuitus omnis desidentia.

E iiii

Sep. Et canam in cornea ego.

Cald. In buccina, & dicetis, Gladius ad ante Dominum,

& victoria super manus Ghehon,

Syr. Gladius Domino & Gedeoni.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN tres partes, Alij, In tria capita, tres ordines. Heb. ראשי ראשי *raschim*, quod licet interpretetur, capita, principia, significat tamen cuneos, scilicet sub ducibus, ita vt tres cunei centenos homines complecterentur, vel potius sumitur pro ducibus qui sub se habent istos cuneos, vel ordines militum. Vnde reddiderunt Sep. *אגזים*, principatus, siue praefecturas. *Lagenasque*, Alij, *Hydrias*, ollas; Heb. *כדים* *Caddim*, quod alij, cados, & hydrias, & ollas; vnde haec lagenae non vitreae, sed fictiles, & testaceae. *Ac lampades in medio lagenarum*, Alij, *Titiones*, faces. Scio Sept. sicut & Heb. vti voce *לפידים* *lappidim*, sicut nos lampadum: tamen significantius, alij dixere faces, nempe ex cera, pice resina confectas: nomine enim lampadum intelliguntur communiter, quae ex oleo concinnantur, quae minus idoneae essent, utpote quae facile qualibet aurâ, & vento extinguerentur. *Domino & Gedeoni*, Alij, *Gladius Domino*. In Vulg. ergo subaudi gladium.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ivisitque. Hic consequenter ponitur assecuratio certantium, cum dicitur. *Divisitque trecentos viros in tres*. Vt sic inuaderent exercitum aduersariorum per tres partes, quasi essent tres exercitus magni subito superuenientes, vt ex hoc exercitus terreretur, sicut & factum fuit vt patet ex sequentibus.

Et dedit tubas. Modus enim pugnandi fuit talis, quia quilibet de trecentis viris habebat tubam in manu dextera, & lampadem, id est, faculam ardentem in sinistra manu quae non posset de facili extingui, & lagenae vacuae erant desuper includentes faculas, ita quod lumen non posset videri, propter quod videtur, quod orificia lagenarum essent inferius versus manus tenentium faculas. Et buccinante Gedeone trecenti viri in tribus partibus circa exercitum hostium confregerunt lagenas, & sic subito apparuit lumen inclusum, & caeperunt clamare, Gladius Domini, & Gedeonis, & buccinare, & sic ex terribili sonitu tubarum, & subita apparitione luminis, fuit territus exercitus hostium, & ita turbatus, quod vnus interficiebat alium, credens percutere aduersarium, & sic fuerunt aduersarij debellati, & ex praedictis patet litera paucis exceptis quae discutientur.

Ac lampadas. Id est faculas ardentes vel torticeae, vel aliqua huiusmodi, quae non possent de facili extingui.

MENOC. *Dedit tubas in manibus eorum*. Ex aliorum enim discessu, tantus quantus nunc sufficeret tubarum numerus superpetebat. Has *cornetas*, id est, *corneas* vocant LXX.

Lagenas vacuas. Sep. habent *hydrias*, vt etiam noster Interpret hoc cap. Num. 10.

Lampades. Faces, quales sunt ex cera, aut quales sunt tædæ ex picea, aut aliis huiusmodi resinae feris arboribus.

TIRINVS *Dedit lagenas vacuas*, (has v. 20. vocat *hydrias*, puta

A testaceas) *ac lampades*.] Sic vocantur omnes lucernae, non modo quae oleo, aut alia humida materia constant, sed etiam quae dura & concreta, vt sunt cereae, oleaginae, piceae faces aut tædæ. Erant ergo *lampades* Gedeonis, lingnei torres ex pino, cedro vel cypresso, pice, cerâ vel resinâ oblitae, qui facile ignem fouebant, & vento magis accendebantur. Ita Arias & Serarius.

Conclamate Domino & Gedeoni. Et infra: *Clamaueruntque, Gladius Domini, & Gedeonis*. Sed cur non fuit hoc arrogantiae, vt suum nomen vellet audiri in voce & clamore militum, ac non potius nomen Dei solius? maxime cum audisset dicentem Dominum: *Ne gloriatur contra me Israël, & dicat, meis viribus liberatus sum*. Adde, quod & dicat Psal. 113. *Non nobis Domine, non nobis, &c.* Iudas Machabæus 2. Machab. 8. & 13. modo suis dat signum adiutorij Dei, modo victoriae Dei, nusquam autem se praecipit nominari. Sed dicendum, Gedeonem istud fecisse ex Dei praepcepto, quod intelligebat in expositione somnij, quando dicebatur, *Non est hic aliud, nisi Gladius Gedeonis*. Quibus verbis, quasi a Deo admonitus, etsi potuisset suis praecipere, vt exclamarent *Gladius Gedeonis*, tamen non est passus suum nomen solum, nec primum audiri, sed praeposito Dei nomine, dici iussit; *Gladius Domini & Gedeonis*.

MENOC. *Domino & Gedeoni*. Quid hoc significet, colligimus ex Num. 20. vbi habemus: *Gladius Domini, & Gedeonis*, & ex Caldæa paraphrasi, quae est huiusmodi: *Gladius a facie Domini procedit, & victoria per Gedeonis manus est*, id est, Deus Madianitas vlciscitur, Gedeon verò hac in re illius minister est. Iubentur clamare milites, quia editae vociferationes alacritatem aggredientium ostendunt, animosque hostium percellunt.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 21.

Vulg. Ingressusque est Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediae, & custodibus suscitatis, caeperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas.

Pag. Et centum viri qui erant secum extremum castrorum, in caput vigiliae mediae tantum suscitando suscitauere custodes, &c. collidendo hydrias, quae erant in manibus suis.

Caiet. Tantum surgendo surgere fecerunt custodes.

Tigur. Colligentes cados.

Malu. Et centum viri, qui ad eum in extremitate desidentiae, capite custodiae mediae, profecto surgere fecerunt obseruantes, & infixerunt in tubis, & dispergere cados, &c.

Sep. In principium castrorum, & excusserunt hydrias.

Cald. Venit in finibus castrorum, &c. & extenderunt cados.

Arab. Ingressus in castra per latus medium.

Ioseph. Circa quartam vigiliam.

Vulg. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaueruntque: Gladius Domini & Gedeonis.

Pag. Circumcinxerunt tria capita.

Arias. Et apprehenderunt in manu titiones.

Malu. Et infixerunt tria capitum in tubis, & confregerunt cados, & obtinuerunt, &c. & vocauerunt gladius, &c.

Sep. Cecinerunt tria principia in corneis, & contriuerunt hydrias.

Cald. Gladius ex ante Dominum, & victoria super manus Gedeon.

Arab. Praelium Dei est, & Gedeonis.

Vulg. Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, vlulantesque fugerunt.

Arias. Contracta est castrametatio.

Caiet. Et cucurrerunt omnia castra, & claxerunt, & fugerunt.

Malu. Et steterunt vir sub se circuitu desidentiae, & cucurrit omnis desidentia, & tarantarizauerunt, & fugerunt.

Sept. Rom. Cucurrerunt, &c. & significauerunt, & fugerunt.

Cald. Vociferauerunt, & conuerterunt.

Arab. Experfecti vero milites omnes vno clamore vociferauerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ingressus est Gedeon & trecenti viri, Alij omnes, Et centum. Sed hi loquuntur solum de illa centuria, quæ in eodem loco cum Gedeone aderat, sed Vulg. intelligit idem factum à duabus alijs centurijs. *Incipientibus vigilijs noctis mediæ*, Alij, *In capite vigilia mediæ*, id est sub mediam noctem, quia custodes, & vigiles mutari solent commoditatis causâ pro castrensi instituto, nimirum initio tertiæ vigiliæ, quæ mediâ nocte incipiebat, & sic Vulg. dixit, incipientibus vigilijs mediæ noctis. Perperam dixit Ioseph, *circa quartam vigiliam*, nam scriptura clarè assignat initium vigiliæ tertiæ, seu principium noctis mediæ. *Omnia castra turbata*, Alij, *Confracta. Cucurrerunt.* פרי יארט, deducunt à פרי & ideo reddunt turbata, confracta, contrita, oppressa, &c. Alij à פרי ריט, quod est cucurrit, & sic vertunt, cucurrerunt castra, præ terrore scilicet hostium: hinc enim, & inde fugæ se dediderunt. *Uulantesque fugerunt*, Sep. *Significauerunt & fugerunt.* Hoc est, signo dato huc illuc fugerunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Incipientibus vigilijs, &c.* Ita quod illi qui vigilauerant pro custodia exercitus erant fatigati, & deponebant arma vt dormirent, & alij qui debebant eis succedere in vigilia, nondum erant armati, & sic fuerunt citius stupefacti.

MENOC. *Incipientibus vigilijs noctis mediæ.* Noctem in horas duodecim diuidebant, cuique vero vigiliæ tres horas tri-

A bucebant, quate vigiliæ nocturnæ quatuor erant. Mediæ ergo noctis custodia ea est, quæ mediâ nocte incipit, hoc est, tertia vigilia.

Custodibus suscitatis. Non quod custodes dormirent nam tunc primum excubitori venerant, sed rei nouitate percussos significat.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 22. & 23.

Vulg. Et nihilominus insiscebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutuâ se cæde truncabant.

Arias. Posuit Dominus gladium viri in socium suum, & omnem castrametationem.

Malu. Et infixerunt trecenti tubas, & posuit Iuh gladium in sodali eius, & in omni defidentia.

Sep. Corruerunt in trecentis corneis.

Vulg. Fugientes vsque ad Bethsetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israël de Nephthali, & Afer, & omni Manasse, persequerantur Madian.

Pag. Vsque ad limitem.

Arias. Vsque ad labium, &c. & accitus est vir Israël de Nephthali.

Malu. Conclamatus fuit.

Reg. Fuerunt congregati vsque ad crepidinem Abelmehula super Tebbath, & clamauerunt vico.

Cald. Conuerterunt castra vsque ad Bethsibah, ad Szerirath vsque ad latus planitie Meholâ ad Thabath, & congregatus est homo.

Syr. Vsque ad oras Abelmehula.

Arab. Et ad terminum Abel, & Mehala.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Immisit gladium in omnibus castris, & mutuâ se cæde truncabant, Alij, *Posuit gladium viri in socium suum.* Quam phraim rectè expressit per hæc quod mutuam sibi necem inferrent. *Fugientes vsque Bethsetta*, Alij, *In Bethsetta*, in *Serarab*: sic enim Heb. sic Arab. imo & Græcè in Codice Rom. vbi missos è Taragata exprimitur. Verum est nostrum Vulg. hunc locum omisisse, sicut & Sep. Reg. & Basil. *Et crepidinem Abelmehula*, Alij, *Limitem, labium, oras.* Heb. est נפח ספח, quæ vox propriè labium significat, tamen frequenter ponitur pro cuiuscumque rei ora, & non raro pro crepidine, vel ripa fluuij, vel maris littore, nam quod labium ori est, hoc fluuij ripæ, & mari littus. Sep. Rom. omiserunt, non autem Reg. *Abelmehula*, Arab. *Abel & Mehala*, & sic vult duo esse loca diuersa, vel duas vrbes, Vulg. autem solum vnam. Sic enim D. Hieron. in locis Heb. Abelmahula, vrbs vnius de principibus Salomonis: vnde fuit & Elizæus propheta.

ANNOTATIONES.

MENOC. *Mutuâ se cæde truncabant.* Cæcitate ducti, & rabie **B** statuenti spatium dabatur. Simili penè stratagemate narrat Dio, Pompeium in nocturna cum hoste formidolosissimo Mithridate pugna, innumerabiles illius copias turbasse, fugasse, contriuisse.

Maçti, existimabant se Israëlitas cædere, quos in castris esse putabant.

TIRINVS *Immisit Dominus gladium in omnibus castris.* Heb. *immisit gladium vniuscuiusque in proximum suum, in totis castris.* Madianitæ enim putantes iam Hebræos in medijs suis castris grassari, præ pauore, mærore, & ita quisque sibi vicinum hostem esse existimans, gladio aut hasta traiciebat, & qui fugiebant, alios quoque sequentes fugientes arbitrabantur hostes esse, suoque iugulo imminere. Insequerantur enim Hebræi continuo tubarum vndique personantium clangore, & ignium collucentium fulgore, & conclamantium ex omni parte strepitu: neque vllum turbatis Madianitis aut disquirendi, aut quid agendum esset,

Conclamantes. Hic consequenter ponitur adiutorum associatio, quia filij Israël, qui non erant in prælio, videntes aduersarios fugere, insecuti sunt eos (quia vulgariter dicitur, si est qui fugiat, satis inuenitur, qui insequatur) & interfecerunt eos, præoccupantes loca per quæ poterant Iordanem transire, & patet littera vsque ibi.

Conclamantes autem viri Israël, &c. Victoriæ enim fama percebuerat, itaque statim tribus Nephthali, Afer & Manasse, Madianitas persequutæ sunt.

LYRAN. Vers. 23.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 24. & 25.

Vulg. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, & occupate aquas vsque Bethbera atque Iordanem. Clamauitque omnis Ephraim, & præoccupauit aquas, atque Iordanem vsque Bethbera.

Pag. Capite eis aquas.

Arias. Et accitus est omnis vir Ephraim.

Malu. Et conclamatus fuit omnis vir Ephraim.

Cald. Claudite super eos vadum.

Arab. Occupate eis viam ab initio aquæ vsque ad puteum, qui est prope Iordanem.

Vulg. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb, & Zeb,

interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persequuti sunt Madian, capita Oreb, & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

Pag. Et comprehenderunt, & interfecerunt.

Arias. In transitu Iarden.

Malu. Caput Ghoreb, &c. venire fecerunt ad Ghidghon.

Sept. Rom. Interfecerunt in Sur Oreb, & Zeb in Hiacephazeph.

Reg. lakebzeb.

Cald. In planitie Zeeb.

Syr. In Betcaboab.

Arab. Festinauerunt ad quærendos Madianitas, & attulerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ocupate aquas, Alij, *Capite eis aquas.* Quod quidam sic explicant, ne possint aquari, & siti consumantur, sed non est ea ratio; sed quia in illo tractu diuersa erant vada, ad quæ confugituros Madianitas verisimile erat: ideo iubet ea præoccupari: nempe ripam Iordanis, quæ est à Bethbera vsque ad initium Iordanis. *Interfecit Oreb in petra Oreb, Alij, In Sur Oreb.* Heb. enim est *צור ערב* *tzur Ghoreb.* Et sic putant esse nomen proprium loci, quasi rupes Ghoreb, nempe locum natura & arte munitum, quem sibi tanquam acrem, & pro pugnaculum regni princeps ille Oreb statuerat: sed nomen appellatiuum indicat Vulg. sic enim dictus est hic lapis, quia in eo interfectus est Oreb. *Zeb vero in torculari.* Sep. Rom. *In Hiacephazeph,* retinuerunt nomen Heb. Torcular significans, sed corruptè.

ANNOTATIONES.

MENOC.
v. 24.

Ocupate aquas, &c. Nam Madianitarum reliquæ in patriam redituræ, illac iter habituræ erant.

Bethbera. Arias putat esse eandem cum Bethabara, quæ domum transitus significat, quæ ad ripam Iordanis erat, vbi fluuius transiri solebat. Serarius putat diuersam: nam hæc dicitur *Bethbera*, & significat *domum frumenti*, illa vero Bethabara, significatque *domum transitus*, vt dixi.

LYRAN.
v. 25.

In petra Oreb. Ista est petra Oreb, de qua Moyse eduxit aquam, vt habetur Exod. 17. quia illa non est in terra promissionis, sed in deserto, ista autem est in terra promissionis. Sed aliter scribuntur in Heb. quia illa incipit per litteram he, ista autem per litteram Ain, & nominata est ista petra Oreb, quia Oreb fuit iuxta illam interfectus.

Capita Oreb, &c. Id est post Gedeon transierunt Iordanem, ad persequendum aduersarios, de quo transitu habetur capite sequenti. Et ideo illud quod dicitur hîc de ista portatione capitum vltra Iordanem, dicitur per anticipationem, quia gesta non semper scribuntur ordine quo facta sunt.

MENOC.

Oreb & Zeb, &c. Duces Madianitarum.

In petra Horeb. Cui à cæde Horeb nomen factum.

In torculari Zeb. Opinatur Arias, *torcular* hîc vocari locum aliquem inter vallem depressum, qui torcularis formam aliquam habuerit. Sed nihil vetat, & petram, & torculari propriè accipi.

A Et etiamnum in bello moris est, quàm potest quisque maximum terrendo turbandoque hosti cire strepitum, armorum concussione, manuum pedumque pulsu, tympanorum, tubarum, bombardarum minorum, maiorumque mugitu ac reboatu.

Oreb & Zeb. Hi duo è quatuor Madianitarum regibus, seu ducibus capti ab Hebræis circa vada Iordanis, nomen ab infelici morte sua locis vbi occisi sunt indiderunt, *Oreb in petra, Zeb in torculari*, ad quod fortè latebræ causâ confugerat. Reliqui duo principes *Zeebe*, & *Salmana* capite sequenti, capti & occisi sunt. Hanc victoriam comparat Abulensis cum ea quæ Iosaphato regi cælitus data fuit 2. Paralip. 20. Multisque nominibus præferenda illi cætero qui gloriosissimæ pugnæ illorum, etiam *trecentorum Lacedæmoniorum*, qui *Leonida* duce ad Termophylas numerosissimo sese *Xerxis* exercitui obiecerunt, & viginti millibus contrucidatis, morti demum omnes ad vnum ipso in loco succubuerunt. Nam nostri trecenti Gedeonij supra centum hostium millia, vt cap. seq. dicitur, & quidem solis tubis ac tædis interneconi dederunt, ne vel vno suorum desiderato aut læso.

Allegoricum de Christo, & SS. Eucharistia, & morelem de virtutibus heroicis sentum Gedeonicæ victoriæ, lampadum, tubarum, & panis subcinericij, vide apud Orientem, Gregorium, Leonem Castrum, Ioannem Oforium & Serarium.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Tribum Ephraim, quod putaret se contemptam, in Gedeon insurgentem, blandis ipse verbis compepsit. Incolas Socoth, & Phanuël sibi insultantes malè perdit. Constat Ephod aureum. Generat filios 70. ex diuersis vxoribus: & vnum Abimelec ex concubina. Relabitur Israël in idololatriam.

I.



Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, vt nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? Iurgantes fortiter, & propè vim inferentes. 2. Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer? 3. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, & Oreb, & Zeb: quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum loquutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tuebant contra eum. 4. Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transiit eum cum trecentis viris qui secum erant: & præ latitudine, fugientes persequi non poterant. 5. Dixitque ad viros Socoth: Date obsecro, panes populo qui mecum est, quia valdè defecerunt: vt possimus persequi Zeebe, & Salmana reges Madian. 6. Responderunt principes Socoth: Forsitan palmæ manuum Zeebe, & Salmana in manu tua sunt, & idcirco postulas vt demus exercitui tuo panes. 7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zeebe, & Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. 8. Et inde conscendens, venit in Pha-

nuël: loquutusque est ad viros loci illius familia. Cui & illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth. 9. Dixit itaque & eis: Cùm reuersus fuero victor in pace, destruam turrin hanc. 10. Zebee autem, & Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. 11. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe & Iegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, & nihil aduersi suspicabantur. 12. Fugeruntque Zebee, & Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. 13. Reuertensque de bello ante solis ortum. 14. Apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogauitque eum nomina principum, & seniorum Soccoth, & descripsit 77. viros. 15. Venitque ad Soccoth, & dixit eis: En Zebee & Salmana, super quibus exprobraſtis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis sunt, & idcirco postulas vt demus viris, qui lassii sunt & defecerunt, panes. 16. Tulit ergo seniores ciuitatis, & spinas deserti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. 17. Turrim quoque Phauël subuertit, occisis habitatoribus ciuitatis. 18. Dixitque ad Zebee & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: Similes tui, & vnus ex eis quasi filius regis. 19. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt filij matris meæ: viuit Dominus, quia, si seruassetis eos, non vos occiderem. 20. Dixitque Iether primogenito suo: Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim: quia adhuc puer erat. 21. Dixeruntque Zebee & Salmana: Tu surge, & irruere in nos: quia iuxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana, & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent. 22. Dixeruntque omnes viri Israël ad Gedeon: Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberasti nos de manu Madian. 23. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. 24. Dixitque ad eos: Vnam petitionem postulo à vobis: Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaëlita habere consueuerant. 25. Qui responderunt. Libentissimè dabimus. Expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: 26. Et fuit pondus postularum inaurium, mille septinginti auri sicli absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus reges Madian vti soliti erant, & præter torques aureas camelorum. 27. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam. 28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israël, nec potuerunt vltra ceruices eleuare: sed quieuit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29. Abiit itaque Ierobaal filius Ioas, & habitauit in domo sua. 30. Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius: eo quod plures haberet vxores. 31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 32. Mortuusque est Gedeon filius Ioas in senectute bona, & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui in Ephra, de familia Ezri. 33. Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum: 34. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum: 35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona quæ fecerat Israëli.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. I. ad 3.

Vulg. Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, vt nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian? Iurgantes fortiter, & prope vim inferentes.

Pag. Et iurgauerunt secum fortiter.

Arias. In fortitudine.

Tigur. Et vehementer exostulauerunt cum eo.

Malu. Quod verbum istud fecisti nobis ad nequaquam facere nobis, quia ambulasti ad cædere in Midian? & litigauerunt ad eum in obtentione.

Sep. Reg. Obiurgabatur cum eo fortiter.

Cald. Disceptantes cum eo.

Arab. Contenderunt cum eo graui contentione.

Vulg. Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer?

Malu. An non bonum racemationes Ephraim de vindemia Abighezer?

Cornel. à lapide. Pueriles conatus Ephraim maiores sunt forti irruptione Abiezer.

Cald. Nonne boni debiles domus Ephraim præ fortibus domus Abighezel.

Arab. Et quid est quod egi modo, nihil feci quod non sit inferius actione vestra, nonne reliquæ vuarum Ephremi præstantiores sunt vindemia? &c.

Vulg. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb: quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum loquutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tuebant contra eum.

Pag. Tunc leniuit se spiritus eorum ab eo, quoniam loquutus est verbum hoc.

Arias. Remisit se spiritus eorum. Ita Sept.

Cald. Queuit spiritus.

Syr. Recessit.

Arab. Sedata est ira eorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Iurgantes fortiter, & prope vim inferentes, Alij, Iurgauerunt secum fortiter. Scio Caietanum asserere, hæc verba, & prope vim inferentes, superflue, sed nihil superfluum in Scriptura sacra. Et ideo, licet in alijs ea non habeantur, ea addidit Interpres, vt dilucidius explicaret quid sibi vellet istud iurgium, & quousque processisset, nimirum vt ægrè manus ab eo abstinerent. Nonne melior racemus Ephraim? Alij, Racemationes. Heb. est plurale scemininum ערלות gholeloth, quod est racemi vltimi, qui in vinea post vindemiam relinquuntur. Cuius Metaphoræ sensus est, nos Abihazeritæ, non tantum pugnando, quantum vos Ephraimitæ fugatos à nobis persequendo, consequuti sumus. Cornelius autem qui reddidit pueriles conatus, &c. ait ערלות gholeloth,



significare pueriles cogitationes, conatus, opera Ab oleb, id est puer. *Requieuit spiritus eorum, quo tuebant contra eum, Alij, Leniuit, remisit se spiritus eorum, id est, placati sunt illius sermonibus.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 1.

D*ixeruntque.* Hic consequenter describitur victoriæ perfectio, vbi primo ponitur occasione huius victoriæ contentio, secundo malignorum derisio, ibi: *Cumque venissent.* Tertio aduersariorum comprehensio, ibi: *Zebee autem & Salmana.* Quarto derisorum punitio, ibi: *Reuertensque de bello.* Quinto aduersariorum comprehensorum occisio, ibi: *Dixitque ad Zebee & Salmana.* Sexto prædæ diuisio, ibi: *Dixeruntque.* Septimo sequens transgressio, ibi. *Fecitque.* Circa primum sciendum quod Iacob Patriarcha benedicens filiis Ioseph Manasse & Ephraim, præposuit Ephraim ipsi Manasse, vt habetur Gen. 48. Propter quod tribus Ephraim præponebat se tribui Manasse. Gedeon autem erat de tribu Manasse, vt patet ex dictis supra. c. 6. & ideo isti de Ephraim fuerunt indignati de hoc, quod Gedeon posset de victoriæ præ ipsis gloriari.

Iurgantes. Quod videns Gedeon maluit ei gloriam victoriæ tribuere, quam si seditio moueretur inter eos, dicens.

MENOC.

Quid est hoc quod facere voluisti? &c. Euocarat Gedeon supra cap. 6. 35. ad belli huius societatem, & auxilium tribus quatuor; omiserat cum alias, tum vero tribum Ephraim. De hoc ista iam queritur, & tumultuatur, quasi per contemptum fuisset præterita; aut quod illi inuidisset gloriam, quam totam in suam tribum Manasse Gedeon deriuare voluisset.

LYRAN.
V. 2.

Quid enim tale facere potui quale vos fecistis? Quasi dicat, vobis est attribuenda victoriæ, & non mihi. Ad quod, rationem apparentem inducit, dicens.

Nonne melior. Loquitur parabolicè, Racemus enim, continet pauca grana, vindemia autem multa. Per hoc igitur significat, quod pauca personæ captæ, & occisæ à filiis Ephraim, erant maioris ponderis, quam multitudo victa, & occisa ab exercitu qui erat cum Gedeone, quem de-

nominat Abiezer, cuius domum vocauerat ad prælium, vt patet ex supra dictis cap. 6. vt sic ex humilitate, etiam non adscribat sibi victoriæ dictæ multitudinis, sed alteri. Vel potius, quia ipse Gedeon erat de familia Abiezer, & ideo factum illud non attribuit sibi, sed toti familiæ ab Abiezer denominatæ. Quod autem pauca personæ captæ à filiis Ephraim essent maioris ponderis, designat cum sequenter dicitur.

Quid tale facere potui, quale vos fecistis? In Hebræo & Græco est, Quid feci nunc sicut vos? Qui scilicet Oreb, & Zeb Madianitarum principes cepistis.

Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? Adagialis locutio. Sensus est, vos o tribus Ephraim, adeo præstantiores estis tribu Manasse, vt vestra racematio nostram superet vindemiam. Vos, post vindemiam caesorum Madianitarum, cepistis eorum duces, at facinus hoc pluris est, quàm quæ nos ex tribu Manasse (qui in cæteris etiam vobis concedimus) in hoc bello præstitisse videmur.

Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? Id est, paucula personæ à vobis Ephraimitis captæ & caesæ, puta Oreb & Zeb, reges Madianitarum, nonne iure merito pluris æstimandæ sunt, quam omnes reliqui Madianitæ, quos ego cum meis contribulibus cæcidi? Ita Abulensis & Arias. Ergo blande, humiliter ac modeste se suosque deprimens vir sapientissimus æquè ac fortissimus, quiritatoresque illos extollens, sedauit iurgia, conciliauit offensos.

In manus vestras, &c. Id est spiritus superbiæ, quia non quærebant nisi gloriam victoriæ. Ex hoc autem loco, & forte similibus accepit postea Salomon parabolam, quæ habetur Prou. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo autem durus suscitatur furorem.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 7.

V*ulg.* Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transiit cum cum trecentis viris qui secum erant: & præ lassitudine, fugientes persequi non poterant.

Pag. Qui erant secum lassii, & persequentes.

Malu. Defatigati.

Sept. Esurientes.

Syr. Qui erant cum eo currentes & languidi.

Arab. Gradientes passu tam concitato, vt debilitatem, & deliquium animi paterentur ob famem.

Vulg. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valdè defecerunt: vt possimus persequi Zebee, & Salmana reges Madian.

Pag. Date tortas panis populo qui est mecum in pedibus, quia lassii sunt.

Tigur. Date globos panum.

Malu. Orbes panis.

Sept. Rom. Date nunc panes in alimentum.

Cald. Buccellam panis.

Arab. Date singulos panes, quia languore defecerunt.

Syr. Buccellam panis.

Vulg. Responderunt principes Soccoth: Forsitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua sunt, & idcirco postulas vt demus exercitui tuo panes.

Malu. Et dixit (Ita Arias.) Principes: An vola Zebach, Tzalmunag in manu tua, quia dabimus militiæ tuæ?

Vulg. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee, & Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.

Pagn. Arias. Triturabo carnem vestram.

Tigur. Atteram, &c.

Malu. Et oxyacanthis.

Alj. Scorpionibus.

Sept. Et in Narcenim.

Reg. Tribulis.

Arab. Sentibus deserti.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITTERALIS.

D*ate panes, Alij, Tortas, globos panis.* ככרות *ciceroth*, massas, globos, orbes, panes significat. Est enim ככר *kicar*, omne illud quod latam habent planiciem cum rotunditate. *Qui mecum est, Alij, Qui est cum pedibus.* Id est, qui vestigia mea sectantur. *Conteram, Alij, Triturabo.* Heb. *ורשתי verashti*, triturationem autem illa intelligenda est vsque ad necem, quod genus mortis leuissimum. *Tribulis, Alij, Oxyacanthis.* Heb. est *נרקנים barkanim*, quæ vox denotat tribulos acerrimos, & acutissimos, vel scorpiones, quia spinæ sunt nodosæ & aculeatæ, quibus Martyres crudelissimè cædebantur. *Oxiacantha* est spina implexa acuta, quæ hortorum oras sæpè ambit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transfuit eum cum trecentis viris, &c.* Hic consequenter describitur Gedeonis iniusta derisio, quia cum peteret refectorem ab illis qui erant de populo Israël, ut posset persequi aduersarios fugientes, non solum non dederunt, sed etiam derisorie responderunt: & patet littera paucis exceptis.

LYRAN. *Dixitque ad viros Socoth.* Socoth non est hic nomen mansionis filiorum Israël in exitu eorum de Ægypto, quia locus ille est in Ægypto, ut habetur Num. 33. sed est locus vbi Iacob recedens ab Esäu, post confederationem fixit tabernaculum, & appellauit nomen illius loci Socoth, ut habetur Gen. 33. & erat locus ille prope Iordanem.

Date, obsecro, panes. Confidenter petebat ab eis, quia erant de filiis Israël.

MENOC. *Socoth,* quæ vox *tabernacula* significat, quod scilicet Iacob ex Mesopotamia rediens, sive gratiam exquirens, ibi tabernacula fixerit, Gen. 33. Est hæc vrbs in tribu Gad.

Forfitan palma manuum, &c. Quasi dicerent, inani spe tibi victoriam polliceris, atque ita loqueris quasi iam ceperis hos reges, quos bellum instauraturos putamus, timemusque ne si vobis commeatum suppeditasse rescuerint, victoriam adepti in nos sauiant.

TIRINVS *Socoth, & vers. 8. Phannël.* Erant hæc duæ ciuitates in tribu Gad. Prior *Socoth*, id est, *tabernacula*, vocabatur,

A quod Iacob è Mesopotamia rediens, sive gratiam quærens, *tabernacula* ibi fixisset, Gen. 33. v. 17. Posterior *Phannël*, id est, *videns Deum*, quod idem Iacob ibidem Dominum vidisset, cum coque luctatus fuisset. Gen. 32. v. 30. Iustissime autem puniuit horum incolæ Gedeon quod barbara immanitate etiam frustum panis negassent duci, milique tam præclare de ipsis merito, iam penè deficienti. Neque hoc modo, sed insuper amaro quoque sarcasmo ridebant ducem suum, quasi ob-tenta iam victoria, & quidquid antea fecisset, nihil aut leue foret: quod vero adhuc tentabat, nempe assequi, & capere duces Madianitarum fugitios, inane ac ridulum esset.

B *Responderunt principes Socoth.* Negatiuè, & derisorie. **LYRAN.** *ψ. 6.*

Forfitan palma manuum Id est, iam tenes eos captos, & ideo merito Gedeon respondit.

Conteram carnes. In pœnam debitam huius iniuriæ.

Conteram carnes vestras cum spinis, tribulisque deserti. **LYRAN.** *ψ. 7.*

MENOC. Spinis, ac durioribus sentibus carnes vestras ad mortem vsque lacerabo. Meriti sanè mortis pœnam, qui fatigatos milites in causa communi exiguo commeatu non modo iuuare noluerunt, sed vltro etiam irriserunt, in milites fratres suos, in Gedeonem ducem, in Remp. ac Deum peccantes.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 12.

Vulg. Et inde conscendens, venit in Phannël: loquutusque est ad viros loci illius similia. Cui & illi responderunt, sicut responderant viri Socoth.

Vulg. Dixit itaque & eis: Cum reuersus fuero victor in pace, destruam turrin hanc.

Malu. In reuertere me in pace demoliar.

Alij. Diruam.

Alij. Si reuertar incolumis, euellam.

Vulg. Zebec autem, & Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

Pag. In Karcar cum eo circiter quindecim millia.

Arias. Omnes residui ex castrametatione filiorum Kedem cædentes.

Malu. Superrelictis de omni defidentia filiorum Orientis.

Sept. Rom. Et Salmana in carcar, &c. de castris alienigenarum.

Ioseph. Octodecim millia remanserant.

Cald. Viri euaginantés gladium.

Syr. Stringentium.

Vulg. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe, & Iegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, & nihil adpersi suspicabantur.

Pagn. Castra autem erant fiducialiter.

Tigur. Erat exercitus securus.

Malu. Percussit defidentiam, & defidentia fuit confidentia.

Cald. In via habitaculi Gharabum, qui habitantes in Sechumim in deserto ab Oriente Nobahh, & Ramatha.

Syr. Percussit exercitum dum esset in tranquillitate.

Arab. Dum milites securè castrametarentur.

Vulg. Fugeruntque Zebec & Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit turbato omni exercitu eorum.

Pag. Omnia castra perterruit.

Malu. Omnem defidentiam contremefecit.

Sept. Paufecit.

Syr. Conturbauit.

Arab. Omnes verè milites timore percussi, dispersi sunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Requiescebant omnes, Alij, designant locum in quo securi degebant Madianitæ, nempe Karcar & Phannël, non procul à torrente Anon. *Quindecim millia remanserant*, Alij, *Circiter quindecim millia*. Sed Iosephus habet octodecim millia, sed vel librarij mendum est, vel scriptoris error, & oscitantia. *Ex omnibus turmis Orientalium populorum*, Sep. *Alienigenarum*, qua voce licet soleant intelligere Philistiim, tamen etiam de aliis, qui non sunt nationis Iudaicæ. *Qui in tabernaculis morabantur*, Alij, *Gharabum*. Hi enim in tabernaculis morantes, erant Arabes scenitæ, qui vitam in tabernaculis transigunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Et inde.* Locus est vbi Iacob luctatus fuit cum Angelo, & ideo vocauit nomen loci illius Phannël ut habetur Gen. 32. & viri Phannël responderunt derisorie sicut præcedentes.

MENOC. *Venit in Phannël.* Inde nomen habuit hæc vrbs, quod Iacob ibi Dominum viderit, cum eoque luctatus sit, Gen. 32. 33. Phannël Aquila vertit, *facies Dei*, Sep. *species Dei*. Est autem hæc vrbs in eadem tribu Gad, contra torrentem Iaboc, in finibus Amorrhæorum.

Tom. IV.

C *Destruam turrin hanc.* Quod propterea minatus est Gedeon, quia (ut ait Abulenti. quæst. II.) minitanti Gedeoni responderint, se ipsius minas nihili facere; sibi aduersus eas turrin illam suam stare.

Zebec autem, & Salmana, &c. Hic consequenter describitur comprehensio aduersariorum qui remanserunt. Et patet littera vsque ibi. **LYRAN.** *ψ. 10.*

Qui securi. Quia erant vltra Iordanem, nec credebant quod Gedeon transfiret Iordanem, ad persequendum eos, & quia **LYRAN.** *ψ. 11.*

F

repentè venit super eos, fuerunt de facili capti, & debellati. **A** *Per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur.* Hi sunt Arabes, qui à tabernaculis *Scenitæ* appellati sunt. *Ad Orientalem partem Nobe.* Huius vrbs mentio fit Num. 32. v. vltimo.

Iegbaa. Erat in tribu Gad, eiusque mentio fit Num. 32. *Securi erant, & nihil suspicabantur.* Quia noctu fuerat commissum prælium, non putabant Madianitæ futurum, vt nullam suis quietem daret Gedcon, præsertim cum amnis esset etiam transmittendus.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 15.

V *Vulg.* Reuertensque de bello ante solis ortum.
Pag. Desuper existente sole.
Arias. Desuper sole.
Caiet. Ante ascensum, vel ab ascensu solis.
Tigur. A loco accliu ad Orientalem plagam.
Isidor. Clar. Ante solis occasum.
Malu. Reuersus fuit de cæstione, de ad ascensionem solis.
Sept. Rom. Desuper acie Ares.
Aquila. Ab ascensu saltum.
Sym. Montium.
Cald. Vsque non intrare solem.
Syr. Ex accliu Hudes.
Arab. Ad ascensum Haras.
Vulg. Apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogauitque eum nomina principum, & seniorum Soccoth, & descripsit septuaginta septem viros.

Pag. Scripsit sibi principes Soccoth.
Malu. Cepit excussum de hominibus, &c. & postulauit eum, & scripsit ad eum.
Sept. Rom. Scripsit apud se nomina principum.
Vulg. Venitque ad Soccoth, & dixit eis: En Zebee & Salmana, super quibus exprobraſtis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee, & Salmana in manibus tuis sunt, & idcirco postulas vt demus viris, qui lassii sunt & defecerunt, panes.
Pag. Quia dabimus viris tuis lassii panem.
Malu. Defatigatis.
Sep. Rom. Ecce in quibus exprobraſtis me, &c. numquid, &c. nunc in manu tua dabimus deficientibus?
Syr. De quibus insultastis mihi, victimæ sunt in manu tua.
Arab. Vt demus feruis tuis panem, eo quod debilitati, & animi deliquio defecerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A *Nte solis ortum*, Alij, *Desuper existente sole, ante solis occasum.* Sanè nondum erat ortus sol, vt vult Arias aut quasi fuerit Meridies, quo completur ascensus solis, vt putat Caiet. *Aut quasi fuerit vespere*, vt legit Isidor. licet enim Daniel. 6. vers. 20. ascensio solis vocetur occasus solis, tamen hæc est phrasia Caldaica, qua lingua scriptus est liber Danielis. Nam Heb. Græca & Latina phrasia ascensus solis significat ortum solis, quo scilicet sol ascendit super horizontem. Quisnam autem sensus sit Sep. sicut & Syr. & Arab. non facile ex ipsorum verbis deducitur, retinent propriam vocem Ares, quam cæteri appellatiuè solem dixere. *Descripsit*, Alij, *Scripsit*, scilicet nomina principum & seniorum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 v. 13.

R *Euertensque.* Hic consequenter describitur derisorum supradictorum punitio, cum dicitur, *Reuertensque, &c.* In Hebr. habetur, de Milemaaleh, id est de altitudine solis, id est, ante occasum solis, sole adhuc existente in alto, vt exponunt Hebræi.

LYRAN.
 v. 14.

Interrogauit eum, &c. Tum quia volebat parcere multitudini populi, eò quòd erant de filiis Israël, tum quia soli

principes erant in culpa, vt patet per prædicta.

Apprehendit puerum de viris Soccoth, &c. Descripsit nomina primariorum ciuium Soccoth, qui scilicet, participes fuerant criminis, ne cum fontibus infontes eodem exitio inuolueret.

En Zeb. Ad hæc enim seruauerat eos viuos, vt ostenderet viris Soccoth victoriam à Deo sibi datam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 19.

V *Vulg.* Tulit ergo seniores ciuitatis, & spinas deserti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.
Pag. Confregit cum eis.
Arias. Cognoscere fecit in eis.
Tigur. Docuit illis ciues Soccoth.
Malu. Accepit senes vrbs, &c. & oxyacanthas.
Sep. Et apprehendit in spinis, & Barcemim, & triturauit eos.
Reg. Et comminuit eos.
Cald. Radere fecit super eos homines.
Arab. Raptauit seniores ciuitatis super sentes. Ciues autem Soccoth tormentis diuexauit.
Vulg. Turrim quoque Phaucl subuertit, occisis habitatoribus ciuitatis.
Pag. Diruit.
Malu. Demolitus fuit.
Sep. Euertit.

Arab. Euitit.
Vulg. Dixitque ad Zebee & Salmana. Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: Similes tui, & vnus ex eis quasi filius regis.
Pag. Qualis tu, tales & ipsi: vnus secundum formam filiorum regis erat.
Malu. Secundum te, secundum eos, vnus secundum delineamentum.
Sep. Rom. Sic illi, in simulachrum filij regis.
Reg. Similis eis vt species filiorum regum.
Cald. Vnus ex eis, vt conspectus filiorum, &c.
Vulg. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt filij matris meæ: viuit Dominus, quia, si seruassetis eos, non vos occiderem.
Pag. Si viuere fecissetis eos.
Malu. Si viuificassetis eos.
Arab. Per Deum viuum Dominum meum iuro, si seruassetis eos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

C *Contriuit cum eis atque comminuit*, Alij, *Cognoscere fecit in eis.* Id est notum ipsis fecit, quis ipse esset, & quantà virtute præditus, & quanto suo ipsorum damno exercitui cibaria denegauerint. Vel docuit eos suo malo sapere imposterum. Heb. est *יודאג* iodagh, id est, scire facere, scilicet per huiusmodi flagella. Serarius putat pro iodagh legendum *יודאס* iadus, id est triturauit. Sic Sep. *Et vnus ex eis quasi filius regis*, Sep. *Sicut tu, sic & illi, in simulachrum filij regis*, & sic duplex potest esse sensus. Primus, vnum ex eis insigniorem habuisse vultum eximium, & regium, sic *Vulg.* Secundum vnum, id est, quemlibet ex eis fuisse præditum formâ eleganti, qualem habere solent filij regis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ESTIVS.** **Y. 16.** **T**ulit ergo. Quia traxit per spinas, & tribulos, vel quia combussit eos igne facto de spinis, secundum alios. *Tulit ergo seniores civitatis, & spinas deserti, ac tribulos, & contrivit cum eis.* Præcedit immediatè antè; quod prius vocaverit puerum de viris Socoth, interrogans nomina principum, & seniorum Socoth, & descripserit septuaginta septem viros. In hoc facto ergo Gedeonis commendanda est prudentia simul, & severitas in vindicandis malis. Prudentia: in eò quòd annotat nomina seniorum civitatis, volens parcere multitudini, & in eos solos vindictam exercere qui peccaverant. Nempe prius narratur non plebem, sed principes Socoth contumeliosè Gedeoni respondisse. Et hoc omnibus principibus est imitandum: quatenus fieri potest, ut multitudini parentes, in eos solos animadvertant, quos esse noverunt rebellionis capita & auctores; & in illos etiam laudabiliter exercetur severitas, qualem hic exercuisse legitur Gedeon, conterendo, & comminuendo eos cum spinis, & tribulis deserti. Vide etiam similem locum secundi Regum duodecimo.

LYRAN. **Y. 18.** **Dixitque.** Hic consequenter describitur adversariorum comprehensorum occisio, cuius causa in speciali tangitur, cum dicitur.

Quales. Ibi enim manebant fratres Gedeonis, & ideo sollicitus fuit quærere, quid fuisset ibi factum.

Similes, &c. Id est, speciosi forma præ aliis.

Viri, quos occidisti in Thabor. Cum Hebræi laterent in montibus & speluncis, ob Madianitarum incurfiones, de quibus supra cap. 6. Gedeonis fratres, vel germani, vel vterini secesserant in Thabor. Hos ergo reges isti in latebra illa Thaboris repertos interemerunt. De his interrogat Gedeon.

Similes tui, & unus ex eis quasi filius regis. Respondent cum laudatione, & tacita quadam adulatione Gedeonis quod egregia esset forma, & dignitate, quæ principem deceret.

Fratres. Et ideo habuit specialem causam occidendi eos in vindictam fratrum suorum, quia propinquus occisi debebat homicidam occidere, ut habetur Num. 35.

Non vos occiderem. Nam alioquin eos occidere non tenebatur illius præcepti vi, quod Num. 31. 17. datum fuit. Hoc enim temporarium erat, quod in solum illud tempus valebat, ob vindictam sceleris, quod admiserant Num. 25. cum Israëlitas ad scortandum cum puellis Madianitis prouocarunt, & subinde ad idololatriam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 23.

Vulg. Dixitque Iether primogenito suo: Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim: quia adhuc puer erat.

Malu. Non eduxit excussus gladium suum, quia timuit, quia adhuc is excussus.

Sep. Quia adhuc iunior erat.

Cald. Quia usque nunc ille paruulus.

Arab. Formidauit aspectum eorum, quod esset adolescentulus.

Vulg. Dixeruntque Zebec & Salmana: Tu surge, & irue in nos: quia iuxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebec & Salmana: & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent.

Pag. Quia sicut vir fortitudo eius, tulitque lunulas, quæ erant in collibus camelorum eorum.

Figur. Tulit oreas auratas, quæ erant in collis.

Malu. Quia secundum virum præulescentia eius, & ac-

cepit rotunditates.

Sep. Rom. Occurre nobis, quia sicut viri est virtus tua.

Reg. Potentia tua. Tulit torques.

Cald. Surge tu, & potestatem exerce in nobis, nam ut vir, sic virilitas eius.

Arab. Accepit lunulas argenteas.

Vulg. Dixeruntque omnes viri Israël ad Gedeon: Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberaasti nos de manu Madian.

Sep. Principate nostri.

Cald. Regna super nos.

Arab. Esto nobis præpositus tu.

Vulg. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.

Sep. Non principabor ego, nec principabitur filius.

Cald. Non regnabo ego super vos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia iuxta ætatem est robur hominis, Alij, *Quia sicut vir est fortitudo eius.* Id est virilem ætatem attigisti, & ideo robore virili es præditus; vel vir es insignis fortitudinis. *Ornamenta & bullas,* Alij, *Lunulas, rotunditates.* Hebraicè solum est vnica vox *סָהָרִים* *saharonim*, quæ bullas ad modum lunæ rotundas significat, quæ adhibentur ornatus causa, sunt ornamenta circularis formæ. Vnde *סָהָרִים* *sahar*, est rotunditas. Lege non collas sed colla.

ANNOTATIONES.

MENOC. **Y. 20.** **I**ether, quæ vox præstantem significat, siue excellentem.

Surge, & interfice eos. Volebat Gedeon ab eo reges illos perimi, I. ut iniustam patruorum suorum mortem vinceretur; II. ut disceret in Israëliti populi hostes gladium stringere, III. ut maiore cum cruciatu, & dedecore mors illis inferretur; nam nec nisi raultis ictibus pueri manus inualida illos poterat conficere, & magnis viris permolestum est à tantulo puero neci dari. IV. ut victoriæ, gloriæque suæ filium participem faceret.

LYRAN. **Y. 21.** **Dixeruntque.** Tum quia magis volebant habere mortem breuem per manum hominis fortis, qui poterat hominem interficere vno ictu, quam longam per manum pueri, qui hoc non posset. Tum quia magis horrebant mori per manum pueri, qui in hoc non videtur differre à muliere, quam per manum hominis perfecti, sicut & Abimelech lethaliter vulneratus à muliere, fecit se interfici

Tom. I V.

per armigerum suum, ne diceretur quod à muliere interfectus esset, ut cap. seq.

Dixeruntque. Hic consequenter describitur prædæ diuisio, peracta enim victoria filij Israël obtulerunt Gedeoni, quòd dominaretur in terra super eos usque ad tertiam generationem inclusiuè, qui tenuit eò quòd Dominus hoc dominium retinisset, sicut dictum est supra. Petiit tamen ut de præda sibi darentur in aures aureæ, quas nobiles Ismaëliitarum portare consueuerant, quod sibi concessum fuit, & patet littera.

Dominare nostri tu, & filius tuus. Et infra: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* Videntur expetiuisse Gedeonem in regem, qui absolute, & regali iure eis imperaret; idque putabant meritis eius deberi. Gedeon autem illam eorum petitionem tanquam populo Dei minimè consentaneam reiecit, sed tantum accepit principatum, qua-

lem superiores iudices gesserant. Ed ad hoc significandum, noluit imperare, vt sibi darentur omnes inares ex præda, sed petere hoc se ab illis dixit. Petebat ergo populus Gedeonem sibi fieri dominum, quomodo filij Israël primi regum octauo petiuerunt sibi dari regem; & vtrique petendo peccauerunt, scilicet non contenti tali principatu, quem in illo populo Dominus constituisset, idque partim diffidentia diuini auxilij, partim ambitione, & æmulatione aliarum gentium. Vnde & dicebant ad Samuëlem loco citato. *Da nobis regem, vt cetera habent nationes.* Quod, quantum Deo displicuerit, indicat idem, sic dicens ad Samuëlem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

MEN OC.

Omnes viri Israël. Plurimum facit ad Gedeonis gloriam, quod Israël vniuersus in hoc conspirauit, vt principem illum facerent.

Dominare nostri. Regio more.

Tu, & filius tuus, & filius filij tui. Putat Serarius oblatam regiam potestatem in tertium tantum posteritatis. Crediderim tamen, hac phrasi offerri imperium in filios, ac deinceps in nepotes, ac posteros iure successionis perpetuo transmittendum.

MEN OC.

v. 22.

Non dominabor vestri, &c. Scilicet, vt rex. Princeps

enim, & rex vester est ipse Deus, qui populum hunc quasi peculium, & hæreditatem suam gubernat, fouet, ac tuetur.

Non dominabor vestri. Negat se admissurum dominatum regium, quem illi in tertiam vsque stirpem offerent. *Index* ergo esse non detrectabat Gedeon, imo mansit tota vita: sed huius erant limitata iura: neque enim quidquid publicum (si bellum excipias) suo solius arbitratu, sine consensu synedrij agere aut decernere poterat *Index*. At qui dominium habet absolutum, quale hinc deferrebat populus Gedeoni, nullis nisi diuinis adstrictus legibus, quidquid collibitum esset, immensa quadam licentia statuebat ac faciebat. Sed maluit princeps prudentissimus, ius & imperium diuinum in populo Dei inuiolatum illibatamque seruare, & odiosum regni munus, quod iam tum à nonnullis appeti fortè cœperat, & Samuëlis auro palam postulatum fuit, magno excelsoque animo repudiare: maior sanè repudiato diademate, quàm arrepto vel admissio euadere potuisset. Et notat prudenter Plato, *Vbi viri boni sunt, non secus illic pugnari ne quis princeps fiat, quàm alibi vt si quis fiat.*

TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 27.

Vulg. Dixitque ad eos: Vnam petitionem postulo à vobis: Date mihi inares ex præda vestra. Inares enim aureas Ismaëlitarum habere consueuerant.

Pag. Postulabo à vobis: Date vnusquisque inares spoliiorum suorum, &c. quia Ismaëlitarum ipsi.

Malu. Date mihi vir monile spolij sui, quia monilia auri eis.

Cald. Erant eis monilia, quia Arabes occiderant.

Arab. Erant enim super camelis eorum inares aureæ, quod Arabes essent Ismaëlitarum.

Vulg. Qui responderunt. Libentissimè dabimus. Expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inares de præda.

Pag. Dando dabimus, &c. Extenderunt vestimentum, &c. in aurem spoliiorum suorum.

Malu. Deiecerunt ibi vir monile spolij sui.

Cald. Explicuerunt vestem.

Vulg. Et fuit pondus postularum aurium, mille septingenti auri sicli absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus reges Madian vti soliti erant, & præter torques aureas camelorum.

Pagn. Pondus fuit mille, & septingentorum aureorum,

præter lunulas.

Arias. Cellaria, & vestes.

Tigur. Præter bullas.

Malu. Rotunditates guttatorias, & vestimenta purpuræ.

Sep. Et præter torques, quæ erant in ceruicibus camelorum.

Cald. Præter lunulas, & coronas.

Arab. Et vestes prætiosas.

Vulg. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.

Pag. Et fuit in offendiculum.

Arias. Statuit illud in ciuitate sua in Hophrah, fuitque in laqueum.

Caier. Fecit illud in Ephod, & fecit manare, &c.

Tigur. Scortatique sunt post eum omnes filij Israël.

Malu. Meretricati fuerunt, & fuit, &c. illaqueationi.

Sep. Statuit illud in Ephrata.

Syr. Confecit amiculum, &c. aberrarunt filij Israël post ipsum. *Arab.* Ex eis simulachrum, & crexit illud, &c. erraueruntque filij Israël post idolum eius, & factum est idolum, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Mille septingenti auri sicli, Alij, solum, Pondus fuit mille septingentorum aureorum. Sed subintelligendum est siclorum. Monilia, Alij, Collaria, guttatorias rotunditates. Heb. est נטפחות *netiphot*, quam vocem aliqui volunt esse torques, colli ornamenta, quæ vocat Arias collaria. Alij autem ad pixides vnguentarias, & myrotheca hæc referunt: propterea quod Hebraica radix נטף *nataph*, stillare significat.

Fecit ex eo Ephod, Alij, Confecit amiculum, conflatit ex eis simulachrum. Qui arbitrantur illud Ephod fuisse simulachrum, siue idolum, vt vult etiam Procopius, decipiuntur, quis enim credat virum sanctum, atque Deo ita familiarem, & ab eo electum, post tantam victoriam ab eo acceptam, ad idola deflexisse, & authorem idolorum fuisse? Fecit ergo illud ad perenne victoriæ monumentum. *Fornicatusque est omnis Israël in eo, Alij, Scortatique sunt post eum.* Illud enim non referendum ad Gedeonem adhuc superstitem, quasi Israëlitarum sequentes vestigia Gedeonis, hoc est post eum, Ephod tanquam idolum coluissent, sed ad eum, tanquam mortuum, id est, post eius mortem, scortati sunt: vel potest referri ad Ephod, siue amiculum, quo Israël abusus est. *Gedeoni, & omni domui eius in ruinam, Alij, In laqueum offendiculum,* non quod ipsi Gedeoni, nempe personæ ipsius fuisset in ruinam, cum ipse Ephod tanquam idolum coluerit; sed quia familiare ipsi scripturæ, vt progenitor, & caput familiæ pro tota familia, & posteritate ponatur. Et sic Gedeon capitur. Neque obstat quod additur. *Et omni domui eius;* Illud enim & potest esse exegeticum, vt idem sit quod id est.

ANNOTATIONES.

MENOC.

v. 24.

Date mihi inares. Aureas scilicet, quales Ismaëlitarum B appendere solebant auribus, vt hoc versiculo dicitur, nec tamen omnes inares postulat, sed tantum petit vt vnusquisque vnam ex præda, quæ illi obrigit, in aurem dare velit, nam Heb. est. *Date mihi vir in aurem prædæ vestrae,* id est, quilibet vnam det. Eundem sensum exhibent Septuaginta.

Mille septingenti auri sicli. Aureus sclus ferè æquiualeat quatuor nummis aureis nostratibus. Itaque mille, & septingenti auri sicli efficiunt aureos nostros sex mille octingentos.

Absque ornamentis, &c. Non tantum aurum illud datum est, sed etiam hæc insuper addita.

Ornamentis. Vox Heb. שחרונים *saharonim*, ornamen-

MENOC.

v. 26.

ta significat, quæ lunularum figuram habent, quare LXX. A & fornicati sunt cum Baalim. Hinc enim colligitur Gedeonem, quoad vixit, diligenter continuisse populum in veri Dei cultu. Vide Comment. nostrum in Epistolam ad Heb. cap. II. v. 32.

Monilibus. Heb. נטפוח netiphoth, quod à verbo נטפח nataph stillare, derivatur, vel à nomine נטפח nataph, quod sticten, guttam, balsamum, seu opobalsamum significat, videtur indicari monilia hæc olfactoriola fuisse, myrothecia, pixidulasve vnguentarias, quibus Orientales his delitijs abundantes delectabantur.

Torques aureos camelorum. Quibus scilicet eorum ceruices, & colla ornabantur.

LYRAN.
v. 27.

Fecitque ex eo Gedeon. Hic consequenter ponitur sequens transgressio, cum dicitur. *Fecitque, &c.* Id est vestem sacerdotalem quæ vocatur superhumeralis: vt habetur Exod. 28. Sciendum tamen quod istud vestimentum non est solum de auro, sed etiam de lino, & serico diuersorum colorum, & lapidibus preciosis: sicut fuit ibidem, & secundum quod dicitur in scholastica historia, & August. idem videtur dicere, quod per istud ornamentum, quod summi sacerdotis erat proprium, intelliguntur alia eius ornamenta. Iste enim Gedeon motus quadam deuotione indiscreta, vt communiter dicitur ab expositioribus nostris, voluit habere cultum diuinum in domo sua sicut erat in Silo: quod tamen erat illicitum, vt habetur Iosue 22.

Fornicatusque est, &c. Fornicatio in scriptura in tali materia accipitur pro idololatria: licet enim Gedeon vsus fuerit prædictis ad cultum diuinum tantum: tamen filij Israël post mortem eius vsi sunt in cultu idolorum, vt dicunt Doctores Hebraici & Latini.

Et factum est Gedeon, & omni domui eius in ruinam, &c. Quia Gedeon in prædictis peccauit, vt communiter dicunt Doctores, propter quod, & eius domus post mortem eius ferè deleta fuit, vt habetur c. seq. Cætera patent vsque ibi.

ESTIUS.

Fecitque ex eo Gedeon Ephod, fornicatusque est omnis Israël in eo. Ephod est indumentum sacerdotale, quod superhumeralis vocatur. Augustinus, ex parte totum intelligens, putat Gedeonem instituisse in ciuitate sua omnem ornatum sacerdotalem necessarium ad sacrificandum, non idolis, sed vni Deo, quanquam postea populus iisdem ornamentis abusus fuerit ad idololatriam; & hoc est quod dicitur: *Fornicatusque est omnis Israël in eo.* Et hoc rectè; fornicatio enim idololatriam significat, vbi de religione fit sermo. Id autem factum est, non viuente Gedeone, sed post eius mortem, quanquam hic per anticipationem referatur.

Sed quaeritur, an non saltem Gedeon peccauerit, qui huius idololatriæ occasio fuerit, fabricando Ephod? Quidam respondent eum pœnitentiam huius facti egisse ante mortem. Quibus obicitur; Si pœnitentiam egit, quomodo non destruxit quod fecerat? Vnde dicendum videtur, peccasse eum per ignorantiam, idque ex imprudenti & inordinato zelo pietatis, non attendens, quam graui de causa Dominus præcepisset, in vno tantum loco à se designando offerenda esse sacrificia. Nec aliam puto mentem esse Augustini quaest. 41. & 49. super Iudices. Peccasse enim Gedeonem affirmat, sed magnitudinem culpæ non explicat. Verum qualiscumque eius culpa fuerit; attamen sancte eum obiisse, non est quod dubitetur, attestante scriptura, quod *mortuus est in senectute bona.* Hoc enim non nisi de sanctis viris scribitur. Deinde eadem scriptura dicit: *Postquam mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israël,*

& fornicati sunt cum Baalim. Hinc enim colligitur Gedeonem, quoad vixit, diligenter continuisse populum in veri Dei cultu. Vide Comment. nostrum in Epistolam ad Heb. cap. II. v. 32.

Fecitque ex eo Gedeon Ephod. Ephod genus vestis est, MENOC. quod humeros tegit, & pectus ambit, illiusque vsus sacer erat, quia semper ad diuinum cultum referebatur.

Fornicatusque est omnis Israël in eo. Quod dicitur in eo. Hebraicus textus habet *post eum*, vt etiam Septuaginta, & sensus est, post mortem Gedeonis Israelitas in idololatriam lapsos. Vel sensus est. *In eo*, id est, *Ephode*, peccauit Israël, abutendo sacra illa veste, quam consecerat Gedeon ad diuinum cultum, si fortè aliquando contigisset tabernaculum diuino iussu transferri in Ephra, qua explanatione retenta, adhuc dicendum est, id post Gedeonis mortem contigisse.

Et factum est Gedeon, & omni domui eius in ruinam. Licet enim Gedeon non peccauerit sacrum illud instrumentum parando, quia nulla lege id facere vetabatur, tamen eius domus, & cognatio reliquos Israelitas secuta fuit postea, quod Gedeon dicitur fuisse in ruinam, non quidem in se, sed in propinquis suis cognatis, ac posteris, qui peccato Israelitarum consentientes, in magnas inciderunt arumnas, vt aliqua ex parte cognoscetur cap. 9. sequenti.

Fecit Ephod. De forma & materia huius vestis dixi E. TIRINVS Exodi 28. Sed cum varij essent Ephodes, quia vel *Politium*, quo Dauid indutus tripudiuat ante arcam, vel *Ecclesiasticus*, aut sacer: & hic vel *Pontificalis*, vel *Sacerdotalis*, vel *Leuiticus*, quaeritur, qualis hic fuerit quem fecit Gedeon? Respondeo, *Ecclesiasticum* fuisse, *Pontificali* similem, quoad formam, sed materia solidiore: nam ex auro totus erat, & gemmis. Videtur vero Gedeon in publico eum posuisse, vt esset monumentum victoriae per Dei oraculum, & opem cælitus acceptæ. Fortè etiam in memoriam sacerdotij sibi extra ordinem à Domino concessi, c. 6. v. 26. quando iussus est erigere altare iuxta domum suam, & tauros in eo immolare, voluit hanc vestem Pontificalem in familia perpetuo extare. Forfan & per Ephod significatur hic omne genus vestium sacerdotium, cum omni suppellectile ad sacrificandum necessaria. Et his vestibus etiam ipse subinde vsus est in sacrificijs Deo istuc offerendis: frustra enim calceus, cuius nunquam est vsus. Vide Serarium ex S. August. Theodoro, & Abulensi.

Fornicatusque est omnis Israël in eo. Hebraica & Græca, post Gedeonis mortem, id factum dicunt, cum posterij eius illud tam nobile monumentum, vel adorauerunt quasi idolum, vt a neo serpenti Moyfis post contigit: vel certè translulerunt ad Baal eo exornandum, & oracula sic ab eo exprimenda: vt solebat Pontifex Iudæorum suo Ephod indutus, oracula reddere. De quo vide Exodi cap. 28.

Et factum est Gedeon in posteris eius, seu omni domui eius in ruinam. Vt patebit cap. seq. Neque enim peccauerunt posterij illius, qui re adiophora & optima, & optimo fine constituta, impiè abusi sunt. Hinc v. 31. dicitur Gedeon *quiescisse in senectute bona*; & arguuntur Iudæi ingratitude erga illum, v. 34. & 35. & Apostolus ad Heb. 11. Gedeonem inter sanctos ac beatos recenset: & expressum Christi typum gessisse, docent S. Augustinus, Iudæus, & alij.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 28. ad vltimum.

Vulg. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israël, nec potuerunt ultra ceruices eleuare: sed quiescit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.

Pag. Et non addiderunt, vt eleuarent caput suum.

Tigur. Subactus est Madian.

Malu. Tranquilla fuit terra.

Sept. Compressus est.

Tom. IV.

Syr. Contriti Madianæi.

Arab. Profligati.

Vulg. Abiit itaque Iorobaal filius Ioas, & habitauit in domo sua.

Malu. Ambulauit.

Pagn. Et mansit, &c.

Sept. Sedit.

Vulg. Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de

femore eius: eo quod plures haberet vxores.
Malu. Exeuntes femur eius.
Sep. E femoribus eius.
Syr. Qui ex dorso eius prodierunt.
Vulg. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.
Malu. Et pellex eius quæ in Sichem, &c. posuit nomen eius.
Vulg. Mortuusque est Gedeon filius Ioas in senectute bona, & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui in Ephra, de familia Ezri.
Arias. In canitie bona.
Malu. Decrepitudine bona.
Sept. Rom. Sepultus in Ephrata Abri Esdri.
Reg. In Ephra patris Ezri.
Syr. In Ophra, quæ pertinebat ad Azri.
Arab. In Aphra ciuitate patris Azra.
Vulg. Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum.
Pag. Reuersi sunt, &c. & posuerunt sibi Baalberith pro Deo.
Malu. Meretricati sunt, & posuerunt sibi in Deos.

Sept. Rom. Reuerterunt se, &c. & posuerunt sibi ipsi Baal testamentum.
Reg. Auerfi sunt.
Cald. Errauerunt post Baghloia.
Syr. Aberrarunt post Baal, feceruntque sibi Baal fœderis in Deum.
Arab. Statuerunt sibi Baal Deum confœderatum.
Vulg. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum.
Malu. Eripientis eos de manu omnium maleuolentium eorum.
Sep. Omnium tribulantium eos.
Cald. Non recordati sunt cultum Domini Dei sui.
Vulg. Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona quæ fecerat Israël.
Caiet. Et non fecerunt gratiam.
Tigur. Nec præstiterunt beneficia.
Malu. Benignitatem secundum omnem bonitatem.
Syr. Nec retulerunt gratiam parem tot beneficiis, quæ contulerat in Israël.
Arab. Neque gratiam exercuerunt erga familiam Gedeonis, neque cognouerunt obligationes sibi debitas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Concubina autem illius, Alij, Pellex. Sed eam fuisse illius vxorem, licet minus præcipuam plurimi arbitrantur. Percusseruntque cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum, Alij, Posuerunt sibi Baal-Berith pro Deo. Heb. בלע ברית Baal-Berith. Berith significat quidem fœdus: potest tamen ea vox cum præcedenti voce componi & idoli nomen ex vtraque voce connexa formari, quod scriptura Baal-Berith vocet: Quali dicas, Dominus fœderis, quod fœderibus, & pactis præsideret: Hic ergo Baal est Deus fœderis. Nec fecerunt misericordiam; Alij, Gratiam benignitatem. Misericordiæ nomine variæ comprehenduntur virtutes, charitas, iustitia, benignitas, gratia, gratitudo.

ANNOTATIONES.

- MENOC.** **Septuaginta filios.** In iis numerando etiam Abimelech, A de quo numero sequenti.
ψ. 30. Egressi sunt de femore eius. Vide dicta Gen. 46. 26.
- LYRAN.** **Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium.** Dicunt aliqui quod fuit vxor eius, non tamen principalis: sed adiuncta: sicut de Abraham dicitur Gen. 25. Filiis autem concubinarum largitus est munera: & tamen non cognouit aliquam, quæ non esset vxor sua.
ψ. 31.
- ESTIVS.** **Concubina autem illius quam habebat in Sichem,** Erat hæc tamen vera vxor. Sed concubina vocatur more scripturæ, quia serua cum esset, absque consuetis, & solemnibus ceremoniis ducta erat in coniugem. Et quidem seruam fuisse constat ex cap. seq. vbi ancilla Gedeonis nominatur.
- MENOC.** **Concubina autem illius, &c.** Vxor secundaria, legitima quoad matrimonij vinculum, sed familiæ Gedeonis gubernationis experta, nec mater familias. Drumam eam vocat Iosephus lib. 5. cap. 9.
- Quam habebat in Sichem.** Habitabat quidem Gedeon B in Ephra, ibique domum habebat, & vxores suas. Verum quia princeps, & populi Iudex erat, frequenter adibat Sichem, ibique hæc illius concubina morabatur.
- Nomine Abimelech.** Quæ vox vel significat, Patrem, regem, vel patrem regis. Nominis huius impositione, vel spectauit Drumam mariti sui dignitatem, quam in filio suo conspici voluit; vel ei nomen esse optauit omen regni, ad quod eum aliquando peruenire cupiebat.
- LYRAN.** **Mortuusque est Gedeon filius Ioas in senectute bona, &c.**
ψ. 32. Ex hoc videtur quod in gratia mortuus fuerit, & per consequens quod à peccato prædicto pœnituerit vel excusatus fuerit.
- MENOC.** **In senectute bona.** Heb. In canitie bona, benè senex, præterea bona senectus, tranquillitatem significat, secundam famam, auctoritatem, conscientiam bonam, & diuinam amicitiam.
- LYRAN.** **Postquam.** Scilicet à cultu Dei.
ψ. 33.
- Et fornicati sunt.** Per idololatrium.
Percusseruntque, &c. De cætero in perpetuum.
Auerfi sunt. Defecerunt à Domino.
Percusserunt cum Baal fœdus. Cum Baal-Berith vt significant Hebræa, quæ habent: *Posuerunt sibi Baal-Berith in Deum.* Vide cap. seq. Num. 4.
Nec fecerunt. Quia interfecerunt filios eius: vt habetur cap. seq. Ad maiorem prædictorum intelligentiam, vel potius studiosorum exercitationem potest quæri, vtrum Gedeon mortuus fuerit in peccato mortali: & videtur quod non: quia dicitur hîc de eo: *Mortuusque, &c.* Quod non consuevit dici in Scriptura sacra, nisi de illis qui moriuntur in gratia secundum Doctores Hebræicos & Latinos. Item ad Hebræos II. nominatur in catalogo Sanctorum, ergo, &c. Contra, quia dictum est, quod fecit ornamenta sacerdotalia pro cultu diuino exercendo in domo sua, quod erat illicitum, prout dictum fuit Iosué 22. quia vt ibidem dicitur: filij Israël voluerunt bellare contra Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, eò quod putabant eos fecisse altare ad sacrificia offerenda extra locum Silo etiam Domino. Item iste Gedeon vt dicunt expositores communiter, in ornamentis prædictis offerebat sacrificia Domino quod non erat licitum nisi filiis Aaron, vt habetur Num. 3. Si autem dicatur quod pœnituerit, non videtur rationabiliter dictum, quia si verè, & perfectè pœnituisset, prædicta destruxisset. Responso. Quæstio ista est de facto per viam naturæ nobis ignoto, & idè nihil est hîc dicendum, nisi quantum potest trahi ex scriptura vel dictis Sanctorum. Dicunt igitur Doctores nostri quod mortuus fuit in gratia propter rationes allegatas pro parte ista. Dicunt tamen communiter quod peccauit mortaliter vestes sacerdotalis faciendo extra locum diuini cultus, & eis vtendo: cum non esset de tribu Aaron, nec etiam Leuita, dicunt tamen quod ante mortem pœnituit. Ad illud autem quod contra hoc arguitur quod talia non destruxit, potest dici quod pœnituit circa mortem, cum iam erat ita debilis quod hoc facere per se non poterat, præcepit tamen filiis suis hoc fieri: vel saltem vestes dictas ad

locum diuini cultus portari, quod quia factum non fuit, non sibi imputandum est, sed magis illis qui ad idololatriam ad quam prouenerant abusi sunt, ideo domus eius ferè deleta fuit. Posset autem dici (scholasticè tamen & absque assertione) quod Gedeon in prædictis non peccauerit. Licet enim illicitum esset quandiu arca fuit in Silo alibi offerre sacrificia de communi cursu, ut dictum fuit Deut. 12. tamen speciali dispensatione diuina poterat hoc fieri: & sic Gedeon sacrificium obtulit in ciuitate sua, ut dictum est supra cap. 6. Et forsitan non solum fuit concessum pro illa die: sed etiam pro futuro tempore, & per consequens vestes sacerdotales facere & eis uti: quia cui conceditur principale, eidem accessorium conceditur: uti autem dictis vestibus est propter oblationem sacrificiorum & quod annexum est eis: ergo, &c. & sic patet responsio ad rationem contra hoc factam in arguendo. Sed contra hoc dictum videtur quod in littera dicitur. *Et factus est ipsi Gedeon & domui eius in ruinam.* Potest di-

ci quod factum est domui eius in ruinam culpæ, eò quod abusi fuerunt ad idololatriam: nec etiam in diuino cultu habebant licentiam utendi eis sicut Gedeon. Factum est etiam domui Gedeonis in ruinam pænæ, ut dictum est, & per consequens ipsi Gedeon, in quantum pater quodammodo manet in filiis, secundum illud Eccl. 30. *Mortuus est pater eius & quasi non est mortuus,* & per consequens pater punitur in filiis in quantum manet aliquantulum in eis & sic ruina filiorum Gedeonis per pænâ redundat in ipsum, non tamen quantum ad culpam.

Nec fecerunt misericordiam. Misericordia hîc accipitur pro omni penè virtute, quæ in alium, ad eius utilitatem, gloriam, ac bonum emanat, ut est beneuolentia, beneficentia, pietas, gratitudo, iustitia, &c.

Ierobaal Gedeon. Ponuntur hîc simul duo Gedeonis nomina, quod expositionis causâ factum indicant Septuaginta, qui vertunt. *Cum domo Ierobaal, ipse est Gedeon.*

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS.

A Bimelech occisus 70. fratribus suis, imperium sibi tyrannicè vindicat: sed in expugnanda turri Sichem, à muliere fragmine molæ opprimitur.



Abimelech autem filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris suæ, & locutus est ad eos, & ad omnem cognationem domus patris & matris suæ, dicens: 2. Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominantur vestri septuaginta viri omnes filij Ierobaal, an ut dominetur vnus vir? simulque considerate, quod os vestrum, & caro vestra sum. 3. Locutique sunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem vniuersos sermones istos, & inclinauerunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est. 4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baal-Berith. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes & vagos, secutique sunt eum. 5. Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros, super lapidem vnum: remansitque loatham filius Ierobaal minimus, & absconditus est. 6. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & vniuersæ familiæ vrbis Mello: abieruntque & constituerunt regem Abimelech, iuxta quercum quæ stabat in Sichem. 7. Quod cum nuntiatum esset Ioatham, iuit, & stetit in vertice montis Garizim: eleuataque voce, clamauit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. 8. Ierunt ligna, ut vngerent super se regem: dixeruntque oliuæ: Impera nobis. 9. Quæ respondit, Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur & homines, & venire ut inter ligna promouear? 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. 11. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire ut inter cætera ligna promouear? 12. Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. 13. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri? 14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super nos: 15. Quæ respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite, si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. 16. Nunc igitur, si rectè & absque peccato constituitis supervos regem Abimelech, & benè egistis cum Ierobaal, & cum domo eius, & reddidistis vicem beneficiis eius, qui pugnauit pro vobis, 17. & animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, 18. qui nunc surrexistis contra domum patris mei, & interfecistis filios eius septuaginta viros super vnum lapidem, & constituitis regem Abimelech filium ancillæ eius super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit: 19. si ergo rectè & absque vitio egistis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis. 20. Sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de opido Mello, & deuoret Abimelech: 21. Quæ cum dixisset, fugit, & abiit in Bera: habitauitque ibi ob metum Abimelech fratris sui. 22. Regnavit itaque Abimelech super Israël tribus annis. 23. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, & habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari, 24. & scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, & in cæteros Sichimorum principes, qui eum adiuuerant. 25. Posueruntque insidias aduersus eum in summitate montium: & dum illius prostolabantur aduentum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus, nuntiatumque est Abimelech. 26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, & transiit in Sichimam. Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem, 27. egressi sunt in agros, vastantes vineas, vvasque calcantes: & factis cantantium choris, ingressi

sunt fanum Dei sui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech, 28. clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, & quæ est Sichem, vt seruiamus ei? nunquid non est filius Ierobaal, & constituit principem Zebul seruum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo seruiemus ei? 29. Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech. Diciturque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, & veni. 30. Zebul enim princeps ciuitatis, auditis sermonibus Gaal filij Obed, iratus est valdè, 31. & misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, & oppugnat aduersum te ciuitatem. 32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, & latita in agro: 33. & primo mane oriente sole, irruerit super ciuitatem, illo autem egrediente aduersum te cum populo suo, fac ei quod potueris. 34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, & tetendit insidias iuxta Sichimam in quatuor locis. 35. Egrediusque est Gaal filius Obed, & stetit in introitu portæ ciuitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de insidiarum loco. 36. Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, & hoc errore deciperis. 37. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit, & vnus cuneus venit per viam quæ respicit quercum. 38. Cui dixit Zebul: Vbi est nunc os tuum, quo loquebaris? Quis est Abimelech vt seruiamus ei? Nonne hic populus est, quem despiciebas? Egredere, & pugna contra eum. 39. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, & pugnavit contra Abimelech, 40. qui persecutus est eum fugientem, & in urbem compulit: cecideruntque ex parte eius plurimi, vsque ad portam ciuitatis: 41. & Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal & socios eius expulit de vrbe, nec in ea passus est commorari. 42. Sequenti ergo die egredius est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech, 43. tulit exercitum suum, & irruit in eos. 44. Cum cuneo suo, oppugnans, & obsidens ciuitatem: duæ autem turmæ palantes per campum aduersarios persequebantur. 45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cœpit, interfectis habitatoribus, ipsaque destructa, ita vt sal in ea dispergeret. 46. Quod cum audissent qui habitant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum Dei sui Berith, vbi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valdè. 47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, 48. ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi, præcidit arboris rami, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite. 49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, vt fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres, habitatorum turris Sichem. 50. Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu. 51. Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, & omnes principes ciuitatis, clausa firmissimè ianua, & super turris tetum stantes per propugnacula. 52. Accedensque Abimelech iuxta turrim, pugnavit fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur: 53. & ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. 54. Qui vocavit cito armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur quòd à fœmina interfectus sim. Qui iussa perficiens, interfecit eum. 55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israël, reuersi sunt in sedes suas: 56. & reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. 57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, & venit super eos maledictio Ioatham filij Ierobaal.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Abiit autem Abimelech, filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris suæ, & locutus est ad eos, & ad omnem cognationem domus patris & matris suæ, dicens.

Malu. Ambulavit, &c. & loquutus fuit, &c. & ad omnem familiam.

Cald. Et cum omni profapia domus.

Arab. Abiens ad auunculos suos, Dominos Sichem.

Vulg. Loquimini ad omnes viros Sichem, quid vobis est melius, vt dominantur vobis septuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir? simulque considerate, quòd os vestrum & caro vestra sum.

Pag. Loquimini obsecro in auribus omnium dominorum Sichem.

Arias. Quid bonum vobis Dominum in vos? &c.

Cald. Loquimini ante omnes habitatores domus Sichem, &c. quod regnent super vos?

Syr. Quid prætabilius?

Arab. Vtra rerum melior est vobis?

Vulg. Loquutique sunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem vniuersos sermones istos, & inclina-

uerunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est.

Arias. Pag. Inclinauit se cor eorum.

Malu. Extendit se cor eorum.

Syr. Et benciuolus fuit eorum animus erga, &c.

Arab. Propensi fuerunt in eum animi eorum.

Vulg. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti, de fano Baal-Berith, qui conduxit ex eo viros inopes, & vagos, secutique sunt post eum.

Pag. Dederunt ei septuaginta argenteos, de domo, &c. mercede conduxit viros vacuos. *Arias.* Et leues.

Calet. Viros, &c. & festinos. *Lyrans.* Ceruicofos.

Tigur. Perdidos. *Malu.* Et præcipitantes & ambulauerunt post eum.

Sept. Rom. Dederunt septuaginta argenti, &c. viros inanes & miseros.

Reg. Vacuos & stolidos. *Aliqui Codices.* Septuaginta pondera argenti.

Sym. Rapaces, & timidos.

Cald. &c. Et libertos.

Syr. Vitiis deditos. *Arab.* Otiosos, & errabundos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inclinauerunt cor eorum; Alij, *Beneuolus fuit eorum animus*, id est, vt habet Arab. maxime erga eum fuerit propensi, vt eum tanquam principem admitterent: *Dederunt ei septuaginta pondo argenti*; Alij, *Septuaginta argenteos*; Alij, *Pondera argenti*. Verum est quod ante correctionem Sixtinam plures codices habebant pondera argenti, sed repositum est pondo. Huic tamen voci nihil respondet, nam solum in iis duntaxat habetur septuaginta, *argentei*, vel *argenti*, qua locutione argenteorum sicli intelligendi non veniunt, sed quia aliquibus non probatur, quod hic per argenteos sicli accipiuntur, quia quomodo summa tam exigua ad conducendos milites sufficere posset, prudenter siclos Vulg. non posuit sed eorum pondo, cum hoc nomine etiam talenta possint significari. *Viros inopes & vagos*; Alij, *Viros vacuos & leues*, &c. Hebr. est וקיים וקיים *pochazim vekim*. Per vekim autem intellexit Vulg. Quibus deest res familiaris, id est, inopes, quos alij vacuos dixere. Alij malunt otiosos, sed ex otiositate inducitur egestas. Pachazim reddidit Vulg. vagos, alij, leues, quo nomine significatur quaelibet animi pronitas in omnem vitæ licentiam, & improbitatem, cui interpretationi fauent alia lectio. Varius est codex Septuag.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ψ. 1.

Abiit autem. Hæc est pars incidentalis: in qua describitur ruina domus Gedeonis, de qua facta fuit mentio cap. præc. Circa quod primò describitur ipsius Abimelech promotio iniqua: secundò maledictio digna: ibi. *Quod cum nuntiatum esset*: tertio sequens ultio diuina, ibi: *Misitque Dominus*. Circa primum describitur primò ambitio Abimelech, cum dicitur: *Abiit*, cuius mater nominatur concubina cap. præced. & ancilla in isto, vt videbitur, per quod inter filios Gedeonis fuit minus nobilis & minoris reputationis: & tamen anhelabat ad dominandum præ aliis & regnum.

Ad fratres. Vt per eos inclinaret alios ad votum suum.

TIRINVS

Abimelech filius Gedeonis. Non ex primaria aliqua vxore quæ familiam administraret, & cuius filij paterna gauderent hereditate: sed ex secundaria vxore & inferioris ordinis, quæ aliàs concubinæ vocabantur, vt dixit Genesis 25. versu 6. Cum enim Gedeon, tamquam *iudex & princeps* totius populi, sæpius ab vrbe sua Ephra, vbi præcipuè illius vxores degebant, abesse, & in Sichimis adesse cogere, delegit & in Sichimis sibi vxorem, sed vt dixi, secundariam, seu concubinam, quam Iosephus *Drumam* vocat: quæ quia ex ea vrbe oriunda erat, ibique parentes suos propinquosque omnes habebat, & reliquis vxoribus non æquè cara futura esset, relicta est à Gedeone in Sichimis in domo paterna. Ex hac matre natus *Abimelech*, maximâ crudelitate & tyrannide iugulatis 70. fratribus suis principatum vi rapuit: neque contentus titulo iudicis, etiam rex audire voluit, versu 6. 18. & 22. Sed reuera non nisi tyrannus fuit, typus Antichristi, & aliorum hostium Ecclesiæ Dei.

LYRAN.
ψ. 2.

Quid vobis. Per hoc innuebat, quod omnes alij filij Gedeonis vellent super populum dominari, quod erat falsum: sed hoc fingebat ad habendum intentum.

Simulque. Quali dicerat si promotus fuero, defendam vos & promouebo. Consequenter describitur eius indebita promotio cum dicitur.

ESTIVS.

Quid vobis est melius? ut dominantur vobis Septuaginta viri, an ut dominetur vobis vnus vir? Argumentum pro sua ambitione sumit ex præstantia regiminis Monarchici.

A Sed obscurum est, quomodo dicat dominaturos septuaginta viros, omnes filios Ierobaal, seu Gedeonis, cum populus ille hætenus ab vno foleret regi, nec verisimile sit, quod tunc admissurus erat tam multos principes? Sed respondeo, hoc Abimelech illis verbis voluisse, ac si diceret; Etiam si vnum ex illis faciatis iudicem, aut principem vestrum, tamen cæteri quoque, quia genere pares sunt, etiam principatum & potestatem sibi in vos vendicabunt; omnes erunt vestri Domini, itaque erunt vobis graues, & opprimet vos. Quare melius est, vt iis omnibus è medio sublatis, me vnum eligatis vobis in principem, qui sum os & caro vestra, id est, propinquus vester. Nempe ad Sichemitas loquitur.

Viros Sichem. Viros primarios, hi enim viri in Hebræo dicuntur *בְּהָלִים behalim*, id est, Domini. MENO.

B *Dominetur vnus vir*. Melior monarchia reliquis Reip. formis. Hinc argumentum petit Abimelech.

Os vestrum, & caro vestra. Propinquus vester.

Dederuntque pondo. Indeclinabile est: & significat pondus indeterminatum secundum aliquos, secundum alios idem est quod libra. In Hebræo autem habetur, *septuaginta argenteos de phano Baal-Berith*. Nomen est illius phani, eò quod habitatores Sichem ibi percusserunt fœdus cum Baal-Berith enim fœdus interpretatur, ibi autem thesaurus communis reponebatur.

Quid vobis. In Hebræo habetur. *Et cernicosos*.

Septuaginta pondo argenti. In Hebræo, Chaldæo, & Græco tantummodo est: *Dederunt ei septuaginta argenteos è domo Baalberith*, & videtur subintelligendum talenta, quod vulgatus noster voce, *Pondi*, expressit. Porro talentum, tria siclorum millia continebat. Siclus verò vnus argenteus, vt alibi diximus, quatuor argenteis regalibus Hispanicis æquiualebat. LYRAN. ψ. 4.

De phano Baal-Berith. Berith significat fœdus, pactum, testamentum. Vel ergo dicitur Baal-Berith quod fœderibus præflet, vt apud Græcos *ξέος ὄρυς*, vel quod suo illi Baal certa aliqua ceremonia deuouissent, vel tandem, quod in eo phano populus Sichem cum Abimelech fœdus pepigisset. MENO.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 5. 6. & 7.

Vulg. Et venit in domum patris suis in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobaal, Septuaginta viros super lapidem vnum, remansitque Ioatham filius Ierobaal minimus, & absconditus est.

Pag. Quia abscondit se, *Malu.* Super relictus fuit.

Vulg. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & vniuersa familia vrbis Mello, abieruntque; & constituerunt regem Abimelech iuxta quercum quæ stabat in Sichem.

Pag. Et omnis domus Mello abierunt, & regnare fecerunt iuxta quercum statuæ.

Arias. Collecti sunt omnes Domini Sichem, &c. in planitie sita, quæ in Sichem. *Sic Vatab.*

Malu. Cum Elon stationis, quæ in, &c.

Isid. Clar. In planitie, vbi erat statua.

Sept. Iuxta quercum inuentam stationis quæ in sicimis.

Reg. Iuxta quercum stationis.

Cald. Iuxta Messar Kamathga.

Syr. Et omnis turba domus Mello secus quercum Mello.

Vulg. Quod cum nuntiatum esset Ioatham, iuit, & stetit in vertice montis Garizim, eleuataque voce clamauit & dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus.

Pag. Audite me Domini Sichem.

Arias. Stetit in capite montis.

Malu. Et audiuit ad vos Elolim.

Sept. Rom. Stetit super cacumen, &c. & eleuauit vocem & lorauit.

Reg. Et vocauit.

Cald. Audite ex me habitatores, &c. & audiet orationem vestram Dominus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Absconditus est; Alij, *Abscondit se*. Vtrumque Hebræa, Græca & Latina patiuntur. *Et vniuersa familia vrbs Mello; Alij, Et omnis domus Mello*. Solus Interpres mentionem vrbs Mello facit, qui etiam omnibus præfendus. Mello enim erat vrbs sita prope Sichem, eique subdita, tanquam eius colonia, vel mancipium. *Iuxta quercum que stabat in Sichem; Alij, In planitie, ubi erat statua*. Sed qua ratione ita verterunt non facile coniiicies: nam cur מלון Elon hîc non vertatur, cum tam Vulg. quam Sept. Syr. & Arab. ita verterint & passim in scriptura ita reddatur? Cur autem מצע, quam vocem Interpres dixit *qua stabat*, & alij *stationis*: Volunt esse statuam, cum in scriptura aliud vocis exemplum facillè proferre non possint? Dicitur autem quercus, quæ stabat vel stationis, quod ad eam conuenire solent Sichimitæ, ibique stationes, & conuentus suos agere.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ET** occidit, &c. Vt solus posset dominari: Vnde sequitur. **EST** **TYR.**
MENO C. Septuaginta viros. Sexaginta octo, nam Ioatham euasit, & ipse Abimelech è numero erat septuaginta. Ponitur ergo numerus rotundus, vt ferè fieri solet, etiam si vnus aut alter desideretur, aut superfit: Sic dicimus passim LXX. Interpretes, cum tamen fuerint septuaginta duo.
Super lapidem vnum. Id factum vult Abulensis, quia Abimelech non hostis, sed iudicis personam sustinere voluit videri, atque ita tanquam facinorosos criminis alicuius compertos in loco supplicij mactari iussit. Arias Montanus putat lapidem hunc Deo Baal-Berith quasi aram statutum, ac dicatum, quia verò Baalis aram confregerat, ac disturbarat Gedeon capit. 6. 27. & super petra, araque noua, in Baalis contumeliam sacrificium obtulerat, voluisse Abimelech dæmonis illius iniuriam vlcisci; populique voluntatem, qui Baali addictus erat, sibi adiungere.
- TIRINVS.** *Occidit fratres suos super lapidem vnum.*] Putat Arias, lapidem hunc idolo Baal-Berith, id est, Deo fœderis seu pãcti, velut altare, sacrum fuisse; statutum verò seu erectum, & dedicatum à tyranno Abimelech eodem loco, quo antè fuerat eiusdem idoli ara, quam confregerat ac disturbarat pater eius Gedeon capite sexto. Nempe vlcisci voluit Abimelech dæmoni factam iniuriam, & sacrilegij paterni damnatos publica iudicium sententia 70. filios, ad numen læsum hac sacra victima placandum, omnes in eo altari iugulatos immolauit. In eundem finem videntur Sichimitæ eidem Abimelech præcisè 70. argenti pondo, verius talenta, ex sacro eiusdem idoli thesauro appendisse, vt ad singulorum fratrum, qui erant 70, caput demetendum, cederet talentum vnum. Habes de similibus fratricidis Ocho Perfarum rege, qui 80. fratres suos, & Phrahate Parthorum qui 30. fratres vnà cum patre suo iugulauit, apud Iustinum: & nostra ætate de Othomannis Amurathe, Selymo, Baazerthe & alijs apud Bozium.
- LYRAN.** *Congregati sunt autem, &c.* Mello autem prout accipitur. 3. Reg. nomen est cuiusdam voraginis quæ erat in Ierusalem, quam Salomon coæquauit terræ, sed hîc Mello nomen est vrbs.
Et constituerunt regem, &c. In Hebræo habetur. *Iuxta vltimum statua que erat in Sichem.* Ibi enim erat quædam
- statua pro idololatria: & ibi constitutus est iste rex cuius promotio fuit iniquissima.
Et constituerunt regem Abimelech. Scilicet Sichimitæ. Dicitur quidem infra v. 22. *Regnavit itaque Abimelech super Israël tribus annis.* Non tamen videtur cum electum fuisse à toto populo Israëlitico, sed solum à Sichimitis contribulibus suis ex genere materno. Qua electione obtenta videtur Abimelech sibi sumpsisse principatum in vniuersum Israëlem vi armata; collecto sibi exercitu ex hominibus vagis, vt hîc dicitur. Quocirca tyrannus potius censendus est, quam rex, non solum quia principatum conuertit ad priuatum commodum (qua nota Philosophus tyrannum à principe distinguit) verumetiam quia principatum arripuit contra ius, vt cui, nec electione, nec alio iusto titulo deberetur.
Familia vrbs Mello. Est vrbs seu oppidum Sichimis proximum, est etiam alius locus eodem nomine appellatus, de quo 2. Reg. 5. 9. & alibi sermo est.
B *Constituerunt regem Abimelech.* Non legitimo iure Abimelech regnavit, sed malis artibus principatum occupauit, solet tamen inter populi iudices censerî, quia factò temp. administravit, licet iure ad illius gubernationem non venerit.
Iuxta quercum, que stabat in Sichem. Septuaginta etiam vocant *quercum stationis*; quæ scilicet tanto tempore stetit, asseritur enim fuisse illa eadem, sub qua olim Abraham Iacob, & Iosué constiterunt, Gen. cap. 12. num. 7. & cap. 35. 4. & Iosué 24. 26. vel etiam dicitur quercus stationis, quia non ipsa tantum stabat, sed & collocatam olim ibi statuam stantem, de qua Iosué loco citato, adhuc haberet. Vide quæ ibi dicta sunt.
Quod cum nuntiatum. Hîc consequenter describitur LYRAN. promoti & promouentium maledictio: in qua primò ponitur parabola, cum dicitur.
MENO C. *In vertice montis Garizim.* Non longe aberat à Sichem mons hîc, sicut & alter ei oppositus Hebal, ambo benedictionum, execrationumque cæremoniâ celebres. Deut. 27. & Iosué 8.
C *Ita audiat vos Deus.* Id est, si à Deo preces vestras calamitate aliqua, aut ærumna pressi admitti cupitis, & me calamitosum secundis auribus audite.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 8. ad 11.

Vulg. Ierunt ligna. vt vngerent super se regem: dixeruntque oliuæ: Impera nobis.
Pag. Eundo ierunt ligna.
Malu. Ambulare ambulauerunt ligna.
Cald. Venire venerunt arbores, ad præficiendum sibi regem. **Arab.** Esto regina super nos.
Vulg. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear?
Pag. Qua per me honorificant Deos.
Arias. Numquid cessare faciam?
Malu. Quam in me homines & dij magni faciunt, ambulabo ad moueri super ligna.
Isid. Clar. Et super ligna cætera promoueri.
Sept. In qua clarificabunt Deum viri.
Cald. Num deseram vnctionem meam, quod ex ea hono-

rantes ante Dominum, & in ea delitiantur filij hominis & ibo ad faciendum regnum super arbores?
Arab. Non relinquam vnguentum meum, quod est in pretio diis & hominibus, vt arborum negotio destinear.
Vulg. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe.
Malu. Ambula tu, & regna super nos.
Vulg. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear?
Pag. Non derelinquam, &c. & fructum meum optimum.
Malu. An cessare facta fui, &c. & prouentum meum bonum.
Sept. Et genimina mea bona.
Cald. Et caricam meam pulchram.
Syr. Vt abeam me exagitatam arborum causa?
Arab. Vt arborum turbationibus occuper.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qua & diu utuntur & homines; Alij, In qua clarificabant Deum, honorificabant. Hebr. quidem est *עלהם* *elohim*, quod & vni Deo accommodatu, & etiam aliis pluribus. Sane in aliis vnica vtilitas denotatur, scilicet honoris Deo exhibitio: sed noster Interpres sua versione omnem vsum olei complexus est. *Vt inter ligna promouear;* Alij, *Ambulabo ad moueri super ligna*, id est, vt superem dignitate reliquas arbores: Alij, *Vt in arborum turbationibus occiper*, & licet sit Paraphrasis, indicat comitem esse laboriosissimam, sollicitam, comitem principatus & autoritatis.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 8.

Ierunt ligna. Et primò parabola ponitur, & secundò ad propositum applicatur, ibi: *Nunc igitur*. Circa primum sciendum quod aliqui expositores nostri dicunt, quod per ligna in generali intelligitur communis populus Sichem: per cedros, principales qui fauerunt Abimelech. Per oliuam, de qua exprimitur oleum, & ficum quæ habet dulcem fructum & vitem quæ facit fructum plurimum; intelliguntur alij filij Gedeonis, qui erant pingues indiuitiis: dulces in mansuetudine, & multiplicati in prole. Per rhamnum autem quæ est arbor vilis, intelligitur Abimelech: qui erat de ignobili matre, qui regnauit aliis occisis: & secundum hoc patet expositio literæ. Sed quantum ad aliud videtur litera obuiare; in qua dicitur: *Ierunt*. Quia viri Sichem non ierunt ad requirendum alios filios Gedeonis vt dominarentur eis: sed magis dederunt pecunia in ad interficiendum eos: propter quod dicunt expositores prædicti, quod similitudo non tenet in omnibus: sed tenet quantum ad hoc, quod Sichimitæ tractabant inter se dicentes: Si requiremus alios filios Gedeonis vt dominarentur nostri & defenderent nos; ipsi nos despicerent propter nobilitatem & magnificentiam suam: nec curarent de nobis; quasi dicerent: melius est quod nos promoueamus istum Abimelech minus nobilem, & qui est propinquus noster ex parte matris. Hebræi verò exponunt aliter parabolam istam quantum ad oliuam, ficum, & vitem, & magis literaliter, vt videtur, dicentes quod per ista significantur tres personæ notabiles, in beneficiis exhibitis populo Israël, scilicet Gedeon, Debhora, & Othoniel: qui oblatum sibi dominium super filios Israël recusauerunt: eò quod Dominus illud dominium sibi retinuerat: vt dictum est supra. De Gedeone autem quod recusauerit, patet in cap. præced. & de aliis duobus idem dicunt Hebræi: licet non sit scriptum quia non omnia sunt scripta. Dicunt igitur: per oliuam significatur Othoniel qui fuit de tribu iuda, vt dictum fuit supra cap. 1. Tribus autem iuda vocatur oliua. Hier. cap. 11. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum*. Per ficum quæ habet fructum dulcem, intelligitur Debhora: quæ in Hebræo scribitur Dibbora, & interpretatur apis: quia facit mel dulce, sicut ficus fructum dulcem: ita quod proprietates huius arboris respondet interpretationi nominis. Per vitem verò intelligitur Gedeon: qui erat de filiis Ioseph, eò quod Ioseph vocatus est filius accrescens, Gen. 49. Vitis autem ramus crescit notabiliter in vna æstate. Secundum hunc igitur sensum exponitur sic litera.

Ierunt ligna. Id est, filij Israël generaliter, non Sichimitæ specialiter.

Dixeruntque. Id est, Othoniel ratione prædicta.

Ierunt ligna vt Apologus: sic ungerent super se Regem.

A Ezechielis cap. 17. 24. lignis traditur scientia.

Ierunt ligna.] Pulchro suo Apologo docet *Ioatham*, TIRINVS quàm stulte egerint Sichimitæ, cum sceptrum regium, quod pij prudentesque omnes hucusque merito recusauerunt, in impium parricidam contulerunt, à quo nihil præter spinas, & flammam, & extremum interitum expectare possint.

Nota, arborem hinc esse hominem, sed inuersam, & consilij ac rationis capacem. *Oliua, ficus, vitis*, inter bonas laudatasque arbores omnium præstantissimæ ac fecundissimæ, designant homines imperio omni ex parte dignos, sed qui zelo perfectionis cultus Dei, & studio propriæ salutis, illud contemnunt, sibi que vacare præoptant. *Rhamnus* verò, qui vix lignum est, sed spinæ tantum exiles & pungentes, significat imperio ineptos, sed superbia ac sæuitia plenos tyrannos: qui cum nil norint nisi pungere, stimulare & affligere subditos, simulant tamen se velle sua vmbra eos protegere, solari ac refocillare. Quod si quis vel tantillum contra mutiat, subito flammam iaculantur & ignes, etiam in *cedros Libani*, id est, in nobilissimos, in optimos quosque. Sed ferè tum contingit, vt tyranni eodem quod in suos excitant incendio, etiam ipsi afflentur & pereant, vti hinc Abimelech & Sichimitis euenturum *Ioatham* ominatur & minatur. Pro morali vide *Basilium* & *Theodoretum*.

Nunquid possum. Id est, Deus in lucernis ardentibus in tabernaculo, quæ implebantur oleo oliuarum purissimo. LYRAN. v. 9.

Et homines. Id est, condimentis ciborum, & confectionibus medicinarum. Per hanc autem pinguedinem intelligitur pietas quæ fuit in Othoniel, ad subleuandam miseriam filiorum Israël, vt patet ex dictis supra cap. 3.

Quæ respondit, &c. Oliua, ficus, & vitis regem deprecantur, & bono proprio carere se posse negant, quod tamen bonum, etiam si priuata maneat, aliis proficit, imo plus proficit, quàm si ad regnum promoueantur. MEN OC.

Qua diu utuntur & homines. Hebr. *honorantur diu, & homines*. Oleo honoratur Deus, dum ad sacrificia Exod. 29. Leu. 2. 6. 7. & alibi, adhibetur ad luminaria item sacra Exod. 25. 35. Num. 34. ad altaria, Sacerdotum, & Pontificum consecrationem adhibetur: Homines verò honorantur oleo, quia illud ad Regum vnctiones adhibetur, quare etiam num. 8. dictum est. *Ierunt ligna vt ungerent super se Regem*. Alij vsus olei inter homines quotidiani sunt, nec illos opus est recensere.

Nunquid possum? &c. Id est, dulcedinem consolationis diuinæ, quæ fuit in Debhora habente spiritum prophetiæ LYRAN. v. 11.

Fructusque suauissimos. Hebr. *reddidit optimum*, quo significatur, & ficus fertilitas, & lucrum, quod ex fictis existit. MEN OC.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 12. & 17.

Vulg. Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis.

Sept. Regna super nos.

Arias. Esto nobis regina.

Vulg. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri?

Pag. Num deseram mustum meum.

Arias. Num cessare faciam?

Malu. Et ambulabo moueri super ligna.

Cald. Quod ex eo libentes ante Dominum, & in eo gau-

dentes principes, & ibo ad faciendum regnum.

Syr. Nequaquam deseram frugem meam quod Deorum & hominum cor lætificat, iboque me exagitatum?

Arab. Animos exhilarat, vt vacem negotiis, & perturbationibus arborum?

Vulg. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super nos.

Arias. Ad Carduum.

Tigur. Ad dumum.

Arab. Esto rex noster.

Vulg. Quæ respondit eis: Si verè me regem vobis consti-

tuitis, venite, & sub vmbra mea requiescite, si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.

Pag. Si veritate vos me vngitis in regem, venite, sperate in vmbra mea.

Arias. Egrediatur ignis de carduo, & perdat cedros.

Sept. Subsistite in vmbra mea, &c. & comedat cedros.

Cald. Intrate, habitate in vmbra mea.

Vulg. Nunc igitur, si rectè & absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, & benè egistis cum Ierobaal, & cum domo eius, & reddidistis vicem beneficiis eius, qui pugnat pro vobis.

Pag. Et nunc si in veritate & simplicitate fecistis, & regnate fecistis, &c. si secundum retributionem manuum eius fecistis ei.

Arias. Si in perf. ctione fecistis.

Tigur. Si bona fide & candidè, &c. & si pro merito suo reponditis ei.

Malu. Si consummatione, &c. & si bonitatem fecistis cum Ierobaal.

Sept. Et si prout retributio manus eius fecistis ei.

Syr. Itaque si candidè, & iustè egistis, &c. & si beneficio vsi estis, aut secundum laborem manuum eius repondistis ei.

Vulg. Et animam suam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian.

Pag. Proiecit animam suam à longè.

Arias. Eminus.

Tigur. Obiecit animam suam ex opposito.

Cald. Tradidit animam suam quasi ad necem.

Arab. Seseque bello & morti causâ vestri exponens.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quod latificat Deum & hominis. *Syr.* Deorum & hominum cor latificat. Vox Deum indefinitè hîc capi potest, pro quolibet Deo falso, imò pro pluribus diis simul, ex Hebr. quemadmodum vertit Syrus. *Ad Rhamnum*; Alij, *Carduum* Hebr. est *רמח* atad, quam vocem non solum *Vulg.* sed & *Sept.* *Cald.* *Syr.* & *Arab.* Imò & plures hebraizantes Rhamnum dixerunt: Pauci Carduum, cuius vsus est in pannis poliendis, sed Rhamnus est spinosus frutex, & arbuscula sentibus vncinisque contexta, quæ tenet quicquid attingit, & retentum vulnerat. *Et animam suam periculis*; Alij, *Et proiecit animam suam longè ex aduerso*, id est qui vitam suam nihili fecit, opposuit se hostibus libentissimo animo.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 13.

Numquid possum deserere vinum, &c. De latificatione hominum videmus experientiam. De latificatione Dei dicit Ra Sa. quod hoc dicitur eò quòd leuitæ in oblationibus hostiarum non cantabant cantica diuina, donec offerrentur libamina, quæ fiebant de vino. Potest etiam hoc exponi de Sacramento Eucharistiæ, quod est Deo acceptissimum, in quo conuertitur vinum in sanguinem Christi.

ESTIVS.

Numquid possum deserere vinum meum, quod latificat Deum & homines? Si inducitur loquens vitis, vbi multi laborant, quid illud sit, quod vinum etiam dicatur latificare Deum? Quidam intelligunt vinum latificare Deum, sicut dicitur Psal 102. *Latabitur Dominus in operibus suis.* Sed plus requirere videntur illa verba, quibus de pinguedine sua in hac eadem parabola dicit oliua: *Qua & dij vtuntur & homines.* Verum in Hebræo est, *qua in me honorificabunt deos & homines.* Itaque alij hyperbolem faciunt, vt non aliud significetur quam vini maxima vis ad exhilarandum, ita vt si Deus opus haberet re aliqua ad exhilarationem, non alio quam vino vti vellet. Sed quoniam hæc non sunt scripturæ verba, sed Ioatham filij Gedeonis, non est valdè laborandum, vt ea secundum sensum aliquem verum interpretemur. Possent enim simpliciter accipi, vt quoniam populus ille iam deflexerat ad idola (maximè quod & Hebræum *Elohim* tam Deos quam Deum potest interpretari) nempe quod Ioatham secundum sensum populi locutus fuerit, quasi iuxta gentilium fabulas Dij conuiuia inter se exercerent, & nectareo vino se recrearent.

MENOC.

Latificat Deum, & homines. Deus vino latificatur, quia vinum in sacrificiis, & libaminibus adhibebatur: Homines, quia in conuiujs, & communibus mensis ad potum.

LYRAN.
V. 14.

Dixeruntque, &c. Id est Abimelech ratione prædicta, & accipit hîc ligna pro Sichimitis in speciali, & alijs, qui cum eis constituerunt Abimelech regem, vt prædictum est.

MENOC.

Dixerunt ligna ad rhamnum, &c. Diuus Hieronym. in Aggæi caput secundum. *Rhamnus*, inquit *spinosus frutex, & arbuscula sentibus, vncinisque contexta: quæ teneat quid-*

A quid attigerit, & retentum vulneret; & vulneratorum sanguine delectetur.

Veni, & impera super nos. Cum fructuosarum arborum optimæ principatum non admitterent, ad infructuosarum pessimam, & nocentissimam veniunt, rhamnum scilicet.

Si autem. Rhamnus secundum Ilidorum est dumus paruuus, qui vento agitatus ex se emittit ignem, sic Abimelech agitatus ira succendit populum Sichem, vt habetur infra, idèò subditur.

Et deuoret, &c. Id est, principes dicti populi,

Sub vmbra mea requiescite. Licet rhamni vmbra quietem, protectionem, securitatemque polliceri videatur, tamen sub ea qui latent, vix caput erigere, brachium porrigere licet, aut corpus commouere, quin sentibus, ac spinarum aculeis compungaris, quod tyrannorum ingenium est

B Egrediatur ignis, &c. Hoc etiam tyrannicum est, si non fiant omnia promptè quæ præcipiuntur, exardescunt, & iram, non in vulgares tantum homines, sed in primores etiam, qui per cedros Libani significantur, expromunt.

Nunc. Hic consequenter applicatur prædicta parabola ad propositum, videlicet de imprecatione maledictionis super Abimelech regem, & super populum ipsum constituentem. Et patet littera ex prædictis.

Nunc igitur, firectè, &c. Est Apologie apodosi, circa quam notandum tribus arboribus, quæ imperium recusant, significari omnes viros bonos, qui si ad regnum Israëliticum vocati fuissent, illud non admisissent, quod id contra diuinam voluntatem esse ignorarent. Rhamnus ambitiosos, impios, diuinique timoris expertes, ac nominatim Abimelech tyrannum notat. Hoc posito sententia est: si Regem eligendo, fratres meos occidendo, patri meo defuncto, tanta mala inferendo benè fecistis, benè sit vobis, & regi vestro, lætamini vos cum illo, & vicissim ipse vobiscum. Sin verò malè fecistis, vt certè malè, & pessimè fecistis, ipse Rex vos perdat, & vos illum: mutua vos ira, & odio conficiatis, mutuis vos ignibus in cinerem redigatis.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 18. ad 24.

Vulg. Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, & interfecistis filios eius septuaginta viros super vnum lapidem, & constituistis regem Abimelech filium ancillæ eius super habitatores Sichem, eo quòd frater vester sit.

Sept. Et vos insurrexistis super domum.

Arab. Inuasistis domum.

Vulg. Si ergo rectè & absque vitio egistis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis.

Pag. Et si in veritate & simplicitate fecistis.

Arab. Fruimini Abimelecho, & ipse fruatur vobis:

Vulg. Sin

Vulg. Sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.

Pag. Egrediatur ignis de Abimelech, & deuoret Dominos Sichem.

Arias. Comedar.

Malu. Et exiuit ignis de potentibus Sichem, & comedit, &c.

Sept. Comedat domum Beethmalo.

Reg. Domum Mello.

Syr. Deuoret Dominos Mello.

Vulg. Quæ cum dixisset, fugit, & abiit in Bera: habitauitque ibi ob metum Abimelech fratris sui.

Arias. In Boer, & mansit ibi à faciebus Abimelech.

Syr. Euasit, abiitque ad Debir, & mansit illic ubi morabatur antea Abimelech.

Vulg. Regnavit itaque Abimelech super Israël tribus annis.

Sept. Dominatus est.

Vulg. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, & habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari.

Pag. Et præuicati sunt Domini Sichem.

Calet. Mentiti sunt primates Sichem.

Syr. Defecerunt.

Malu. Excurrerunt potentes Sichem.

Sept. Emisit Deus spiritum malignum, &c. & spreuerunt viri Sichimorum in domo Abimelech.

Reg. Detestati sunt.

Arab. Fraudem commiserunt.

Vulg. Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, & in cæteros Sichimorum principes, qui eum adiuuerant.

Arias. Ut veniret iniuria, & sanguis eorum ut poneret super Abimelech illorum qui interfecerat eos, & super Dominos Sichem, quia roborauerunt manus, & visi ad occidendum fratres suos.

Figur. Et ut sanguinem eorum douolueret.

Malu. Ad venire violentiam septuaginta, &c. qui obtinuerunt manus eius.

Sept. Rom. Ad inducendum iniustitiam, &c. & sanguines eorum, ad ponendum super fratres suos.

Reg. Ut inducerent scelus, &c. & sanguinem illorum imponeret, &c. qui fortificauerunt.

Cald. Ad veniendum iniquitatem.

Arab. Atque id quidem permisit Deus, ut impietatem quæ perpetrata fuerat causâ septuaginta filiorum Gedeonis, & sanguinem eorum vlcisceretur, tum ab Abimelech, qui trucidauerat eos, tum ab heris Sechem, qui opem virosque ei suppeditauerant.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Abiit in Bera. Hebr. Beer. Syr. Abiit in Debir, & mansit illic, ubi morabatur antea Abimelech, sed locus ubi habitabat antea Abimelech, erat Sichem: videndum ergo est an non sit error & an Debio idem sit quod Beer, quod mihi non satis perspectum. Spiritum pessimum; Alij, Malignum, nempe vel dæmonem, vel affectum malum, seu spiritum discordiæ, q. d. oborta est inter eos ita Deo permittente discordia Qui cœperunt eum detestari; Alij, Præuicati, mentiti sunt ei, באגאד baqad significat, præuicari, rebellare, fidem frangere, perfide agere, mentiri: Vox autem Græca, reijcere, aspernari. Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal, & effusionem, &c. Alij, Ut veniret iniuria, & sanguis eorum, &c. Verum est hunc versum ab Hebræo textu & Sept. totum referri ad Deum, qui præcedenti dictus est misisse spiritum malum inter Abimelech, & habitatores Sichem: hoc autem versu indicant hi, quo sine id Deus fecerit, nempe ut perirent Abimelech, & Sichimitæ propter flagitium admissum in filios Gedeonis: sed textus noster hunc versum refert ad Sichimitas, sed hoc modo, ut habitatores Sichem versu præcedenti, & Domini Sichem in hoc versu, sint diuersi, sed res eodem redit: nam finis ille Dei effectum sortiri debuit, & initium sumere ab iis, qui minus erant in culpa, qui in Abimelech, & præcipuos cædis auctores tumultuari cœperunt, è quibus erant fere Sichemitarum principes.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 23.

Misitque. Hic consequenter describitur diuina punitione, ubi 1. describitur Sichemitarum rebellio. 2. rebellantium impugnatione, ibi, *Dictumque est*, 3. vtrorumque destructio, ibi: *Porrò abi*. Circa primum dicitur, *Misitque*. Id est, permisit. Spiritum. Id est, contentionem seu discordiam excitatam à spiritu maligno.

Inter. Ut suis peccatis exigentibus destruerentur ad inuicem, & patet littera vsque, ibi.

MEN OC.

Spiritum pessimum. D. August. & alij Diabolum interpretantur. Is postea discordiarum, malorumque omnium auctor & incentor fuit. Sic Psal. 77. 49. dicitur: *Misit Dominus in eos iram indignationis suæ, immisiones per Angelos malos.* Quod autem dicitur misisse Dominus spiritum hunc cum S. Aug. intelligendum est, *permisissè*, ut scilicet,

A spiritum malignum inter eos volentem permiserit Deus, ire & pacem perturbare, &c.

Habitatores Sichem. Plebem intelligit, quæ scelus ab Abimelech patratum, ipsi Abimelech, & primoribus Sichem ciuibus adscribebat, ac propterea eos oderat, & auersabatur.

Misit Dominus spiritum pessimum.] Dissensionis, in Tirinyt
quit sanctus Augustinus: ideoque & ipsummet diabolum, quem non permisissè tantum, sed & imperatiuè potest dici misisse Deus, tamquam lictorem suum, ut & Abimelech regnum eriperet & vitam, simulque Sichimitas debitis pœnis plecteret, ita sanctus Augustinus, Caictanus & Arias.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 25. ad 28.

Vulg. Posueruntque insidias aduersus eum in summitate montium: & dum illius præstolabantur aduentum, exercebant atrocitiam, agentes prædas de prætereuntibus, nuntiatumque est Abimelech.

Pag. Posueruntque ei Domini Sichem, &c. super capita montium, & diripiebant omnem, qui transibat super ea in via.

Malu. Posuerunt potientes Sichem insidiantes;

Vatab. Super cacumina.

Sept. Nuntiatum regi.

Cald. Habitatores Sichem.

Arab. Capiebant omnes viatores, & carceribus destinabant.

Vulg. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, & transiit in Sichimam. Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem.

Pag. Sperauerunt in eo habitatores Sichem.

Malu. Considerunt potientes Sichem.

Syr. Gaal Ophati filius.

Arab. Aheri filius, fretique sunt eo Sichemitæ.

Vulg. Egressi sunt in agros vastantes vineas, vtiæque calcantes, & factis cantantium choris, ingressi sunt fanum Dei sui, & inter epulas, & pocula, maledicebant Abimelech.

Pag. Inciderunt vineas eorum, & fecerunt læticias, & egressi in domum Dei, &c.

Arias. Vindemiarunt, &c. fecerunt laudes, & ingressi in domum deorum suorum.

Tigur. Hymnos concinebant, & publicis epulis institutis.

Malu. Viauerunt, & fecerunt laudationes, biberunt, & leuifecerunt.

Sept. Rom. Fecerunt epulum, & intulerunt ad domum.

Reg. Faciebant choreas.

Cald. Fecerunt tripudia, & intrauerunt ad domum erroris eorum.

Syr. Mustum expresserunt, & facto conuiuio.

Arab. Paratâque mensâ ingressi sunt ædem idolorum suorum.

Vulg. Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, & quæ est Sichem, vt seruiamus ei? numquid non est fi-

lius Ierobaal, & constituit principem Zebul seruum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo seruiamus ei?

Pag. Et Zebul præpositus eius, seruire viris Chamor patris Sichem.

Malu. Et Zebul visitator eius, seruite homines.

Sept. Rom. Et quis filius Sichem?

Reg. Et Zebul existens princeps eius.

Syr. Nonne filius Nedubaal, & Zebol, qui transgressus est mandatum eius, seruiuerunt genti Hemor?

Arab. Vt se subiiciant ei Israëlita, quando quidem is homo est qui prætergrediens quod præceperat illi Dominus eius, subdidit se Sichimitis, qua de re nos seruiamus ei?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vastantes vineas; Alij, *Inciderunt vineas*, & licet aliqui velint hîc sermonem haberi de vindemia, vnde *Arias* vertit, & *vindemiarunt*, & vuarum in calcari expressione, tamen arbitror, de vera vinearum vastatione, vnde *Pag.* vertit, *inciderunt vineas, vnasque calcantes*. In Hebr. tantum habetur, calcauerunt, sed subintellige vvas. *Malu.* vertit, & *viauerunt*, quod sic explicat, fretus præsidio Gaalis, aucter per vias, & itinera inceserunt, calcauerunt intrepidè vias publicas. *Factis cantantium choris*; Alij, *Choros, tripudia*. Hebr. הילול *hillulim*, quam vocem retinuerunt *Sept. Rom. Reg.* autem *χῆρος. Principem Zebul*; Alij, *Zebul præfectus, visitator eius*. Vox פקיד *pakid*, hæc omnia complectitur, visitator, numerator, censor, commissarius, administrator, Episcopus, superintendens, præpositus, præfectus. *Seruum suum super viros Emor patris Sichem*; Alij, *Seruite viris Emor patris Sichem*. Noster legit diuersis punctis, ac Masorethæ: noster enim habet עבדו *habdo*, seruum suum, hi autem עבדו *hibdu*, seruite, & ita exponunt, si seruiendum est, ne patiamini vos seruitute premi duriore, quam olim huius loci ciues sub Emore, qui Sichimitis erat veluti pater, & idem imperium retinete penes gentem istam.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Genes prædas.* Maximè de illis qui fauebant Abimelech.

MEN OC. *Posueruntque insidias.* Sichimitæ, qui cum Gaal conspirauerant, vt Abimelech euerterent.

Dum illius præstolabantur aduentum. Scilicet Abimelech.

Agentes prædas de prateruentibus. Latrocinia in eos potissimum exercentes, qui pro Abimelech stabant.

LYRAN. *Veni.* In auxilium Sichimitarum, ambiens super eos dominium, vt patet ex sequentibus.

Ad cuius, &c. Id est audaciores effecti, propter eius præsentiam.

MEN OC. *Gaal filius Obed.* Vir cognatione magna, opibus, viribusque potens, popularis, & gratosus, ex qua tribu, aut vrbe fuerit, non exprimitur in sacro textu.

LYRAN. *Egressi sunt, &c.* Qui pertinebant ad Abimelech, fautores eius in contemptu ipsius.

MEN OC. *Vastantes vineas.* in Hebræo, & apud LXX. est, *vindemiantes vineas*. Aduentu Gaalis alacres facti Sichimitæ, quod prius facere non audebant, colligendis vuis insistant, vinum expriment, & inter vulgarem vindemiatorum lasciuiam Abimelechum carpunt, & lacerant dictis.

Ingressi sunt fanum Dei sui. Vt eum laudarent, ei de excusso Abimelechi iugo gratias agerent, hostiasque immolarent.

LYRAN. *Clamantes, &c.* Vt sibi populum attraheret, & contra Abimelech excitaret.

Quis. q. d. nullius est momenti.

Et quæ est, &c. q. d. Ita nobilis ciuitas est antiquâ, quod non debet seruire ei.

Numquid, &c. Id est hominis qui non habet hîc ius dominandi.

Et constituit, &c. Præpositum vel præfectum, prout in Hebræo habetur.

Zebul. Et sic fecit magnum contemptum.

Super viros. Id est, super viros tam antiquæ nobilitatis, quod Emor, qui fuit tempore Abraham potens & nobilis, fuit pater & Dominus illius ciuitatis.

Quis est Abimelech? Quàm vilis, quàm improbus.

Quæ est Sichem, vt seruiamus ei? E contrario, quæ & quanta est Ciuitas Sichem?

Nunquid non est filius Ierobaal? A patris persona vocat Abimelech in inuidiam. Gedeonem etiam inuidiosè Ierobaal vocat, vt patratam ab illo euerfionem aræ Baal, cui Sichimitæ erant addicti, reuocet in memoriam.

Constituit principem Zebul seruum suum. Præfectum constituit Zebul clientem suum.

Super viros Emor. Inducitur mentio Emor patris Sichem, vt ciuitatis huius antiqua nobilitas, libertasque in memoriam reuocetur ex Gen. 34.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 29. & ad 33.

Vulg. Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech! Diciturque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem & veni.

Pag. Remouebo Abimelech, & dixit quispiam Abimelech, auge exercitum.

Arias. Et dixit Abimelech.

Tigur. Mox tollam Abimelech, auge copias tuas.

Malu. Et discedere fecit Abimelech, multiplica militiam tuam, & exi.

Sept. Et dicam ad eum, multiplica virtutem tuam.

Cald. Abiiciam, &c. ordina exercitum tuum.

Arab. Si committeret Deus populum istum in manus meas, amouerem sane Abimelechum, deque gradu

depellerem, diceremque ad Abimelech, arma amicos tuos, & multiplica copias tuas, & veni.

Vulg. Zebul enim princeps ciuitatis, auditis sermonibus Gaal filij Obed, iratus est valde.

Cald. Inualuit indignatio eius.

Syr. Æstuauit ira.

Arab. Vehementer defauit.

Vulg. Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce Gaal, filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, & oppugnat aduersum te ciuitatem.

Pag. Misit in dolo, &c. veniunt in Sechem, & obsident.

Arias. Angustiantes ciuitatem super te.

Tigur. Occupauit contra te.

Malu. Et ecce ij coangustantes urbem super te.
Malu. teste aliqui vertunt. Misit legatos ad Abimelech in Thormah.
Vulg. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, & latita in agro.
Tigur. Colloca infidias in campo.
Pag. Infidiare in agro.
Arab. In deserto.
Vulg. Et primo manè oriente sole, irrue super ciuitatem, illo autem egrediente aduersum te cum populo suo, fac ci quod potueris.

Pag. Grassaberis contra orientem, facies eis secundum quod potuerit manus tua.
Arias. Et erit in mane circa oriri solem, & manicabis, & vastabis super ciuitatem.
Tigur. Facias ergo vt vsus feret.
Malu. Ex spoliabis super ciuitatem.
Sept. Surges diluculo, & tendes super ciuitatem.
Cald. Et erit in aurora in oriri solem, anticipabis & extraheris super urbem.
Syr. Procede contra ciuitatem.
Arab. Ambula.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

M *Iste clam; Alij, In dolo; Alij, In Thormah.* Verum est in Hebræo haberi בתרמה *bethormah*, Thormah significat dolum, fallaciam, insidiosè occultum, latens; tamen aliqui volunt, quia hoc nomen thormah in hac forma & in hac significatione non inuenitur in scriptura: alij pro nomine proprio urbis, aut loci accipiunt, voluntque hunc esse ipsum locum, qui infra versu 41. appellatur Arumah: *Dictumque est Abimelech, Congrega, Arias dixit Abimelech*, non expresso supposito verbi, *dixit*: sed in Hebr. nonnulla sunt verba quæ sæpe impersonaliter explicari vel verti debent: Et ita hîc vertit *Vulg.* vel certè aliquis nominatiuus est supplendus. Sed talis, qui indeterminatum aliquod suppositum significet. Dixit, videlicet quispiam, quod addidit *Pag. Sept. & Arab.* hæc omnia & sequentia vsque ad finem versus, volunt esse verba Gaal, vnde per primam personam futuri verterunt. *Et dicam*, nimirum quod sequitur, *Congrega exercitûs multitudinem*, & ita non videntur legisse in Hebr. ויאמר *vaiomer*, & dixit, sed ויאמר *veomar*, & dicam: & sic sensum redderent insultantis ipsi Abimelech: neque hic sensus reiiciendus, si Hebræa attendantur: nam & ad hanc iactationem, & insultationem videtur Zebul alludere, vers. 38. *Et oppugnat aduersum te ciuitatem; Alij, Coangustat urbem super te*: Obsidet, id est cogit ciuitatem, vt arma contra te sumat, eamque munita: *Latita in agro; Alij, Infidiare*; latitat enim quasi insidiis opportunitatem inuadendi expectans. Verbum enim ארב *arab*, insidiari propriè significat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V** *Tinam.* Ex quo patet quod volebat dominari, ibi. *Dictumque.* Hic consequenter describitur ipsorum rebellantium impugnatio ad instinctum ipsius Zebul a proposito sui: nuntiantis sibi in secreto verba quæ audierat ab ipso Gaal & cautè dissimulauerat. Et patet littera vsque ibi.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 34. ad 37.

V *Vulg.* Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, & tetendit infidias iuxta Sichimam in quatuor locis.
Pag. Infidiati sunt contra Sechem quatuor duces.
Arias. Quatuor capita.
Tigur. Collocarunt infidias quatuor ordinibus.
Guar. Quatuor cunei.
Vatab. Quatuor turmæ. *Isid. Clar.*
Sept. Infidiati sunt quatuor principiis.
Reg. Quatuor ordines.
Syr. In quatuor acies diuisi.
Arab. Quattuor in locis.
Vulg. Egrediusque est Gaal filius Obed, & stetit in introitu portæ ciuitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de insidiarum loco.
Vulg. Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, & hoc errore deciperis.

Pag. Vubram, &c. quasi homines.
Arias. De capitibus montium.
Arab. Ait illi Zechel præfectus, imo vero umbram montium, & opacitatem vides.
Vulg. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit, & vnus cuneus venit per viam quæ respicit quercum.
Arias. Caput vnum veniens.
Malu. De via Elon.
Isid. Clar. Quæ ducit ad planitiem ariolorum.
Sept. Rom. Et principium aliud venit.
Reg. Cuneus à via quercus aspicientium.
Cald. Ecce populus descendentes à fortitudine terræ, & turma vna venit à via planitiei.
Syr. En populus veniens è munitiore loco terræ, & acies vna venit, &c.
Arab. Video populum egredientem ex imo terræ, & agmen vnum stipatum procedens ex arbore quercus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

I *N quatuor locis; Alij, Quattuor duces, quatuor capita*, id est, surrexit Abimelech, diuiso suo exercitu in quatuor ordines, agmina, turmas, sub quattuor ducibus, per quattuor partes aggrediens. *Et hoc errore deceptus; Alij nihil tale habent, sed hoc addidit Vulg. maioris explicationis gratia.* *De umbilico terræ descendit; Alij, A fortitudine terræ, è munitiore loco.* Umbilicus hîc significat summitatem montium, sicut enim umbilicus eminent, sic montes eminent de terra: Et sicut in montibus fortiora sunt præsidia, ideo alij dixere, *è fortitudine terræ, è munitiore loco terræ.* *Quæ respicit quercum.* Hebr. additur Mehonemim, quam vocem retinuit *Pag. Sept.* autem reddiderunt, *quercum aspicientium*: si propriè vertas, est quercus præstigiatorum, seu ariolorum, & ita reddidit *Isid. Clar.* E nostro autem textu, vel vox illa excidit, vel, quod nonnullis visum est, respondent voces illæ, *quæ respicit.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D** *Ixit.* Qui simulabat se esse cum Gaal quousque Abimelech repentè veniret super eum, & socios eius interficeret, propter quod nitebatur eum decipere, dicitur. Tom. I V. **B** cens; umbras mont. &c. Sequitur. *Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul.* Simulabat Zebul amicitiam cum Gaal, & clam illo, vt dicitur. MENO G. ij

num. 31. Abimelech monuerat, vt cum suis veniret in Siche-
chem.

Vmbra montium vides. Conatur Zebul Gaalem à suspi-
cione aduentantis exercitus remouere, ne imminente ma-
lo occurreret.

LYRAN. *Ecce populus, &c.* Id est, de cacumine montis, quod dici-
tur vmbilicus terræ, quia supereminet aliis partibus
ventris. Sequitur.

Al *De vmbilico terræ.* Vmbilicus terræ vocatur, non vt
aliquando, id quod est medium, sed quod editius est, &
fortius, vt sunt montes. Alij putant vocari vmbilicum,
quod locus esset in terræ illius medio, collisque bonus &
ferax.

Per viam qua respicit quercum. Illam credo quercum in-
telligit, de qua suprâ num. 6.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 38. ad 41.

Vulg. Cui dixit Zebul: Vbi est nunc os tuum, quo lo-
quebaris? Quis est Abimelech vt seruiamus ei?
Nonne hîc populus est, quem despiciebas? Egredere,
& pugna contra eum.

Malu. An non populus, quo fastidium habuisti in eo, Exi
euge nunc, & cæde in eo?

Sept. Quem spreuisti, exi vtique nunc & congregere cum
eo.

Cald. Vbi nunc verbum tuum, quo tu dicens, &c. nonne
hîc populus quo fregisti in eo, ini bellum cum eo?

Arab. Ilte populus quem irrisisti?

Vulg. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, &
pugnauit contra Abimelech.

Malu. Et exiit faciebus potentium Sechem, & cæcidit
in Abimelech.

Sept. Et egressus.

Cald. Iniit prælium.

Vulg. Qui persecutus est eum fugientem, & in urbem
compulit: cecideruntque ex parte eius plurimi, vsque
ad portam ciuitatis.

Pag. Ceciderunt vulnerati multi vsque ad ostium por-
tæ.

Alij. Vsque ad apertionem portæ.

Malu. Fugit de faciebus eius, & ceciderunt violati multi.

Vulg. Et abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal
& socios expulit de vrbe, nec in ea passus est commo-
rari.

Malu. Eiecit Ghalghal, & fratres eius de habitare in Se-
chem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nonne hîc est populus, quem despiciebas? Alij, *Quem irrisisti?* Videtur Zebul alludere ad nomen Gaalis, nam
Gaal significat despectorem, irrisorem, fastidiosum. *Et in urbem compulit.* Hæc in aliis desunt, videtur ta-
men id & verum omnino esse, & explicationis causâ additum: & hoc sensu paulo post dici expulsam, nam si
non admissus, quomodo non omnes ab Abimelech cæsi? Verum est ergo cum suis in urbem admissum, sed factione
Zebul postea ab vrbe cum suis expulsam. *Vsque ad portam ciuitatis;* Alij, *Vsque ad apertionem portæ,* quo significari pu-
tant magnam stragem editam, circum portam, interim dum porta fugientibus aperitur.

ANNOTATIONES.

MENOC. *V*bi est nunc os tuum, &c. Iam Zebul laruam deponit,
& amarulenta eorum exprobratione, quæ Gaal di-
xerat num. 28. eum ad manus cum Abimelech conferen-
das impellit.

LYRAN. *Abiit ergo, &c.* Qui non exiit ciuitatem cum Galaad, ad
pugnandum, sed expectabat interiùs belli euentum.

MENOC. *In urbem compulit.* Duæ erant in Siche-
m factiones; alte-

B ra Zebul, altera Gaal sequebatur, quamuis ergo victus Gaal
fususque fuisset ab Abimelech, tamen cum Zebul vrbe
excludere non potuit, sed cum primum potuit, expulit, vt
narratur num. 41.

Zebul autem, &c. Qui debellati iam fuerunt in campo, Lyr. a
& propter hoc populus ciuitatis parum curabat de eis. Cæ-
tera patent vsque ibi.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 42. ad 45.

Vulg. Sequenti ergo die egressus est populus in cam-
pum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech.

Pag. Nuntiauerunt Abimelech.

Sept. Et factum est in crastino, &c. & annuntiauit ipsi Abi-
melech.

Vulg. Tulit exercitum suum, & diuisit in tres turmas, ten-
dens insidias in agris. Vidensque quòd egrederetur po-
pulus de ciuitate, surrexit, & irruit in eos.

Pag. Diuisit eos in tria capita.

Arias. Cepit populum & dimidiauit.

Sept. Dimisit eos in tria principia, &c. & surrexit super eos.

Syr. Assumpto populo, eoque in tres partes diuiso.

Arab. In tria agmina,

Vulg. Cum cunco suo; oppugnans, & obsidens ciuita-
tem: duæ autem turmæ palantes per campum aduerfa-
rios persequebantur.

Pag. Et Abimelech, & capita, quæ erant secum grassati
sunt, & steterunt ad ostium portæ ciuitatis, duo autem
capita grassati sunt aduersus omnes qui erant in campo.

Arias. Vastauerunt super omnes, qui erant in agro.

Vatab. Impetum fecerunt.

Tigur. Aliæ duæ turmæ irruerunt.

Malu. Exspoliauerunt, & steterunt ianuæ portæ vrbis.

Sept. Rom. Abimelech, & principes qui cum eo extende-
runt, &c. & duo principia tetenderunt super omnes, &c.

Reg. Et duæ turmæ effusæ sunt.

Cald. Protractæ sunt.

Vulg. Porrò Abimelech omni die illo oppugnabat urbem
quam cœpit, interfectis habitatoribus, ipsaque destru-
cta, ita vt sal in ea dispergeret.

Pag. Seminavit in ea sal.

Arias. Urbem conseruit eam sale.

Malu. Abimelech cæcidit in vrbe, &c. & demolitus fuit
urbem.

Cald. Pugnauit in vrbe omnem diem illum, & subegit vr-
bem.

Syr. Seminavit eam synapi.

Arab. Conseruit illam herba falsa.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Itavt sal in eo dispergeret; Alij, *Seminavit eam sale,* quod amplius est, ac dispergere, sed Syr. vult esse Synapi, quo Si-
chem aspersa est: & Arab. Herbam falsam: sed omnes alij conueniunt in hoc quod sal in ea dispersum, & seminatum,
vt quanto odio suam prosequeretur patriam, indicaret, & non insolitum fieri in urbibus quæ à suis proditoriè
deficiunt principibus, vel in aliorum exemplum.

ANNOTATIONES.

MENOC. **Q**uod egrederetur populus de ciuitate. Non ut agrestibus vacaret operibus, ut putauit Sabellicus lib. 8. exemplorum cap. 3. sed ut pugnaret.

LYRAN. *Palantes, &c.* Manifestè discurrentes, & inde dicitur, *paleter*, gallicè.

LYRAN. *Porro Abimelech, &c.* Consequenter describitur vtrumque punitio, scilicet Abimelech & eorum qui promouerunt eum ad regnum, quia interfecit eos, & finaliter interfectus est ab eis. Primò ergo describitur destructio vrbis Sichem, cum dicitur.

A *Quam coepit, interfectis.* Sal enim reddit terram sterilem, & ideo, quando aliquis destruebat funditus aliquam ciuitatem spargebat ibi salem in signum perfectæ victoriæ. Secundò describitur destructio fortalitij, cum dicitur.

Quod cum audissent. Et patet littera.

Ita ut sal in ea dispergeret. In perpetuæ desertationis notam, ac signum; sal enim ex quo nullus fructus nascitur, sterilitatem significat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 46. ad 49.

Vulg. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum Dei sui Berith, vbi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valdè.

Pag. Venerunt ad arcem Beetherith.

Arias. Audierunt omnes Domini turris Sichem.

Malu. Venerunt ad munitionem domus Dei Berith.

Sept. Rom. Venerunt in conuentum Bethel-Berith.

Reg. Ingressi sunt in arcem domus Bethel fœderis.

Cald. Venerunt ad fanum Bethel ad ineundum fœdus.

Syr. Omnes Domini Magdal Sechim conuenerunt ad ineundum Bethel fœdus.

Arab. Quo audito incolæ arcis Sechim conuenerunt.

Arab. Quo audito incola arcis Sechem, &c. ut ibi coniuarent, conspirarentque.

Vulg. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos.

Pag. Quod congregati essent.

Malu. Quia congregauerunt sese omnes potentes turris Sichem.

Syr. Audiuit congregatos Dominos Magdal-Sechim,

Vulg. Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi, præcidit arboris ramum, impo-

situmque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videris facere, cito facite.

Pag. Tulit Abimelech securis.

Arias. Quod vidistis feci, festinate, facite sicut ego.

Malu. Excidit perplexitatem lignorum, & leuauit eam.

Sept. Succidit ramum ligni.

Arab. Accipiens bipennem manu sua, ligna cæcidit ex arboribus.

Vulg. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, ut fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres, habitatorum turris Sichem.

Pag. Posuerunt iuxta arcem, &c. mortui ferè mille viri.

Malu. Et exciderunt etiam omnis populus, vir perplexitatem suam, & posuerunt super munitionem.

Caiet. Super locum celsum.

Sept. Imposuerunt super conuentum, & incenderunt super eos conuentum.

Cald. Posuerunt super fanum.

Syr. Qui applicata strue ciuitatem combussit.

Arab. Multis lignis congestis, ignem accendit in lignis, arcem combussit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ingressi sunt fanum Dei sui Berith; Alij, Venerunt ad arcem, ad munitionem, &c. Hebræi notant צריח *stzeriach*, esse locum vel ædificium altum, & eleuatum, ut turrim, arcem, sic dictum, quod speculator inde exclamat, & validè vociferatur. Noster veram & elegantem paraphrasim & explanationem subiicit, & vocis בריח *berith*, & vocis צריח *stzeriach*, dicens: Vbi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen accepit, qui erat munitus valdè. Dixit autem Berith, sed decurtatè, nam integrè vocabatur Baal-Bireth. *Ut fumo & igne mille homines necarentur.* In alijs nulla fit mentio fumi, sed tantummodò ignis, per se tamen verisimile satis est fumo multos initio necatos, quod ligna essent viridia.

ANNOTATIONES.

MENOC. **Q**uod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum. Aliqui putant turrim hanc intra ciuitatem sitam fuisse: Serarius existimat in loco non admodum distito, sed non intra urbem, alioqui non diceretur, *quod cum audissent, &c.* sed potius *quod cum viderent.* Putat idem Serarius turrim hanc fuisse Mello, de qua dictum est supra numero 6.

B *Ingressi sunt fanum Dei sui Berith.* Ut scilicet loci munitione, ac religione se tuerentur.

In montem Selmon. Mons hîc est in eadem tribu Ephraim non procul à turri Sichem, orientem, ac Iordanem versus, densæ ibi arbores, & nix, quæ vix tandem liquefiebat. P. sal. 67. v. 16. *Nive dealb abuntur in Selmon.*

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 50 ad 53.

Vulg. Abimelech autem inde proficiscens, venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu.

Pag. Castrametatus est contra Thebes, & cepit eam.

Malu. Et ambulauit, &c. & defedit in Thebeth.

Sept. Rom. Et iuit Abimelech, de Baathel-Berith.

Cald. Et subegit eam.

Arab. Obsedit eam.

Vulg. Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, & omnes principes ciuitatis, clausa firmissimè ianua, & super turris tetum stantes per propugnacula.

Tom. IV.

Pag. Clauserunt se super se, & ascenderunt super tetum, &c.

Malu. Et turris obfirmationis fuit in medio vrbis.

Sept. Clauserunt deforis se.

Cald. Obseruauerunt in faciebus suis.

Arab. Erat in vrbe illa propugnaculum munitum.

Vulg. Accedensque Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitabatur.

Malu. Cæcidit in ea, & accessit vsque ad ianuam turris ad comburere eam igne.

Vulg. Et ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens,

G iij

illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.
Pag. Confregit ceruicem eius.
Arias. Proiecit fragmen currus, & quassauit caluariam eius.
Vatab. Cranium eius.

Tigur. Fragmen molaris lapidis,
Sept. Fragmentum super molare.
Reg. vt in Vulg.
Cald. Frustum currus mola.
Arab. Caput.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

O *Bsidebat exercitu.* Arab. similiter hoc solum habet: sed Hebr. & Sept. *Et cepit eam;* quod verum est, nam ciues, qui erant in vrbe, ad eam confugerant, neque, nisi captâ, ad turrim accedere potuisset Abimelech. *Stantes super propugnacula.* Hæc in aliis non habentur, sed addita à Vulg. quia id loci ratio, & conditio deposcebat. *Fragmen mola;* Alij, *Fragmen supermolare: frustum currus mola,* nempe superioris. Vox enim רכב *recheb,* significat non quamlibet molam, sed eam, quæ super altera mouetur, & quasi super eâ equitat. *Confregit cerebrum eius;* Alij, *Caluariam,* caput, dictio Hebr. sonat confuse vniuersas capitis partes.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Abimelech autem inde.* Ad obsidendum eam. Scien- **A** vt ait Adricomius num. 59.
Y. 50. dum autem quod alia est ciuitas in Ægypto quæ similiter vocatur Thebes de qua fuit legio Thebeorum: cui præfuit sanctus Mauricius, & alia in Iudæa nomine Theba de qua fuit Helias Thesbites: & alia est in Græcia, quæ dicitur Thebe: à qua dicuntur Thebeni, & in hac obsidione Abimelech interfectus est, vnde sequitur.
MENOC. *Venit ad oppidum Thebes.* Vrbs est in tribu Manasse,

Et ecce. In Hebræo habetur: *ceruicem eius.* Si enim confregisset cerebrum, statim fuisset mortuus vt videtur: quod tamen non fuit, imò præcepit postea armigero suo quòd interficeret eum: Vnde subditur.
Fragmen mola. LXX. indicant fuisse fragmentum superioris molæ, habent enim κλάσμα ὑπέρμολον.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 54. ad 57.

V *Vulg.* Qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percutite me, ne fortè dicatur quòd à fœmina interfectus sim. Qui iussu perficiens, interfecit eum.
Pag. Vocauit puerum portantem arma sua, &c. & perforauit eum puer eius.
Arias. Clamauit ad puerum portantem vasa sua.
Malu. Vocauit festinantiam ad excussum, &c. & transfodit eum.
Cald. Clamauit in festinatione, &c. fortasse dicent super me, mulier occidit eum.
Syr. Transuerberauit ergo eum.
Vulg. Illoque mortuo, omnes, qui cum eo erant de Israël, reuersi sunt in sedes suas.
Pag. Abierunt vnusquisque ad locum suum.
Vulg. Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.

Malu. Et reuertere fecit Elohim malum Abimelechi.
Sept. Retulit Deus malignitatem.
Reg. vt Vulg.
Syr. Rependit scelus, quod commiserat in patrem suum.
Vulg. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, & venit super eos maledictio Ioatham filij Ierobaal.
Pag. Et omne malum virorum Sechem reddidit Deus in caput eorum.
Tigur. Venit super eos execratio.
Malu. Leuificatio.
Sept. Omnem malignitatem, &c. retulit, &c.
Arab. Et pro toto infortunio quod susceptum fuerat à ciuibus Sechem, reddidit fraudem totam in iugulum ipsorum: recidit malitia eorum in capita eorum, & desiderunt in eos maledictiones omnes, quibus maledixerat eis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A *Armigerum suum;* Alij, *Ferentem vasa sua.* Nomine vasorum comprehendunt etiam Hebræi, arma, & quamlibet aliam suppellestem. *Et reddidit Deus malum;* Alij, *Redire fecit Elohim.* Sept. *Malignitatem.* Syr. *Scelus.* Id est, Deus vindex, & æquissimus iudex ob scelus & cædem septuaginta fratrum crudeliter ab Abimelecho occisorum, ab eo dignas exegit pœnas, nec non à Sichimitis neci eorum consentientibus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Et percutite me.* Plus enim formidauit opprobrium etiam **B** *misit super eum fragmen mola de muro; & interfecit eum in Thebes?*
Y. 54. post mortem quam animæ damnationem: non enim licitum est alicui sic accelerare mortem suam.
MENOC. *Ne forte dicatur quòd à fœmina interfectus sim.* Imò dicitur, & porro semper dicitur: *Quis percussit Abimelech filium Ierobaal,* dicebat Ioab 2. Reg. 11. 21. *Nonne mulier*
Y. 54. *Et reddidit.* Hæc est conclusio huius capituli, ostendens qualiter malum Abimelech & promouentium ipsum, reuersum est in caput eorum secundum maledictionem Ioathan filij Gedeonis.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS.

Exstincto Abimelech, Thola dux creatur. Huic quoque defuncto Iair succedit. Israëlitæ in idololatriam relapsi traduntur puniendi Philisthæis & Ammonitis. Sed mox pœnitentibus opitulatur Deus, exprobratâ prius fœdâ ingratitude eorum.

I. **P**ost Abimelech surrexit dux in Israël Thola filius Phua, patruï Abimelech, vir de Issachar, qui habitabat in Samir montis Ephraim: 2. & iudicauit Israëlem viginti & tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir. 3. Huic successit Iair Galaadites, qui iudicauit Israëlem per viginti & duos annos, 4. habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, & principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius sunt appellatæ Hauot-Iair, id est, oppida Iair, vsque in præsentem diem, in terra Galaad. 5. Mortuusque est Iair, ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon. 6. Filij autem Israël peccatis iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruiuerunt idolis, Baalim & Astaroth, & diis Syriæ, ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philisthiim: dimiseruntque Dominum, & non coluerunt eum. 7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim & filiorum Ammon. 8. Afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad: 9. in tantum, vt filij Ammon, Iordane transmissi, vastarent Iudam, & Benjamin, & Ephraim: afflictusque est Israël nimis. 10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccauius tibi: quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim. 11. Quibus loquutus est Dominus: Numquid non Ægyptij, & Amorrhæi, filiique Ammon & Philisthiim, 12. Sidonij quoque & Amalech, & Chanaan, oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum? 13. Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos: idcirco non addam vt ultra vos liberem: 14. Ite, & inuocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiarum. 15. Dixeruntque filij Israël ad Dominum: Peccauius, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos. 16. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, & seruiuerunt Domino Deo: qui doluit super miseris eorum. 17. Itaque filij Ammon, conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filij Israël, in Maspha castrametati sunt. 18. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 5.

Vulg. Post Abimelech surrexit dux in Israël Thola filius Phua, patruï Abimelech, vir de Issachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim.

Pag. Surrexit vt saluum faceret populum Israël Thola filius Phua, filij Dodo.

Caiet. Ad saluandum facere Israël.

Sep. Filius Phua patruï eius.

Syr. Phua filij aui eius.

Arab. Filius Phualis nepotis illius.

Vulg. Et iudicauit Israëlem viginti, & tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir.

Vulg. Huic successit Iair Galaadites, qui iudicauit Israëlem per viginti, & duos annos.

Vulg. Habens triginta filios, sedentes super triginta pul-

los asinarum, & principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius sunt appellatæ Hauot-Iair, id est, oppida Iair, vsque in præsentem diem, in terra Galaad.

Pag. Equitantes super triginta pullos.

Malu. Vehentes.

Tigur. Qui vehebantur.

Sep. Rom. Erant ei triginta, & duo filij conscendentes super 32. pullos, & 32. ciuitates eis.

Syr. Equitantes super triginta asellas.

Arab. Vocabantur rura Iair.

Vulg. Mortuusque est Iair, ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon.

Sep. Et sepultus est in Rhamnon.

Reg. Camon.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Surrexit dux in Israël, Alij, Vt saluum faceret populum Israël, hoc enim ducum, seu iudicum proprium est officium, quod proinde Vulg. verbo ducis inclusum intelligere voluit. Thola filius Phua, patruï Abimelech, Alij, Filij Dodo. Heb. enim est בן דודו *ben Dodo*. Hebraizantes plurimi illud Dodo retinent, tanquam proprium nomen eius. Quasi Dodo fuerit pater Phua, & auus Thola iudicis; sed magis Vulg. Sep. & Cald. credendum, qui vertunt, patruï eius. Et quia illud *eius* in Heb. & Sep. erat obscurum, quia quid referret non ista constat, ideo Interpres loco illius pronominis relatiui, nomen ipsum proprium, quod eo pronomine referebatur, maluit reponere, nempe Abimelech, de quo proximè præcesserat, neque enim aliud est quod referat. Triginta filios. Sep. Rom. Triginta duos. Sed Codex regius in numero tam filiorum, pullorum, quàm ciuitatum, nostro textui, & Heb. nec non aliis consentit. Sedentes, Alij, Conscendentes, equitantes. Heb. רכבים *rochebim*, quod est equitatus: & licet equitare apud nos tantum dicatur de equis, tamen in Heb. generalis est vox, comprehendens vehi tam equo, quàm mulo, &c. Super pullos asinarum. In Heb. & Sep. non fit mentio asinarum, vnde quis posset dubitare, an essent pulli equorum, sed Syr. expressè habet, super asellas, & ita est, quia tunc fuit insigne nobilem, & principum, vehi asinis, vt videre est c. 5. Num. 12. & infra c. 12.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

Post *Abimelech*. Hic describitur quinta tribulatio filiorum Israël à qua liberati fuerunt per Iephte. Et primo ponitur pondus tribulationis; secundò modus liberationis. c. 11. tertio impetus seditionis. 12. c. Prima in duas, quia primo describitur tempus pacis: secundo tribulationis, ibi: *Filij autem Israël*. Ut opposita iuxta se posita magis elucescant. Tempus autem pacis describitur sub duobus iudicibus successiuè præsentibus. Tempus autem secundi ponitur, ibi. *Huic successit Iair*. De primo dicitur.

Post Abimelec. Non dicit rex sicut de Abimelech, qui iniquè usurpauit sibi nomen regium. Iste autem rediit ad modum pristinum quo iudices præerant, scilicet per modum directionis, & consilij, magis quam per modum dominij.

Thola. Patruus est frater patris, & ideo secundum istam translationem Phua fuit frater Gedeonis. Sed sequens littera videtur repugnare, cum dicitur. *Vir de Issachar*. Gedeon autem fuit de tribu Manasse vt dictum est supra 6. c. tribus autem erant incommistæ. Ad quod potest dici quod incommistio tribuum fuit sub præcepto, ne commiserentur sortes hereditatum, vt dictum fuit Num. 35. idè mulieres quæ non habebant hereditatem, poterant nubere cum viris alterius tribus, vt dictum fuit ibidem: quia ex hoc non sequebatur commistio sortium. Mater autem Gedeonis secundum ista fuit huius conditionis: sic successiuè contraxit vni viro de tribu Manasse: & alteri de Issachar. Sciendum tamen quod vbi traslatio nostra habet, *Phua patris Abimelech*, in Hebræo habetur *filij Dodo*. Et secundum Hebræos est hoc nomen proprium patris ipsius Phua, & secundum hoc non oportet dicere quod Phua, & Gedeon fuerunt fratres ex parte matris. Sciendum etiam quod Dodo apud Hebræos, est etiam nomen commune, & significat patrum suum, & secundum hoc processit traslatio nostra. Sicut in Latino idem nomen aliquando est proprium, & commune, æquiuocè tamen sicut est nomen Romanus, aliquando accipitur pro proprio nomine vnus hominis, aliquando pro nomine adiectiuo communi ad omnem hominem Romanum, traslatio autem nostra discrepat hic ab Hebraica, vt patet per prædicta.

ESTIVS.

Thola filius Phua, patris Abimelech de tribu Issachar. Obseruandus hic locus. Nempe cum Gedeon. & Abimelech fuerint de Manasse, & Thola de tribu Issachar, & ipsi inter se patruales dicantur, manifestum est has tribus fuisse permixtas. Facitque hoc pro eorum sententia, qui dicunt non solum id licitum fuisse in duabus tribubus Leui, & Iuda, sed etiam in aliis, modo non subesset periculum transferendæ possessionis ex vna tribu in aliam. Vide Augustinum super hunc locum. In Hebræo nulla est difficultas. Sic enim legitur: *Thola filius Phua, filij Dodo, vir de Issachar*. Sed illud Septuaginta verterunt; *Filius Phua, filius patris eius*, scilicet Abimelech. Quod secutus est Hieronymus. Expendendum vocabulum Heb. (*Dodo*.)

MENO C.

Surrexit dux in Israël. In Hebræo, Caldæo, & Græco textu dicitur, surrexit vt saluaret Israël. Saluauit autem abducendo ab idololatria, & à malis liberando, in quæ ob tyrannidem Abimelech populus incurrerat.

Filius Phua patris Abimelech, vir de Issachar. Gedeon

A fuit è tribu Manasse, quomodo ergo Phua frater Gedeonis, potuit esse de tribu Issachar? *Potuerunt*, inquit D. August. quæst. 47. *Gedeon & Phua vnã habere matrem, ex qua diuersis patribus nascerentur, & fratres essent vnus matris filij, non vnus patris*.

In Samir montis Ephraim. Vrbs in confinio Ephraim, licet ad tribum Issachar pertineret. Additur illud, *montis Ephraim*, quia est alia Samir in tribu Iuda. Iosué 15. 48.

Surrexit dux Thola.] Non proprio Marte, vel vi, vel fraude, vt tyrannus *Abimelech*, sed solemnè populi electione. Qua via, & alij deinceps hunc subsecuti, *iudices*, facti sunt, ita Abulensis. Sub huius iudicis annum 3. notat Eusebius, Herculem in Lybia regnantem, Antæum Neptuni filium, qui hospites secum palæstra dimicare compellebat, vnus elisum interemisse: & hydram quoque (quam Plato calidissimam sophistram fuisse asserit) confecisse: aliaque heroica certamina consummasse, de quibus fusè Apollodorus, Hyginus & Pausanias.

Vir de Issachar.] Petes: Quomodo ergo *Thola* dicitur hic fuisse nepos *Gedeonis* ex fratre *Phua*, cum constet Gedeonem fuisse de tribu Manasse? Respondeo, cum S. Augustino, *Gedeonem & Phua*, ex diuersis quidem patribus diuersarum tribuum natos fuisse, sed ex vna eademque matre. Potuisse enim fœminas nubere viro alterius tribus, quando ea occasione hereditates non transferbantur in alteram tribum, dixi Num. vlt.

Huic successit. Hic describitur tempus secundi iudicis. LYRAN. v. 3.

Et patet littera vsque ibi. MENOC.

Iair. Quod nomen *illuminans* significat, sic ille etiam

vocabatur Iairus Marci 5. & Luc. 8.

Galaadites. Quia ex ea parte tribus Manasse, quæ trans Iordanem habitabat. Tota verò illa regio aliquando dicitur terra Galaad in sacris literis.

Sedentes super triginta pullos asinarum. Id est, mulos, LYRAN. v. 4. secundum translationem istam. In Hebræo non additur *asinorum*, & idè secundum Doctores Hebraicos per pullos intelliguntur hic equi iuuenes electi.

Et principes triginta ciuitatum. Ex his verbis videri potest præfecturam huius Iair habuisse speciem absoluti dominij, quandoquidem 30. filios suos, 30. ciuitatibus præfecisset, quæ & à nomine ipsius dictæ fuerint Hauoth-Iair, id est, oppida Iair. Potest tamen etiam dici Iairum, sic præfecisse filios suos illis ciuitatibus, sicut legitur, & Samuel præfecisse suos filios 1. Reg. 8. scilicet cum nuda potestate iudicandi, non autem dominandi.

Sedentes supra triginta pullos asinarum. Afinis equitabant, eosque habebant in delitiis antiqui Hebræi, vel quia eorum mollissimus est incessus, vel quia (quod D. Hieronymo placet) equi Hebræis vetiti erant, quod tamen non est omnino verum, vt docui in Hieroliticis lib. 3. cap. 13. 1.

Iair. Ex nomine eius sunt appellata oppida Iair.] Dices, Num. 32. v. 41. dicitur *Iair filius Manasse*, occupatis vicis *Galaaditis*, eos appellasse *villus Iair*. Responderetur: Senior ille *Iair*, prior indidit istis vicis illam nomenclaturam, & fortè villas vt erant sine muris reliquit, posterior, qui muris illas cinxit, & in oppida euexit, eandem comprobauit ac roborauit, & celebriorem facit.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 6. ad 10.

Vulg: Filij autem Israël peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruiuerunt idolis, Baalim & Astaroth, & diis Syriæ, ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philisthiim: dimiseruntque Dominum, & non coluerunt eum.

Pag. Addiderunt filij Israël, vt facerent malum, seruiuerunt diis Aram, & diis Sidon.

Cald. Coluerunt Baghalaiia, & Ghasthratha, & errores Aram, & reliquerunt cultum Domini.

Arab. Recurrentes ad iniquitates suas, turpeque facinus coram Domino, seruiuerunt Baal idolo, &c. & adorauerunt Deos reliquarum gentium.

Vulg. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim, & filiorum Ammon.

Pag. Iratus furor Domini.

Arias. Nafus Domini.

Caiet. Vendidit eos in manus Philisthiim.

Tigur. Incaluit nafus.

Malu. Exarsit.

Sep. Iratus furore.
Cald. Fortificata est indignatio.
Arab. Sciuendo irâ immisit in eos Philisthiim.
Vulg. Afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad.
Pag. Et detriuerunt, & oppresserunt filios Israël in anno isto.
Arias. Et perfregerunt.
Caiet. Et contuderunt.
Tigur. Attriuerunt.
Malu. Præualidè oppresserunt, & conquassauerunt.
Cald. Et humiliauerunt.
Syr. Qui rebellantes vexarunt ab illo anno.
Vulg. In tantum, vt filij Ammon Iordane transmissio, vastarent Iudam, & Benjamin, & Ephraim: afflictusque est Israël nimis.

Pag. Et angustiatum est Israël.
Arias. Angustia fuit Israël.
Tigur. Res Israëlitarum supra modum angustæ fuerunt.
Malu. Et coangustauit Israël valdè.
Sep. Et vexati sunt.
Cald. Tribulatum est Israël valdè.
Syr. Valdè molestum.
Arab. Adeo, vt in magno discrimine, & angustia versarentur Israëlitarum.
Vulg. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiimus Baalim.
Malu. Exclamauerunt, &c. Errauimus tibi, & quia dereliquimus Elohim.
Cald. Peccauimus ante te, & dereliquimus cultum Dei nostri, & coluimus Baghalaia.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Afflicti sunt, & vehementer oppressi, Alij, Detriuerunt, & oppresserunt anno illo. *Vulg.* non habet annò illo. *Sep. Rom.* legunt, *ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ*: In tempore illo. Tempus autem non rarò sumitur pro anno, sicut annus aliquando pro tempore: vnde si ita sumeretur, non necesse fuit *Vulg.* ita reddidisse, cum absque hoc addito ipsa per se sententia indicaret: sed si sumatur annus præcisè, exponunt aliqui, in anno ipso, quo scilicet descinerunt à cultu diuino. Alij, Anno ipso quo mortuus est Iair *Afflictusque est Israël.* Alij, *Tribulatum, molestum fuit Israël, angustia fuit.* Heb. *וַתִּצְרַר* *vattetzzer*, & est futuri tertia persona fœminina: Notant autem verbum *צָר* *atzar*, quando absolute ponitur, aut construitur cum datiuo, vt hic, tunc neutraliter sumi, ac idem esse, quod angustum, molestum, &c. Vnde reddunt aliqui, constrictio fuit Israël.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *F*ilij autem. Hic consequenter describitur tempus tribulationis, vbi primò describitur, cum dicitur: *Filij autem: Quæ* explicantur magis in particulari, cum dicitur.
Et seruiuerunt idolis. Et nominantur hic septem idololatritæ, vt patet in littera. Secundo ponitur debita pœna, cum dicitur: *Contra quos.* Et patet: Tertio pœnitentia, cum subditur: *Peccauimus tibi.* Et sequitur.
MENOC. *Baalim.* Diis.
Astaroth. Deabus.
Sidonis. Astarthe scilicet. Vide 3. Reg. 11. 5. & 33.
Moab. Chamos. Vide 3. Reg. 11. 5. & 33. Num. 21. 29. & Ierem. 48. & 49.
A *Et Moab filiorum Ammon.* Scilicet Moloch 3. Reg. 11. 5. & 33. Ierem. 49. Amos 1. Chamos etiam. Vide capitè sequenti huius lib. Iud. Num. 24.
Philisthiim. Dagon, vide infra cap. 16. Num. 33. & 1. Reg. Num. 24. & seq.
Diis Sidonis, puta *Astaroth,* & *Moabitarum,* *Chamos:* & *Ammonitarum,* itidem, *Chamos,* & *Moloch:* denique & *Philisthaorum Dagon.* Horum omnium idolorum nefario cultui se manciparant Israëlitarum ante tempora *Iephthæ.*
Afflictique sunt, & vehementer oppressi. Heb. valde significanter: Isti confugerunt, & conquassarunt Israëlitas.

TIRINVS

MENOC.
v. 8.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 11. ad 14.

Vulg. Quibus loquutus est Dominus: Numquid non Ægyptij & Amorrhæi, filique Ammon & Philisthiim,
Pagn. Nonne ab Ægyptiis, & Emorrhæo.
Malu. An non de Ægypto: Ita *Sep.*
Cald. Nonne ex Mezraim? *Syr. & Arab. vt Vulg.*
Vulg. Sidonij quoque & Amalec, & Chanaan, oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum?
Pag. Et Sidonim, & Amalech, & Mahon.
Malu. Prefferunt vos, & clamauistis, & saluati?
Sep. Et Amalech, & Madian, qui tribulauerunt vos?
Cald. Et ex Sidoniis homo Mahon, afflixerunt vos, & rogastis ante me.
Arab. Et filij Ammon infestauerunt vos.
Vulg. Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos: idcirco non addam vt ultra vos liberem.
Arias. Non addam ad saluandum vos.

Sep. Non apponam saluare vos.
Cald. Et vos deseruistis cultum meum, & seruiuistis erroribus gentium.
Arab. Vos autem recedentes à me, &c. hac de causa, non liberabo vos amplius.
Vulg. Ite, & inuocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiarum.
Arias. Ipsi salutem vobis faciant.
Malu. Ambulate, & exclamate, &c. in tempore coangustationis vestræ.
Sep. In tempore tribulationis vestræ. *Reg. vt Vulg.*
Cald. Ite, & rogate ab erroribus, quibus voluistis in eis, num si potentes ad liberandum vos in tempore afflictionis vestræ.
Syr. Ite, orate apud Deos, quibus oblectati estis, ipsi sint vobis vindices.
Arab. Quos amastis, &c. in tempore calamitatum vestrarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Et Chanaan, Alij, Et Maghon, *Cald.* Et homo Mahon. Illud Maghon, siue Mahon, plures accipiunt, tanquam proprium nomen gentis cuiusdam. *Sep.* Madianitas appellant. Sed nescio, quo fundamento; nisi quod alioquin, aiunt, Madiânitæ, omitti sunt: sed possunt Madiânitæ intelligi, sub Amalechitis; nonnulli Mahon vt nomen appellatiuum, exponunt, & reddunt, & habitaculum, seu habitaculi viros, id est, gentis illius terræ quam habitatis, seu indigenæ terræ huius mansionis vestræ, videlicet reliquæ Chananæorum, quæ vos oppresserunt: Et hunc sensum noster *Vulg.* sequutus est. *Cald.* autem censet esse viri nomen proprium, vnde legit, & homo Mahon, *Syr.* & *Arab.* volunt esse Ammonitas.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **Q**uibus locutus, &c. Scilicet per Phinees, qui adhuc viuebat: vt dicunt Hebræi. Tamen si dictum eorum est verum, erat multum antiquus, quia à tempore, quo filij Israël debellauerant Sehon, & Og, & Bafan, vsque ad tempus Iephte, qui liberauit filios Israël de hac tribulatione, fluxerunt anni 30. vt habetur cap. seq. deficient tamen aliqui, vt dicitur, & tamen ex tunc Phinees iam erat homo perfectus, quia fuit ductor exercitus contra Madianitas, vt habetur Num. 31. Potest etiam dici, quod fuit per alium Prophetam, quia non nominatur hic, quis ille fuerit.
- Numquid non.* Hic nominantur septem gentes à quibus tribulationes passi sunt filij Israël contra septem idololatrias supra nominatas in quibus deliquerant.
- LYRAN. *Idcirco non.* Tales negationes diuini auxilij intelligenda sunt sub conditione, scilicet si verè non pœniteant illi qui sunt in afflictione positi, vt pater ex sequentibus.
- ESTIVS. *Non addam vt ultra vos liberem.* Primum, quod dicitur; *Non addam vt ultra vos liberem*, non simpliciter & assertoriè accipiendum est. Nam postea diuina ope sapè liberati sunt. Sed vel comminantis sunt verba, vel (quod in idem recidit) præcedentis sub conditione; si videlicet non agatis pœnitentiam. Illud autem quod dicitur v. seq. *Ite, & innocate deos quos elegistis*, neque præcipientis est, neque permittentis, sed exprobrantis cum quadam irrisione, quod schema sermonis dicitur Sarcasmus. Sapè enim scriptura Deum inducit loquentem humano more, & videntem figuris inter homines vsitatis. Sensus igitur est. Nunc re ipsa experimini, quam infirmos Deos elegeritis ad colendum, qui vos scilicet de præsentis afflictione eripere non possunt.
- Ite & innocate.* Ironicè loquitur: vt de peccatis magis doleant, & confundantur, ideo subditur.
- Ite, & innocate Deos, quos elegistis.* Non est præceptum, sed ironia, vel sarcasmus. Respondisse videtur hæc Dominus vel per Angelum vt cap. 2. Num. 1. vel potius per Prophetam aliquem, vt cap. 6. Num. 8.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 18.

- V**ulg. Dixeruntque filij Israël ad Dominum: Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos.
- Pag.* Fac tu nobis secundum quod bonum est in oculis tuis.
- Malu.* Tantum eripe nos die ista.
- Cald.* Sicut omne quod constitutum est ante te.
- Arab.* Inique egimus, fac quicquid volueris, & gratum tibi fuerit.
- Vulg.* Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, & seruiuerunt Domino Deo: qui doluit super miseriis eorum.
- Pag.* Et angustiis affecta est anima eius propter laborem Israël.
- Arias.* Abbreuiata est anima eius in labore Israël.
- Calet.* Decurtata est.
- Varab.* Coarctatus est animus eius propter afflictionem.
- Tigur.* Vt animus eius iram remitteret.
- Alj.* Imminutus est animus eius.
- Malu.* Discedere fecerunt Deos nothi de intimo eorum.
- Sept. Rom.* Diminuta est anima eius.
- Reg.* Doluit in labore.
- Cald.* Abiecerunt errores gentium ex inter ipsos, & arctata est.
- Syr.* Afflictus enim erat animus Israël.
- Arab.* Siquidem tædio affecti erant animi eorum.
- Vulg.* Itaque filij Ammon, conclamantes in Galaad fixerunt tentoria: contra quos congregati filij Israël, in Maspha castrametati sunt.
- Pag.* Conuenerunt filij Ammon.
- Arias.* Et acciti sunt.
- Varab.* Conuocati.
- Malu.* Conclamati.
- Sep.* Ascenderunt, & congregati sunt.
- Vulg.* Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: qui primus ex vobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.
- Arias.* Erit caput omnibus habitatoribus.
- Malu.* Vir ad sodalem suum, quis vir, qui profanabit ad cædere in filios Ghamon?
- Sept.* Quis est vir, qui incipiet pugnare, & erit in principem?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Redde tu nobis quidquid voles, Alij, *Fac tu nobis secundum quod bonum oculis tuis.* Id est, animaduerte in nos, propter peccatum nostrum, vt voles *Qui doluit super miseriis eorum*, Alij, *Angustius affecta est anima eius in labore Israël: Abbreuiata fuit anima.* &c. Verbum קצאר *katzar*, hinc angustiam, & anxietatem denotat: quasi diceret, doluit vehementer super afflictione Israël, non potuit ultra æquo animo ferre ærumnas Israël, Alij, vt animus eius remitteret iram, quia imminuta fuit indignatio eius, quia studuerunt in gratiam cum eo redire. Syr. & Arab. non ad Deum, sed ad ipsos Israëlitas hanc angustiam retulerunt, tamen cum eodem sensu: nam ex afflictione, & angustiis populi sui indoluit Deus: hinc autem dolor in Deo, siue coarctatio animæ, per antropopathiam dicitur.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **D**ixeruntque filij Israël, &c. Et quod hæc pœnitentia vera fuit, patet ex sequentibus.
- MENOC. *Redde tu nobis.* Quasi dicant: Non reddant obsecramus per istos alienigenas, nimirum quia vt postea dixit Dauid 2. Reg. 24. 14. *Melius est in Dei, quam hominum manus incidere.*
- Tantum nunc libera nos.* Promissio est quædam constantiæ in diuino cultu, & obsequio, quasi dicant: Perseuerabimus deinceps in te colendo: si secus faciamus, non refugimus quo minus nos acerrimè punias.
- LYRAN. *Omnia de finibus, &c.* Et ideo prius negatum auxilium concessit Dominus.
- MENOC. *Doluit super miseriis eorum.* Hebræus, *angustiata est anima eius in labore Israël*, loquitur scriptura de Deo more humano. Sic Genesis cap. 6. 6. dicitur: *Pœnituit enim quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cor-*
- dis intrinsecus, &c.*
- Itaque filij Ammon, &c.* Id est, ad bellum mutuo se conuocantes, & exhortantes contra Israël.
- In Maspha.* Maspha significat *speculam*, ideoque pluribus in Locis Masphæ inueniuntur: Hæc nostra est in Galaaditide, vt Abulensi videtur, & Ariæ, qui in tabula terræ Chanaam eam ultra Iordanem collocat, ad littus Orientale Phanuël, de qua supra cap. 8. Num. 8.
- Qui primus ex vobis, &c.* Hoc dixerunt principes de Galaad, vt aliquis cum maiori diligentia esset dux in bello, quia ad victoriam consequendam multum valet diligentia ducis, & constantia ipsius.
- Qui primus cœperit dimicare, erit dux.* Non in bello hoc solo, sed & postea super tota Galaaditide. Et sic quidem decreuerant hi principes, & primo bellum aggredi ausuro, principatum, quasi præmium propofuerant. Sed

cum ne hoc quidem premio quisquam presentium au-
deret adire tantum discrimen; communi consensu Iephte,
iam factis recentibus, & fama clarum ad id munus
euocandum censuerunt.

MENOC.
v. 19.

Qui primus ex nobis, &c. Sententia est, is noster
dux sit, & populi iudex, qui primus ausus fuerit con-

tra Ammonitas arma mouere. Verum, quia periculum
hoc videbatur, & fieri forte poterat, vt qui audax, &
manu promptus esset, consilio tamen esset destitutus, nec
tanto muneri par esset, mutato consilio, Iephte deligunt,
& missa legatione, de qua c. seq. Num. 5. rogant vt dux
exercitus, & populi iudex esse velit.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS.

Iephte iudex deligitur. Hic legatione missa ad regem Ammonitarum, conatur variis rationibus
ab iniusto illum bello deterrere: sed cum frustra id fieret, armis eum aggreditur, & superat. Mox
voti reus, filiam suam unicam Deo sacrificat.



1. **V**it illo tempore Iephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mu-
lieris meretricis, qui natus est de Galaad. 2. Habuit autem Galaad vxorem, de
qua suscepit filios: qui postquam creuerant, eiecerunt Iephte, dicentes: He-
res in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es. 3. **Q**uos
ille fugiens atque deuitans, habitauit in terra Tob, congregatique sunt ad
eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur. 4. In illis
diebus pugnabant filii Ammon contra Israel. 5. Quibus acriter instantibus,
perrexerunt maiores natu de Galaad, vt tollerent in auxilium sui Iephte de terra Tob: 6. Dixe-
runtque ad eum: Veni & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon. 7. Quibus ille res-
pondit: Nonne vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me
necessitate compulsi? 8. Dixeruntque principes Galaad ad Iephte: Ob hanc igitur causam nunc
ad te venimus, vt proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium
qui habitant in Galaad, 9. Iephte quoque dixit eis: Si verè venistis ad me, vt pugnem pro vo-
bis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps. 10.
Qui responderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa
faciemus. 11. Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque cum omni populus princi-
pem sui. Locutusque est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha. 12. Et misit nun-
tios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi & tibi est, quia venisti
contra me, vt vastares terram meam? 13. Quibus ille respondit: Quia tulit Israel terram meam,
quando ascendit de Ægypto, à sinibus Arnon vsque Iaboc atque Iordanem: nunc ergo cum pa-
ce redde mihi eam. 14. Per quos rursus mandauit Iephte, & imperauit eis vt dicerent regi Am-
mon: 15. Hæc dicit Iephte: Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon: 16.
Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulauit per solitudinem vsque ad mare rubrum & ve-
nit in Cades. 17. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me vt transeam per terram
tuam. **Q**ui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad regem Moab, qui & ipse transi-
tum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, 18 & circuiuit ex latere terram Edom, & ter-
ram Moab: venitque contra Orientalem plagam terræ Moab, & castrametatus est trans Arnon:
nec voluit intrare terminos Moab. Arnon quippe confinium est terræ Moab. 19. Misit itaque Is-
rael nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, & dixerunt ei: Dimit-
te vt transeam per terram tuam vsque ad fluuium. 20. **Q**ui & ipse Israel verba despiciens, non di-
misit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum
in Iasa, & fortiter resistebat. 21. Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo,
qui percussit eum, & possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, 22. & vniuer-
sos fines eius, de Arnon vsque Iaboc, & de solitudine vsque Iordanem. 23. Dominus ergo Deus
Israel subuertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel, & tu nunc vis possidere
terram eius? 24. Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? **Q**uæ autem Do-
minus Deus noster victor obtinuit: in nostram cedent possessionem. 25. Nisi forte melior es Balac
filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quod iurgatus sit contra Israel, & pugnaverit contra
eum, 26. quando habitauit in Hesebon, & viculis eius, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis
ciuitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos. **Q**uare tanto tempore nihil super hac repetitione
tentastis? 27. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non ius-
ta. Iudicet Dominus arbiter huius diei, inter Israel, & inter filios Ammon. 28. Noluitque ac-
quiescere rex filiorum Ammon verbis Iephte, quæ per nuntios mandauerat. 29. Factus est ergo su-
per Iephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde
transiens ad filios Ammon, 30. votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in ma-
nus meas, 31. quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihi que occurrerit reuer-
tenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. 32. Transiitque Iephte ad

filios Ammon, vt pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius. 33. Percussitque ab Aror vsque dum venias in Mennith, viginti ciuitates, & vsque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis: humiliatique sunt filij Ammon à filiis Israel. 34. Reuertente autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis, & choris, non enim habebat alios liberos. 35. Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. 36. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi vltione atque victoria de hostibus tuis. 37. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: Dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. 38. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. 39. Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo seruata est: 40. Vt post anni circulum conueniant in vnum filia Israel, & plangent filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 1. 2. & 3.

Vulg. Fuit illo tempore Iephte Galaatides vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad.
Pag. Erat potens viribus.
Arias. Potens virtute, filius mulieris meritorie.
Tigur. Heros fuit fortis.
Lyrans. Filius hospitaticis.
Malu. Præualidus strenuitatis.
Sep. Rom. Eleuatus virtute.
Reg. Potens in fortitudine.
Cald. Fuit vir virtutis, & ipse filius tabernariæ.
Arab. Erat gigas.
Vulg. Habuit autem Galaad vxorem, de qua suscepit filios: qui postquam creuerant, eiecerunt Iephte, dicentes: Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia

de altera matre natus es.
Malu. Et grandes facti sunt filij viræ.
Sep. Quoniam filius fornicatiæ es.
Syr. Cum adoleuissent.
Vulg. Quos ille fugiens atque deuitans, habitauit in terra Tob: congregatique sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.
Pag. Fugit à facie fratrum suorum, collecti sunt ad Iephtah, homines vacui, & egressi sunt cum eo.
Tigur. Fugiens metu fratrum, &c. homines perdit.
Isidor. Clar. Homines otiosi.
Sep. Rom. Congregati sunt viri inanes.
Reg. Inopes.
Syr. Et libidinosi.
Arab. Vagi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vir fortissimus, atque pugnator, Alij, Potens virtute. גִּבּוֹר חַיִּל gibbor chail, heros strenuitatis. Vide Concordiam v. 10. c. 6. Mulieris meretricis, Alij, Tabernaria, meritoria. Vide Concord. v. 1. Ios. 2. sed hic verè meretricem accipimus. Viri inopes, & latrocinantes: Alij, Vacui, otiosi, libidinosi. Heb. solum est vox vna רָקִים rakim, quæ significat vacuos, vel inopes. Vide Concordiam v. 4. c. 9. Vnde aliqui vt non impingant hanc notam Iephte, quod fuerit latronum princeps, dicunt quod cum in aliis non habeatur hæc vox, latrocinantes, non ita scriptum à Hieronymo, sed aliunde è marginali nota in textum itrepisse, sed hæc obest responsio veritati. Vulg. Alij volunt retineri vocem latrocinantes, tamen vt intelligatur illud latrocinium, non in Israëlitas, sed in hostes eorum, solum exerceri, sed per latrocinantes arbitror intelligi debere, cuncum latronum, & perditum hominum, ex præda, & furto viuentium.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

Fuit itaque. Descripto pondere tribulationis, hic consequenter describitur modus liberationis: vbi primò describitur conditio ducis liberantis: secundò humiliatio ipsius deprecantis, ibi: Et misit nuntios. Tertio prostratio aduersarij rebellantis, ibi: Factus est ergo. Circa primum describitur ipsius Iephte eiectio, secundò ipsius in principem electio, ibi: In illis diebus. Circa primum dicitur.

Fuit itaque. Galaad autem aliquando accipitur pro nomine vnus terræ: aliquando pro nomine vnus ciuitatis in illa terra, & aliquando pro nomine vnus hominis, & omnibus istis modis Iephte dicitur Galaadites: quia fuit natus de terra Galaad: & pater eius vocatus est Galaad: vt statim subditur in hoc c. Et ciuitas sua vocata est Galaad, vt habetur infra c. 12.

Filius mulieris meretricis qui. Hebræi dicunt: Filius mulieris hospitaticis, זֶנָּח zonah, nomen Hebraicum hic positum, est æquiuocum ad meretricem, & hospitaticem: vt dictum fuit Iosué 11. de Raab: & forsitan vtraque significatio isti mulieri conuenit.

ESTIUS.

Filius mulieris meretricis. Arias Montanus habet (meritoria) Vatablus interpretatur concubinam, id est, ductam sine solemnius ceremoniis. Caldæus Paraphrastes (cauponariam.) Est in Hebræo idem vocabulum, quod Iosué 2. vbi Rahab à nostro Interprete quoque vocatur meretricis; Septuaginta expresse habent πορνῆν, id est, meretri-

cem. Vide & dictum c. 2. Iosué.

Iephte. Iephte significat apertionem ac ianuam, vt Iudææ tribus oppidum Iephta Iosué 15. 43.

Galaadites De tribu Manasse, vt cum Pererio sentit Serarius: sunt tamen qui putent fuisse de tribu Gad. Sic Abulensis, & Caietanus.

Filius mulieris meretricis. LXX. πορνῆν vocant Iephte matrem, cum nostro textu consentientes. Itaque spurius erat Iephte, non ante patris nuptias per simplicem fornicationem natus, sed per adulterium, vt colligitur ex textu Num. 2. & colligit Serarius quæst 1.

Habuit autem, &c. Pater Iephte, vxorem aliam & vtramque.

B Hæres in domo patris nostri esse non poteris, &c. In Hebræo habetur & in libris correctis. Quia de altera matre natus es.

Eiecerunt Iephte. Non vi, manuque priuata, sed publica, hoc enim ipsemet significat cum Num. 7. missis è communi gentis concilio ad se legatis ait: Nonne vos estis qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei:

Quia de altera matre natus es. Quia nothus es.

De altera matre natus. Id est, non ex vera, & legitima vxore, sed meretrice, vt dicitur vers. 1. Erat ergo Iephte nothus, & spurius, diuino tamen instinctu, vt effecta monstrarunt, ad principatum à Galaaditibus electus fuit, atque

MENOC.

LYRAN.

v. 2.

MENOC.

TIRINVS

atque ita per dispensationem in lege Deut. 23. in Ecclesia Dei, seu ad iura populi Israëlitici admissus. Id merebatur pietas illius, & morum probitas, animi magnitudo, rerum gerendarum industria, & qua præ omnibus tunc egebant Israëlitæ, bellandi peritia. Exempla plurium spuriorum qui non obstante vitio natalium, egregia fuerunt indole, factisque clarissimis ac dignitatibus insignes, habes apud Laërtium, Plutarchum, Athenæum, & Serarium.

LYRAN. *Congregatique sunt.* In Hebræo habetur hoc. *Et latrocinantes.* Credibile enim est quod agebant prædas de aduersariis filiorum Israël tantum: sicut Dauid & viri eius faciebant: ut habetur primi Regum 27.

ESTIYS. *Congregatique sunt ad eum viri inopes, &c.* Hic non aliud dicitur de Iephte, quam quod 1. Reg. c. 22. de Dauid dicit scriptura; conuenisse ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro a-

nimo, & ipsum factum esse eorum principem: nisi quod hic additur (*& latrocinantes.*) Sed sciendum hoc in Hebræo non haberi. Tantum enim ibi est. *Et collecti sunt ad Iephte homines vacui, & egressi sunt cum eo.* Deinde verbum (*latrocinari*) in bonam quoque partem accipi potest, pro eo quod est, quomocumque prædas agere. Et verisimiliter illi prædas agebant ex hostibus vicinis.

Habitauit in terra Tob. Quæ secundum Abulensem, MENO C. Ioseph. lib. 5. c. 9. est Galaaditidis pars.

Latrocinantes. Qui soliti erant prius latrocinari, licet duce Iephte iam non latrocinarentur, vel certè in Israëlitarum regione latrocinia non exercerent, sed vicinorum infidelium, qui Iudæis erant infesti. Adde apud priscos Latinos, latronis nomine milites intelligi, ut idem sit latrocinari quod militare. Exempla suppetunt ex Plauto in milite glorioso.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 8.

Vulg. In illis diebus pugnabant filij Ammon contra Israël.

Pag. Et fuit post aliquot dies pugnauerunt.

Arias. Et fuit à diebus.

Malu. De diebus & cæciderunt.

Sep. Et factum est cum pugnauerunt.

Reg. Factum est post dies.

Cald. Et fuit ad tempus dierum.

Arab. Ut congregarentur filij Ammon ad pugnandum.

Vulg. Quibus acriter instantibus, perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Iephte de terra Tob.

Pag. Et fuit cum pugnarent, &c. ut tollerent Iephte de terra.

Arias. Et fuit quemadmodum pugnauerunt, &c. ut irent seniores ad capiendum.

Malu. Et fuit secundum quod cæciderunt, &c. & ambulauerunt senes ad accipere.

Sep. Assumere.

Arab. Ad adducendum Iepthahum de regione illa fertili.

Vulg. Dixeruntque ad eum: Veni & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.

Arias. Et eris nobis in ducem.

Malu. Et eris nobis extremario, & cæcidimus in filiis Chamon.

Cald. Eris nobis in magnum.

Arab. Veni, ut constituamus te caput.

Vulg. Quibus ille respondit: Nonne vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me necessitate compulsi?

Pag. Cur venistis ad me, quando angustia est vobis? *Ita Caiet.*

Tigur. Cùm in afflictione estis?

Malu. Et quid cognitionis venistis ad me nunc, & secundum quod angustiatio vobis?

Sep. Emisistis me à vobis, & propter quid venistis ad me, nunc quando egetis?

Cald. Nunc cum afflictum est vobis?

Syr. Cùm vrgemini calamitate.

Arab. Cum res vestræ in angusto versantur, dicitis, venias nobiscum?

Vulg. Dixeruntque principes Galaad ad Iephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad.

Pag. Idcirco reuersi sumus ad te, & venies nobiscum.

Arias. Et eris nobis in caput.

Malu. Capiti.

Sep. Eris nobis in principem.

Syr. Esto dux.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In illis diebus, Alij, Post aliquot dies: Et fuit ad tempus dierum. Id est, post annos illos, nimirum vltimo annorum illorum octodecim, de quibus cap. præced. Quibus grauitè instantibus: Alij, Fuit cum pugnarent Ammon. Vnde illud quibus referendum non ad Israël, ut liquet ex Hebræo, sed ad filios Ammon, de quibus dicitur, & fuit cum pugnarent. Ob hanc igitur causam. Alij, Idcirco nunc reuersi sumus ad te, vel quia volumus iniuriam tibi illatam, propter ciectionem ab vrbe nostra compensare, offerendo tibi principatum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **I**n illis diebus. Hic consequenter Iephte in principem B terra Galaad eligitur: vnde subditur.

LYRAN. *Dixeruntque ad eum: Veni, &c.* Dum tamen tu sis dux belli nostri.

MENO C. *Esto princeps noster.* Non fuit initio Iephte Israëlitarum omnium creatus princeps, sed Galaaditarum tantummodo, ut patet ex c. 10. Num. vltim. & hoc loco, ut etiam Num. 8. seq. Galaaditæ verò hic vocantur omnes Iudæi, qui trans Iordanem habitabant.

LYRAN. *Quibus ille respondit.* Non statim credens eis propter ea quæ passus fuerat ab eis.

LYRAN. *Nonne vos estis, &c.* Licet supra dictum sit de fratribus suis, tantum, quod eiecerunt eum, tamen hic alloquitur senes huius populi generaliter, quia ad querimoniam, &

instinctum fratrum suorum, senes qui erant iudices illius populi, eiecerunt eum. Vel fortè inter illos qui venerunt ad Iephte, erant fratres sui, vel eorum aliqui, ad quos principaliter direxit verbum suum, propter quod diligentius explicant sensum suum dicentes.

Et eiecistis de domo patris mei, &c. In quo passus sit iniuriam, non constat ex sacro textu. Fieri tamen pouit ut aliqua re donatus à patre Galaad, quam retinere iure posset, spoliatus, cum necdum ad vitam idoneè agendam factus esset instructus; vel quod per calumpniam, & falsas criminationes domo exturbatus sit.

Ob hanc igitur causam, &c. Quæ explicatâ respondit LYRAN. Iephte.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. ad 13.

Vulg. Iephte quoque dixit eis : Si verè venistis ad me, vt pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps :

Pag. Si reuerti facitis me ad pugnandum.

Arias. Dederit eos Dominus ad facies meas.

Malu. Ero vobis capiti.

Sep. Tradiderit coram me.

Syr. Egone vobis dux ?

Vulg. Qui responderunt ei : Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus.

Pag. Dominus audiat inter nos, nisi secundum hoc verbum tuum hoc faciemus.

Isidor. Clar. Ipse testis est, non habet mediator.

Vatab. Audiet inter nos, si non fecerimus.

Cald. Dictum Domini erit testis inter nos, si non vt verbum tuum, sic faciemus.

Syr. Dominus auditor inter nos.

Arab. Dominus audit sermonem nostrum, & testis est nobis, quòd non sumus aliter facturi, nec dicturi, nec te decepturi, sed iuxta sermonem tuum facturi.

Vulg. Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.

Pag. Posuerunt eum super se, ducem, ac principem.

Arias. In caput.

Malu. Extremarium.

Cald. Præferunt, &c. ad caput, ad magnum, & ordinavit omnia verba sua ante Dominum.

Arab. Statuerunt super se caput, ac Iudicem.

Vulg. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent. Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, vt vastares terram meam?

Malu. Misit nuntios ad dicere, quid venisti ad me, ad cædere in terra mea?

Pag. Vt pugnes contra terram meam?

Arab. Qualis est rerum nostrarum conditio, & quonam pacto terram nostram petisti, ad oppugnandum nos?

Vulg. Quibus ille respondit : Quia tulit Israël terram meam, quando ascendit de Ægypto, à finibus Arnon vsque Iaboc atque Iordanem : nunc ergo cum pace redde mihi eam.

Malu. Et dixit rex filiorum Ghamon, ad nuntios Iephtach, quia accepit, &c. ascendere eum de Ægypto, & nunc reuertere fac eas in pace.

Cald. In exire suo ex Mizraim.

Arab. Quia vsurparunt regionem nostram : restituite ergo pacificè.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ipse mediator & testis est : Alij solùm, Ipse testis, vel audiet nos. Id est qui audit omnia, Deus erit testis auritus huius rei, quam tibi pollicemur, sumetque de nobis debitas pœnas, si non præstiterimus. Fecit eum principem : Alij, Extremarium, exponunt, ducem, capitaneum : cur autem extremarius vocetur aliàs dictum. Qui ex persona sua ei dicerent. Hoc non habetur in alijs, sed supponitur : Vt vastares terram, Alij, Ad oppugnandum eam scilicet. Redde mihi eam, Alij, restitue eas, scilicet vrbes.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *ŷ. 9.* **S**i verè venistis ad me. Id est fideliter & absque fallacia ; hoc dicit interrogando. Qui responderunt ei simpliciter affirmando, etiam cum iuramento, cum dicitur.
- MENOC.** *Ego ero vester princeps.* Constituetis me principem vestrum, si rem prosperè gesserò contra Ammonitas ? Honestà oratio, & modesta postulatio fuit. Petit enim id tantum quod, & ipsi dare poterant, in concilio suo se daturos ante definierant, & nunc quoque vltro ac sponte detulerunt.
- LYRAN.** *ŷ. 10.* **D**ominus qui hæc audit. Quia nihil eum latet. Iurare enim est Deum testem inuocare.
- MENOC.** *Nostra promissa faciemus. LXX. Secundum verbum tuum sic faciemus.* Hoc est omnino te principem constituemus.
- LYRAN.** *ŷ. 11.* **L**ocutusque est Iephte omnes sermones, &c. Ibi enim erant congregati Galaaditæ coram Domino, quia Dominus præsens est vbique, licet ibi non esset tabernaculum, & ideo ibi replicauit Iephte, pacta quæ erant inter ipsum & populum, vt negotium esset firmum, & solidum.
- MENOC.** *Omnis populus.* Galaaditarum : nec victoriam expectauit, vt scilicet benevolentiam in Iephte demonstrarent, & illi planè fidere ostenderent, eumque alacriorem ad bellum redderent.
- Omnes sermones suos.* Consilia tua de bello contra Ammonitas, exponendo etiam summam legationis ad se missæ, vt quæ acta essent confirmarentur, & quid porro agendum esset, statueretur.
- Coram Domino in Maspha.* Dicitur coram Domino, vel quia testis ac mediator adhibebatur Dominus ; vel quia in Israëlitarum conuentuum medio adesse censebatur Dominus, Deut. 6. & 20.
- TIRINVS.** *Locutus est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.* Id est, repetiuit solemne pactum, de expeditione aduersus Ammonitas suscipienda, si populus vicissim, vt promiserat, ipsum in posterum pro suo duce, & principe admitteret. Repetiuit, inquam, coram Domino, id est, in publico populi conuentu, qui locum Dei tenet. Pacto hoc solemniter confirmato, mox per legatos expo-
- stulat cum rege Ammonitarum de iniusto aduersus Iudæos bello.**
- Et misit.* Hic consequenter ponitur supplicatio deprecantis. Ad cuius intelligentiam considerandum quòd filius Israël, petentibus transitum pacificum per terram Schon regis Amorrhæi, nō solum ipse negauit, sed eis occurrens, eisdem etiã ad prælium prouocauit, propterea Dominus ipsum, & terram suam in manus filiorum Israël tradidit, cuius terræ vnã partem Schon abstulerat à filiis Moab, vt habetur n. 21. Rex autem iste Ammon, de quo agitur, hic regnabat etiam in Moab : propter quod illam terram quam Schon, abstulerat de Moab tanquam suam repetebat, & à filiis Israël iniuste possessam dicebat : quod non erat verum, sicut fuit declaratum Exod. 21. Igitur circa hoc primo ponitur ipsius Iephte petitio humilis : secundo regis Ammon responsio irrationabilis, ibi : *Per quos rursus.* Circa primum dicitur. *Et misit nuntios.* Volebant enim declarare titulum suum iustum, & ideo primo misit nuntios de pace tractanda, & in hoc se humiliavit, dicens.
- Quid mihi ? &c.* Quasi diceret. Non habeo voluntatem bellandi tecum, nec tu habes causam contra me.
- Vt vastares.* Id est meo regimini, & defensionis commissam.
- Misit nuntios, &c.* Qui peterent ab rege Ammonitarum vt desisteret à bello, quod illius nullam iustam causam haberet.
- Quibus.* Hic consequenter ponitur responsio irrationabilis, cum dicitur.
- Quia tulit, &c.* Quod erat falsum : quia Israël non abstulit à filiis Moab, & Ammon aliquid de terra sua, vt habetur Num. 11. & Deut. 2. sed solum à Schon & Og : & illud fuit eis licitum, vt declaratum fuit Num. 21. & iterum hic declarabitur per verba Iephte.
- Quia tulit Israël terram meam, &c.* Mentitur Ammon cum ait, Israëlitas partem aliquam regni Ammonitarum occupasse ; nam terra illa à finibus Arnon vsque ad Iaboc, Amorrhæorum erat, cum illam Israël inuasit, & antequam esset Amorrhæorum, Moabitarum

fuert non autem Ammonitarum, quare nullum ius in A mij 2. 19. & 37.
tractum illum Rex Ammon habebat, vide Deuterono-

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. ad 22.

Vulg. Per quos rursus mandauit Iephte, & impera-
uit eis, vt dicerent regi Ammon.

Malu. Et addidit adhuc.

Sep. Et apposuit.

Vulg. Hæc dicit Iephte: Non tulit Israël terram Moab,
nec terram filiorum Ammon.

Sep. Et dixit ei: Sic dicit Iephte, non cœpit.

Vulg. Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulauit
per solitudinem vsque ad mare rubrum, & venit in Ca-
des.

Malu. Quia in ascendere eos de Ægypto, &c. vsque ad
mare Suph.

Sep. Rom. Siph.

Cald. Venit ad Rekam.

Vulg. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Di-
mitte me vt transeam per terram. Qui noluit acquies-
cere precibus eius. Misit quoque ad regem Moab, qui
& ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in
Cades.

Malu. Transibo obsecro, & non audiuit, & etiam ad
regem Moab, misit, & non amauit.

Sep. Et non benè sensit.

Cald. Et non voluit.

Syr. Qui non ascensum præbuit.

Vulg. Et circuiuit ex latere terram Edom, & terram Moab:

venitque contra Orientalem plagam terræ Moab, &
castrametatus est trans Arnon: nec voluit intrare ter-
minos Moab. Arnon quippe confinium est terræ Moab.
Arias. Venitque ab ortu solis terræ Moab, &c. quia Ar-
non terminus Moab.

Vulg. Misit itaque Israël nuntios ad Schon regem Amor-
rhæorum, qui habitabat in Hesebon, & dixerunt ei:
Dimitte vt transeam per terram tuam vsque ad fluium.

Arias. Transeamus nunc.

Malu. Obsecro vsque ad locum meum.

Vulg. Qui & ipse, Israël verba despiciens, non dimisit
cum transire per terminos suos: sed infinita multitudi-
ne congregata, egressus est contra eum in Iasa, & for-
titer resistebat.

Malu. Et non credidit Sichon Israël transire in termino
suo, & collegit omnem populum suum, & desiderunt
in Iahzah, & cæcidit cum Israël.

Vulg. Tradiditque eum Dominus in manus Israël cum
omni exercitu suo, qui percussit eum, & possedit om-
nem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius.

Cald. Et deleuerunt eos, & hæreditauit.

Vulg. Et vniuersos fines eius, de Arnon vsque Iaboc, &
de solitudine vsque ad Iordanem.

Cald. Et hæreditaerunt omnem terminum Emorrhæi,
ab Arnoua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui & ipse Israël verba despiciens, Alij, Non credidit. Id est, non existimauit Israël bona fide, & sine iniuria tran-
siturum, idcirco noluit ei transitum dare per terminos suos. Et vniuersos terminos eius, Alij, Omnem terminum
Amorrhæi. Id est, totam regionem, quam Ammonitæ supra vers. 13. iuris sui falso esse dicebant. Et castrameta-
tus est trans Arnon, Alij, Et castrametati sunt, hætenus per singularem numerum præcedentia extulit, sed ni-
mirum Israël, est vox collectiua, in cuiusmodi vocibus, faciliè ab vno numero, ad alterum transitur.

ANNOTATIONES.

LYR AN. **Ψ. 14.** **P**er quos. Hic consequenter ponitur dictæ responsio-
nis euacuatio rationabilis, vbi Iephte ostendit tripli-
ci ratione, quod illam terram filij Israël iuste possidebant:
secunda ponitur, ibi: Tradiditque eum. Tertia ibi: Ni-
si forte. Prima ratio accipitur ex hoc quod filij Israël in
nullo impugnaverunt filios Ammon & Moab: sed Schon
eos impugnantem occiderunt, & per consequens quidquid
possidebat, iure belli acquisierunt. Hanc autem rationem
Iephte tangit diffusè repetens processum filiorum Israël
declinando à terminis Ammon & Moab: vt habetur Deut.
11. & Num. 21. Et patet littera vsque ibi.

MENOC. **Ψ. 16.** Quando de Ægypto conscenderunt, &c. Tota hæc nar-
ratio perspicua est ex cap. 21. Num. & Deut. 1. & 3.

LYR AN. **Ψ. 10.** Egressus. Ipse enim Schon iuit obuiam filiis Israël etiam

A extra terram suam ad eos debellandum. Ex quo patet quod
habuerunt contra eum iustum bellum, & per consequens
regnum eius iusto bello acquisitum à filiis Israël, fuit ab eis
& iuste possessum.

Tradiditque eum. Hic ponitur secunda ratio, quæ ac-
cipitur ex autoritate diuina: quia est Dominus cæli & ter-
ræ: & ideo potest terram ab vno possessam alteri dare pro
sua voluntate: quod fecit de terra possessa à Schon rege,
tradendo eam filiis Israël possidendam, secundum quod di-
citur Deut. 11. *Ecce tradidi in manu tua Schon regem He-
sebon Amorrhæum, & terram eius incipere possidere, &c.*
Et hanc rationem tangit Iephte, dicens: Tradiditque eum
Dominus in manu Israël, Et patet littera vsque ibi.

LYR AN:
Ψ. 21.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 28.

Vulg. Dominus ergo Deus Israël subuertit Amor-
rhæum, pugnante contra illum populo suo Israël,
& tu nunc vis possidere terram eius?

Pag. Et nunc Dominus eiecit Amorrhæum à facie populi
Israël, & tu possidebis eum?

Malu. Exterminio funditus deleuit, &c. & tu hæredita-
bis eum?

Cald. Et tu cogitas ad possidendum eum?

Syr. Nunc ita extinxit.

Vulg. Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tutis, tibi
iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster vi-
ctor obtinuit: in nostram cedent possessionem?

Pagn. Nonne quod possidere faciet Chemos, &c. illud
possidebis? & quicquid possidere fecit Dominus à facie
nostra, illud possidebimus.

Malu. An non quod hæreditabit te Chamos?

Sep. Et omnes, quos abstulit Dominus, eos hæreditabi-
Tom. IV.

mus.

Vulg. Nisi forte melior es Balac filio Sefhor rege Moab:
aut docere potes, quod iurgatus sit contra Israël, & pu-
gnauerit contra eum?

Pag. Et nunc melior es, &c. num iurgando iurgatus est
populus, aut pugnando pugnavit contra?

Malu. Et nunc an bonus tu, &c. an litigare litigauit cum
Israël, si cedere cæcidit in eis?

Tigur. An vero tu pluris iuris habes, quam Balac?

Sep. Numquid in bono melior tu super Balac, aut bellan-
tibus bello aggressus es eum?

Syr. An præstantior quam Balac?

Arab. Num contendit cum Israëlitis, ob vllam ex his re-
bus, aut prælium, aut pugnam mouit aduersus eos hæc
de causa?

Vulg. Quando habitauit in Hesebon, & viculis eius,
& in Aroer, & villis illius, vel in cunctis ciuitati-

bus iuxta Iordanem per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?

Pag. Quare non eruistis in tempore illo?

Caiet. Quæ sunt super terminos Arnon, &c. & non fecistis eruere?

Arius. In manendo in Chesbon, & in filiabus eius, &c. quæ super manus Arnon.

Vatab. Quæ sunt ad ripas Arnonis, cur tum non asseruistis eas?

Malu. Et quid cognitionis non eripuistis?

Sept. Cum habitaret in Efebon, & in finibus eius.

Cald. Cum federit, &c. & quare non liberaftis?

Arab. Quare non litigastis, & quare petistis illo tempore?

Vulg. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me malè

agis, indicens mihi bella non iusta. Iudicet Dominus arbiter huius diei, inter Israël, & inter filios Ammon.

Pag. Et tu facis mihi malum, pugnando contra me, &c. diei.

Malu. Et ego non erravi tibi, &c. ad cædere in me.

Sep. Et tu facis mecum malignitatem, iudicet Dominus, qui iudicat hodie.

Syr. Decernat hodie Dominus iudicium.

Arab. Verum optimè nosti me non esse tibi modo iniurium, tu tamen bellum intentas, & cupis bellare mecum, iudicet Dominus potentissimus.

Vulg. Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Iephte, quæ per nuntios mandauerat.

Pagn. Et non audiuit.

Arab. Et non attendit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN cunctis ciuitatibus iuxta Iordanem, Alij, *Iuxta ripas, super terminos, manus Arnon.* Verum est in Hebræo esse Arnon, sed suppositum à Rabbiniis pro Iordane, cum omnes versiones Sep. hic Iordanem habeant: quanquam si de veritate agitur; verum sit vtrumque: nam Israëlita vrbes possidebant Schon ereptas, ad Arnoinis, & Iordanis ripas: hoc tamen loco magis Iordani congruit: cum in præcedentibus iam mentio facta fuisset Aroer, & villarum eius, quæ ad Arnoinis ripas essent sitæ. *Iudicet Dominus arbiter huius diei, Alij, Qui iudicat hodie, index diei:* noli referre illud *hodie ad iudicet*, quasi Iephte Deum obtesteretur, vt velit eadem die de causæ iustitia decernere: sed sensus est, sit arbiter huius litis quam hoc die agimus. Alij volunt hoc methonimice dici, itaut Deus dicatur arbiter huius diei, id est omnium eorum quæ hac die fiunt.

ANNOTATIONES.

ESTIVS.
v. 23.

ET tu nunc vis possidere terram eius? Obseruato in Iephte exemplo prudentis principis, qui non prius bellum infert hosti, quam facta expostulatione de iniuria accepta; addita etiam protestatione non se, sed aduersarium causam dedisse belli mouendi, dum dicit; *Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iusta. Iudicet Dominus arbiter huius diei inter Israël, & inter filios Ammon.* Quod autem Iephte dicit: *Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur?* Secundum opinionem eorum loquitur, ad quos verba faciebat. Non enim ignorabat Iephte, Chamos inane idolum, nihil possidere posse, nec proinde ius possessionis ad Ammonitas transmittere: sed ita loquebatur stultè secundum stultitiam suam. Vide etiam 3. Reg. 21.

TIRINVS

Deus Israël subuertit Amorrhæum. Prima hæc est ratio qua conatur Iephte deducere regem Ammonitarum ab iniusto bello: quia nempe terras Amorrhæorum, quas Iudæis Ammonita volebat eripere, dono dedit Iudæis Deus terrarum, & regnorum omnium Dominus. Secunda erat, præter istas Amorrhæorum terras nihil obtinebant Iudæi quod esset Ammonitici vel Moabitici regni. Veruerat enim Deus terras horum occupari Num. 21. & Deut. 2. & 3. Tertia, istas Amorrhæorum terras à Iudæis occupatas, numquam vel amica, vel armata manu repetiit rex Moabitarum Balac, qui tamen apud eos optimus, & potentissimus, & sapientissimus habebatur, & ad quem longè potiori iure spectare videbantur, quàm ad Ammonitas. Quarta, quia præscriptione ferè trecentorum annorum iam stabilitum erat ius, & possessio Israëlitarum. Sed frustra argumentis disceptabat cum armato. Itaque & ipse militem colligit, neque exspectat vt Ammonita transeat in fines Israëlitos, sed præoccupat ipse, & suos in Ammonitidem inducit. Sed prius quàm manus consereret.

LYRAN.
v. 24.

Nonne ea. Quod dupliciter exponitur. Vno modo sic: *Quæ possedit Chamos Deus tuus.* Id est, populus Moab qui Chamos colebat, vt sit sensus: quod illa pars terræ Moab, quæ actu possidebatur ab eo quando filij Israël debellauerunt Schon, illa de iure erat populi Moab, non autem illa pars quam possidebat Schon à filiis Israël acquisita. Alio modo exponitur, vt sit confirmatio rationis præcedentis. Ad cuius intellectum est considerandum, quod sicut fideles victorias suas attribuunt Deo vero, ita infideles victorias suas suo Deo falso. Dicit igitur: *Nonne ea, &c.* Id est possidere te fecit. *Chamos Deus.* Secundum opinionem tuam,

A Tibi iure debentur. Id est reputas iure acquisita per victoriam.

Quæ autem Dominus, Quasi diceret, multo fortius illud quod obtinuimus, Deo vero nobis victoriam præstante, iuste est nobis acquisitum, & possessum.

Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, &c. Sententia est, quemadmodum censetis vos iure possidere quæ vobis tradidit Chamos Deus vester; ita nos iure possidemus quæ à Deo nostro tradita nobis sunt. In Hebræo est; *Nonne quod hereditate obtinere te fecit Chamos Deus tuus, hoc hereditate obtinebis?*

Chamos. Aliqui eundem putant cum Baccho, quia Græcis *κῆπος* est, & commessatio, & compotatio, alij, quia *ἄρσενος* musc, remouere, & depellere significat, Deum maiorum auersorem, & depulsorem vocatum, vt à Latinis olim Auerruncum, & à Græcis *ἀρσενότρονον*. Alij tandem, quia eadem radix *ἄρσενος* palpare significat, ita Deum illum effectum suspicantur, vt oblatas victimas quasi palpaturus, & contrèctaturus exprimeretur.

Nisi fortè melior es, &c. Hic ponitur tertia ratio, quæ hic accipitur ex præscriptione: quia populus Israël fuerat in tam longæua, & pacifica possessione huius terræ, quod nullus de cætero deberet reclamare: & maximè, quia iustus titulus præcesserat: vt patet ex prædictis, & hoc est quod dicitur: *Nisi fortè melior es Balac filio Sephor rege Moab.*

Qui erat rex Moab illo tempore quo debellatus fuit Schon: vt habetur Num. 22. qui licet vocauerit Balaam ad maledicendum filiis Israël; tamen repetebat terram Moab quam filij Israël abstulerant à Schon: sed timebat ne perderet aliam partem: & terram Madian de qua erat natus, vt dictum fuit ibidem: nec aliquis alius rex post eum repetiuit hanc terram. Ideò subditur.

Aut docere potes, quod iurgatus, &c. Scilicet, quicumque rex Moab Balac.

Contra Israël, & pugnauerit. Ad recuperandum hanc terram.

Nisi fortè melior es Balac, &c. Quemadmodum Balac Moabitarum rex tractum illum nunquam repetiit tantquam ad se pertinentem: ita multo minus tu, tanto post tempore, repetere iure potes, aut debes.

Quando habitauit, &c. Id est, toto tempore quo Israël habitauit in ista terra, & quantum fuerit illud tempus subdit, dicens.

Per trecentos. Quare, &c. Deficiunt tamen aliqui, vt videbitur.

MEN OC.

Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis? Cum trecentis annis hæc loca tenuerimus pacificè, æquum non est vt tanto post tempore possessionem nostram turbare velitis. Sic postea præscriptionis lex ciuili iure inducta est, quæ naturali innitur æquitate. Porro quod dicitur trecentis annis, &c. ita intelligendum est, vt, siue ab exitu ex Ægypto, siue à deuictio Amorrhæo eos computemus, semper intelligamus rotundum numerum poni: alioqui subtilius computanti, aut aliquid deerit, aut aliquid redundabit. Emanuël Sa, nodum soluit dicendo scripturam non affirmare trecentos annos illos fuisse, sed eam referre tantum, quid dixerit Iephte.

LYRAN.
v. 27.

Igitur non ego, &c. Hic ex prædictis rationibus Iephte concludit, quod habeat iustam causam defensionis, & rex Ammon iniustam inuasionis. Antequam vltra procedatur, videndum est quod de trecentis annis prædictis deficiat. Ad cuius intellectum considerandum, quod sicut in scientiis humanis inuenta minus nota vel dubia per ea quæ sunt certa declarantur: sic in sacra Scriptura, quæ est per diuinam reuelationem tradita passus dubius vel obscurus, per alium passum qui certus est, & determinatus debet declarari. Isti autem trecenti anni non determinantur hic per scripturam, nisi relatiuè tantum: scilicet in quantum refert dictum Iephte arguentis præscriptionem: in qua allegatione solent homines allegare quantum possunt plus de tempore apparenter, & aliquando excedunt, nec tamen scriptura vel auctor scripturæ hoc referens dicit falsum, quia refert veraciter id quod dictum est, licet dicens exceßerit vel defecerit. Sic est in proposito de Iephte, cuius verba non sunt authentica, in quantum sunt ipsius. Sacra autem scriptura 3. Reg. 6. determinat tempus quod fluxit ab exercitu filiorum Israël de Ægypto vsque ad foundationem templi per Salomonem in principio quarti anni regni sui, scilicet 480. anni. Si autem ab isto numero qui in scriptura certus reputatur, remoueat tempus, quod præcessit ab exitu de Ægypto vsque ad debellationem Sehon, quando terra prædicta fuit acquisita, vt dictum est, & tempus quod fluxit à principio principatus Iephte, quando ista allegauit vsque ad quartum annum regni Salomonis exclusiue, in cuius principio tem-

plum fundauit: remanent tantum 267. anni: & sic à 300. prædictis deficiunt 33. anni. Probatio assumpti: quia ab exitu de Ægypto vsque ad ingressum terræ promissionis fluxerunt 40. anni: vt patet in pluribus locis sacre Scripturæ. Sehon autem fuit debellatus quasi per vnū annū ante ingressum terræ promissionis viuentē adhuc Moysē: & sic ante acquisitionem prædictæ terræ fluxerunt anni 39. Item à principio principatus Iephte vsque ad tertium annum regni Salomonis inclusiue fluxerunt centum, & 64. anni: quia Iephte iudicauit Israël sex annis: & post eum Abesân septem: & postea Ahialon decem: & post ipsum Abdon octo: vt habetur Iudic. 12. de his tribus. Post ipsum Heli 40. vt habetur 1. Reg. 4. postea Samuël cuius anni comprehenduntur cum annis Saülis: & fuerunt in simul iuncti 40. vt habetur 2. Reg. 5. Postea Dauid regnauit annis 40. vt habetur 2. Reg. 5. Post eum Salomon tribus annis ante foundationem templi: vt habetur 3. Reg. 6. & isti anni simul iuncti cum præcedentibus faciunt annos 213 quibus si iungantur 267. anni prædicti faciunt annos 480. annos, & sic patet quod supra dictum est. Anni autem 267. prædicti scilicet à tempore debellationis Sehon vsque ad principium ducatus Iephte sic accipiuntur per partes: vnus annus ante ingressum terræ promissionis de ducatu Moysi: vt patet per prædicta quadraginta quibus præfuerunt Iosué, & Othoniel: vt habetur Iudic. 3. Tempus enim Iosué in sacra Scriptura non determinatur: & ideo sub tempore Othoniel qui ei successit comprehenduntur octoginta, quibus præfuit Aod post Othoniel: vt habetur Iudic. 3. c. quadraginta anni Debboræ, vt habetur Iudic. 5. c. quadraginta Gedeonis Iudic. 8. Tres Abimelech. Iudic. 10. c. decem, & octo anni quibus filij Israël fuerunt sine iudice seruiētes Philisthiim, & filiis Ammon ante promotionem Iephte: vt habetur Iudic. 10. Et isti anni simul iuncti faciunt 267. & sic patet propositum.

Dominus arbiter huius diei. In Hebr. est, *Iudicet Dominus index diei*, qui scilicet hodie iudicat, & rerum omnium arbiter est. Iudicat autem Deus, cum fontibus pœnam infligit, facitque per cædes, & calamitates, vt omnes intelligant se damnasse eam partem, cuius causa erat iniusta.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 29. ad 33.

Vulg. Factus est ergo super Iephte spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon.

Pag. Et transire fecit eum Gilghad.

Sep. Præterit Galaad, &c. & præterit speculum Galaad trans filios Ammon.

Reg. Transiuit speculam Galaad, & à specula Galaad, *Cald.* Transiuit Mizpeia Galaad.

Arab. Afflatus spiritu Domini, &c. transiens ad Masphia, quæ est in Galaad, bellum commisit contra Ammonitas.

Vulg. Votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas.

Arias. Si dando dederis.

Malu. Si dare dabis.

Sep. Si dans dederis.

Cald. Iurauit iuramentum ante Dominum, & dixit, si tradere trades.

Syr. Vouerat votum Domino & dixerat.

Vulg. Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihi que occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.

Pag. Erit egrediens quod egressum fuerit, &c. in occur-

sum meum erit Domino.

Arias. Et erit Domino, & ascendere faciam ascensionem.

Tigur. Sacrificabo.

Sep. Offeram eum holocaustoma.

Arab. Erit in oblationem Domino, offeram eum ipsi in sacrificium.

Vulg. Transiuitque Iephte ad filios Ammon, vt pugnet contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius.

Malu. Ad cedere in eis, & dedit eos, &c.

Vulg. Percussitque ab Aroer vsque dum venias in Minnith, viginti ciuitates, & vsque ad Abel, quæ est vineis confita, plaga magna nimis, humiliatique sunt filij Ammon à filiis Israël.

Pag. Vsque ad Abel vinearum à facie filiorum Israël.

Tigur. Subacti sunt.

Sept. Rom. Vsque venias, vsque Arnon, & vsque Abel Charmin.

Cald. Percussit vsque ad introitum Minnith, & vsque ad planiciem vinearum, percussionem magnam valde, fracti sunt.

Arab. Debellauit eos, & occidit cæde magna.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quicumque primus egressus fuerit, Alij, Egrediens quod egressum fuerit. Verum est in aliis non haberi, primus, eam tamen vocem subaudiendam esse, & rectè additam à nostro Interprete, res ipsa loquitur: neque enim voluit omnia, vel omnes qui ipsi reuertenti occurrerent, immolare, tamen rectè aliqui per neutrum efferunt, & erit egrediens quodcumque egressum, vt intelligatur de animalibus. *Eum holocaustum offeram Domino, Alij, Et erit ipsi Domino, & offeram eum in holocaustum.* Et volunt coniunctionem *vau* & pro disiunctiua Tom. IV.

fumi hoc sensu, erit ipsi Domino, aut offeram in holocaustum eum; non enim insolens in scriptura *van*, & ita accipitur Gen. 16. v. 11. Exod. 1. v. 10. Exponuntque, erit ipsi Domino, subaudi, consecratum illi, & mancipatum, si immolatum non sit, aut aptum sacrificio creuento, & si fuerit sacrificio idoneum, fiet ex eo holocaustum, qui sensus mihi non displicet. *Vsq̄e dum venias in Mennith.* Sept. Rom. *Vsq̄e venias, vsq̄e Arnon*, sed vitiosè, vnde omnes alij legunt, Mennith. Erat autem Aroer in ipsa Arnonis ripa, quomodo ergo intelligi potest Iephte percussisse Ammonitas ab Aroer, vsq̄e Arnon, siquidem ea locutio locorum duorum inter se interuallum requirit? *Vsq̄e ad Abel, que est vineis confita*, Alij, *Vsq̄e ad Abel vinearum*, sed idem sensus, quia enim hæc vrbs vndequaue erat vineis confita, dicta est Abel vinearum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 29.

Factus est ergo super Iephte. Hic consequenter describitur prostratio rebellantis, scilicet, regis Ammon, qui noluit acquiescere verbis rationabilibus ipsius Iephte cuius modus describitur, cum dicitur: *Factus est ergo super Iephte.* Id est, voluntas, & audacia pugnandi pro populo in confidentia diuini adiutorij.

MENOC.

Factus est super Iephte spiritus Domini. Vide dicta supra c. 3. Num. 10.

Maspha quoque Galaad. Vide dicta supra c. 10. Num. 17.

LYRAN.
v. 30.

Votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas. Licet autem illud votum processerit ex deuotione, tamen factum fuit indiscretè: quia de domo sua primò poterat egredi obuiam ei canis, qui non est animal immolatum, imò nec in oblatione poterat recipi eius pretium. Cætera patent vsq̄e ibi.

TIRINVS

Votum vouit Domino. Nempe instinctu Spiritus sancti, quo dicitur hic dotatus fuisse. Vnde dico cum S. Anselmo, & Serario, & Saliano, non peccasse Iephte, cum vouit se in holocaustum vera, & perfecta crematione immolaturum Deo, quicumque victori domum reduci primus gratulabundus occurreret, etsi foret domesticorum gratissimus, etsi foret vxor, etsi filia vnigenita. Et verò victoriæ tam illustri intuitu, & merito huius voti cælitus concessa, indicio est votum istud Deo singulariter placuisse. Ob easdem causas, & quia nemo dissuasit, nemo sese opposuit, nemo contradixit, imò sanctus Paulus ad Hebræos 11. probat & laudat, videtur Deo eximie placuisse, ipsa etiam expletio voti, & realis immolatio filie, quam fecit parens per ignem. Neque enim possum comprobare sententiam quorundam Rabinorum, & nostri sæculi hæreticorum, quos secutus est Lyranus, & Mariana, qui dicunt non occisam, sed metaphoricè immolatam fuisse, id est virginitatem toto vitæ tempore ad instar Nazaræ seruare iussam. Timent enim, inquit Genebrardus, isti Rabbinus, ne, si realem hic maculationem admittant, typum dent Christianis filij Dei à Patre cælesti in monte Caluarie sacrificati, qualis olim eiusdem typus fuerat Isaac in monte Moria ab Abrahamo immolandum si neci subtractus non fuisset. Nempe voluit Deus auctor, & Dominus vitæ omnium, etiam extare in re difficillima exemplum plenæ obedientiæ, & quidem in sexu fragiliore, non solum quoad voluntatem, & resignationem animi, vt fuerat illud Isaaci, sed etiam re ipsa, & quoad executionem. Voluit item Christo filio suo, non solo affectu, sed & re ipsa morituro, præire typum in quo realis, & vltionæ mortis tolerantia omni-

bus conspicua, & illustris esset. Et hæc de reali filie immolatione, est sententia veterum Iudæorum, Caldæi Paraphrastæ, Iosephi, Tertulliani, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Nazianzeni, Epiphani, Chrysoptomi, Theodoret, Sulpicij, Isidori, Procopij, S. Thomæ, Caietani, & ferè omnium Christianorum. Et licet quidam Patrum, vt Tertullianus, Ambrosius, Procopius, & S. Thomas censeant peccasse hic Iephte, S. Augustinus vero, & Hieronymus dubitent: reliqui tamen constanter laudant & probant ob rationes supra dictas. Quin & ob tantam animi fortitudinem, qua tenera hæc virguncula, solo religionis amore, & in patrem, in patriam pietate, grataque victoriæ cælitus partæ memoriæ, crudeli gladio iugulum, flammis corpusculum tam prompta, tam læta tradidit, immensis eadem laudibus omnes extollunt: & illi tam celebratæ Iphiginie, Marcellique, & Marij, & Erichthæi immolatis filiabus, omnibusque illis virginibus quas ἀπειρωμένης vocabant: item Pyladi & Oristi, & inuidendis Dionysio tyranno Pythagoræ illis, reo & vadi, ambobus pro altero mori certantibus, longè præferunt hanc Seilam (sic enim à Philone vocatur,) quin & Isaaco ipsi eam conferunt Seuerus Sulpitius, Ambrosius, Serarius & alij.

Quicumque primus egressus fuerit de foribus domus mee, &c. Sunt qui putent, intentionem vouentis fuisse rem, quæ occurreret, consecrare Domino, aut in holocaustum offerre pro conditione scilicet rei, quæ occurrisset, ideoque filiam immolatam negant, sed perpetuæ virginitati addictam, de quo postea. Alij censent diuino spiritu incitatum, votum concepisse de offerendo in holocaustum eo, qui primum sibi occurrisset, nihil in particulari statuens, vt docet mox secuta admittatio, & gemitus in occurso filie. Votum ergo hoc Iephte in mitiorem partem interpretandum, vt scilicet vel non peccauerit, vel non grauitur illud concipiendo, cum nec damnetur in scriptura, & spiritu afflatus in illud erupisse videatur, sitque Deus vitæ, ac necis Dominus, & votum etiam videatur fuisse causa victoriæ.

Vsq̄e dum venias in Mennith. Quæ est vrbs in finibus Ammonitarum, non procul à Rabba versus meridiem. MENOC. v. 31.

Vsq̄e ad Abel que est vineis confita. Abel planitiem significat, dicitur, *vineis confita*, vt ab alijs vrbus eiusdem nominis distinguatur: nam est Abel Meolach de qua 3. Regum 4. 12. & Abel quæ Schittim, siue Nachal Hachittim dicitur, vide Ioëlis vltimo, numero decimo. v. 33.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 34. & 35.

Vulg. Reuertente autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis, & choris, non enim habebat alios liberos.

Pagn. Tantum erat vnica, nec erat ex se filius, vel filia.

Sep. Erat ei vnigenita.

Schol. Erat ei optata.

Cald. Non erat ei ex ea.

Arab. Et ecce filia eius iam prodierat cum sistris quadratis, lata de eius incolumitate & victoria.

Vulg. Quâ visâ, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.

Pagn. Ahah, filia mi incuruando incuruare fecisti me,

& tu fuisti inter turbantes me, &c. & non potero retractare.

Arias. Patefeci os meum, &c. non potero reuerti.

Caiet. Genuflectendo te genuflectere me fecisti, & tu fuisti inter conturbantes me.

Tigur. Omnino prosternis me, & perturbas me, &c. non potero decantare.

Isidor. Clar. Humiliando humiliasti me.

Malu. Cruribus incuruare, cruribus incuruasti me, aperui amplè, &c.

Sept. Rom. Ah ah filia mea perturbatione perturbasti me, & tu fuisti in turbamentum meum, ego ipse aperui contra te os meum.

Reg. Decepisti me, in impedimentum facta es in oculis

meis, ego aperui pro te os meum.
Cald. Curuare faciens, curuare me fecisti, & tu fuisti,
 & in conturbatoribus meis, ego aperui in voto, &c.
Syr. Heu filia mea destruendo me destruxisti, & tu hodie
 facta ex destructoribus meis.

Arab. Filia mea, & viscera mea, extinxisti me, tuque
 hodie facta ex extinguentibus me, votum Deo voui.
S. August. Impedisti me, offendiculum facta es in oculis
 meis.
S. Ambr. In stimulum dolorum facta es mihi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non enim habebat alios liberos; Alij, *Nec erat ex se filius.* *Cald.* non erat ei ex ea filius, quia ipsa erat virgo. Qui autem vertunt ex se, ita exponunt, quia forsitan suæ vxori ex alio marito erant filij, quos vt suos ipse educabat, sed ipsi ex seipso non erant liberi præter illam, tamen absolute loqui videtur *Vulg.* cum dicit non habuisse filios, id est, nullos omnino præter filiam. *Heu me;* Alij, *Ah ah,* ita enim *Hebr.* אהא אהא *ahah*, cui nostrum respondet ah ah dolentis interiectio. *Sept. Rom.* אה, at codices alij habent אהאי, cui nostrum correspondet hei mei. *Decepisti me, ipsa decepta es;* Alij, *Incuruando incuruare fecisti me, & tu fuisti inter turbantes me, &c.* Verum est in *Hebræo* non vnã esse vocem priore, & posteriore loco, nam priore est כרע *carah*, quæ apud peritiores *Hebr.* significat humiliare, genuflectere, incuruare, in posteriore est כרע *ghacar*, quæ perturbare, destruere, extruere: nihilominus etsi sint diuersæ voces, conueniunt tandem ambæ in iisdem litteris, sic vt per litterarum transpositionem ex vna altera fieri possit: Et forte noster *Vulg.* legit ab eadem radice, quin & *Sept. Rom.* utrobique eandem vocis significationem propemodum habent, perturbatione perturbasti me, & tu fuisti in perturbatione mea. *Aperui os meum ad Dominum.* *Malu.* *Aperui os meum ample,* id est deserte, expresse, spontaneèque voui: *Et aliud facere non potero;* Alij, *Non potero reuerti,* nempe mutando sententiam, vel votum commutando.

ANNOTATIONES.

MENOC. **F**ilia cum tympanis & choris. Solebant enim puellæ epinicia canere, vt colligitur ex cap. 15. *Exod. num. 2. &*
1. Reg. 18. 5. & aliis locis.

LYRAN. **D**ecepisti me. In *Hebræo* habetur, Turbasti me & tu turbata es, tum quia credebat eam immolandam, tum quia non habebat aliam prolem.

Aperui enim os meum. Per votum supradictum.

Et aliud facere non potero. Quia votum est promissio Deo facta, quæ debet impleri, eo tamen modo, quo licitum est.

ESTIUS. *Heu me, filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es.* *Hebr.* *Heu filia mea, incuruando incuruare fecisti me, & tu fuisti inter turbantes me.* Quasi dicat, humiliasti me, & turbasti

me, qui ob victoriam elatus eram, & gauisus. Dicit autem se humiliatum & conturbatum, quia per eius occursum, quæ vnica erat ei filia, amputabatur ei spes omnis posteritatis: quod erat viro principi graue malum, illo præfertim tempore, quo maximum erat hominibus studium propagandæ posteritatis.

Decepisti. Quasi dicat, magno errore mihi obuiam venisti, magnoque meo incommodo. *Hebr.* *Depressisti,* seu, humiliasti me. *Vulgati* interpretis sententia est: *Decepisti,* quia cum ex te gaudium mihi pollicerer, mæroris occasionem nactus sum: *decepta es,* quia cum credideris te patri honorem choris æqualium virginum allaturam, ex meo voto mortis victima facta es.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 36. & 37.*

Vulg. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi vltione, ac victoria de hostibus.

Pag. Fac mihi quomodo egressum est ex ore tuo, postquam tibi fecit Dominus vltiones.

Arias. Pate fecisti os tuum ad Dominum.

Malu. Aperuisti ample.

Sept. Rom. Dum faceret tibi Dominus vindictam.

Reg. Si in me aperuisti os tuum.

Cald. Aperuisti in voto ante Dominum, &c. ex authoribus inimicitarum tuarum.

Arab. Decerne de me, prout locutus es, neue Deum fraudes.

Vulg. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta, quod deprecor, dimitte me, vt duobus mensibus circumeam

montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.

Pag. Ita & descendam super montes, &c. & flebo, &c. & amicæ meæ.

Arias. Et virginitates meas.

Malu. Fiat mihi verbum istud, remitti de ex me duas innouationes, & ambulauit, & descendit super monte, & lachrymata fui.

Tigur. Fiat mihi hæc res, sed abstine à me duobus mensibus.

Cald. Remitte à me.

Sept. Faciat nunc pater meus verbum hoc, plorabo super virginalibus meis.

Arab. Huic optato meo annue, vt des mihi duorum mensium prorogationem, &c. meamque virginitatem, & adolescentiam, vnã cum puellis amicis meis, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dimitte me, vt circumeam montes; Alij, *Et descendam ad, vel super montem.* Cum descensus sit à montibus, non autem ad montes quomodo vertunt descendam ad montes? Scio aliquos ita respondere, quia Maspha erat in altiori loca sita, vnde potuit descendere ad aliquem montem, vel aliquos montes circumiacentes, sed existimo descendere, vel ascendere aliquò, videri sumi promiscuè, pro aliquò pergere. *Duobus mensibus,* *Malu.* *Duabus innouationibus,* quia quolibet mense luna innouatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**langam virginitatem meam. Quia tunc opprobrium B erat mori sine prole,
1. 37.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. à 38. ad ultimum.*

Vulg. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus.

Pag. Fleuit super virginitate sua super montes.

Arias. Virginitates suas.

Sept. Super virginalibus suis.

Vulg. Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat, quæ ignorabat virum.

Exinde mos increbuit in Israël, & consuetudo seruata est.

Pag. Et fuit circa finem duorum mensium, & fecit de ea votum sicut vouerat, ipsa vero non cognouerat.

Arias. Et, fuit statutum,

Malu. Constitutum.

Sept. In præceptum in Israël.

Syr. Eademque facta est insignis inter Israëlitas.

Arab. Erat autem virgo, quam nemo tetigerat, & facta

est prodigium inter filios Israël.

Vulg. Ut post anni circulum conueniant in vnum filia Israël, & plangent filiam Iephte, G. laaditæ diebus quatuor.

Pag. Fuit lex Israël annuatim, vadunt filia Israël ad alloquendum filiam Iprach.

Arias. A diebus in diebus.

Varab. Ut colloquerentur, ut consolarentur.

Malu. Ambulabunt ad deplangere.

Sept. Rom. Ibant lamentari filiam Iephtahæ ad quattuor dies in anno.

Reg. Congregabuntur ad plorandum.

Cald. A tempore in tempus venerunt ad lamentandum.

Syr. Ita ut præstitutis temporibus euntes flectent, lugerent, que.

Ita Arab.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fecit ei sicut vouerat; Alij, *Fecit de ea votum quod vouerat*, quod verior & communior sententia intelligit de oblatione illius in verum holocaustum, licet non improbabile, non reali sacrificio maculatam, & crematam, sed Deo tantum consecratam, & Nazaræam factam: Illa enim tempus petiit duorum mensium, non ad deflendam mortem suam, sed virginitatem, quod videtur etiam indicari verbis, quæ mox sequuntur, & fecit ei sicut vouerat, quia ignorabat virum, ac si diceret, votum suum expleuit, quod in eo positum erat, ut ipsa separata & caelebs permaneret, tum ex his verbis, quæ habemus; *Et plangent filiam Iephte*, ipsi ex Hebr. reddunt, *ad colloquendum, ad consolandum filiam Iephte*, quæ versio supposuit illam superuixisse, & ad eam tantummodo aditum fuisse puellis virginibus, quater in anno, consolationis gratiâ, sed licet hæc sententia non improbabilis videatur, tamen communiori, tanquam veriori standum est. Et licet תנח *tanah* colloqui significet, tamen non solum Interpres, sed Sept. Cald. Syr. Arab. Imò & multi hebraizantes, per plangere reddunt.

ANNOTATIONES.

MENOC. *C*ui ille respondit, &c. Tantulam immolationis dilationem rectè, & absque omni peccato cõcessit filia pater.
V. 38. *R*euersa est ad patrem. Eam interficiendo, & offerendo
LYRAN. Domino in holocaustum, secundum quod dicunt Doctores Catholici. Vnde dicit Hieron. quod fuit indiscretus in vouendo, & impius in adimplendo. Hebræi apertè dicunt quòd eam non immolauit, sed votum eius fuit relaxatum per ipsum Phinees. Et aliqui dicunt quod fuit interpretatum per sapientes, quòd non deberet votum adimpleri per necem filia innocentis. Vnde quædam Glossa Hebr. super istud verbum. Dimitte me ut circumeam montes, sic dicit, id est, sapientes in lege, quia forsitan inuenient modum relaxationis, seu interpretationis voti tui. Quæstio ista est de facto, & ideo de hoc nihil potest sciri, nisi quantum dicit expressè scriptura, vel quantum potest trahi ex ipsa. Igitur sine præiudicio & assertionem per modum collationis potest dici, quòd filia Iephte non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem, sed potius per civilem, seu spiritualem, eo modo quo Religiosi dicuntur mortui, in quantum à mundanis actibus sunt segregati, & diuinis obsequiis totaliter mancipati. Sic filia Iephte fuit sacrificata Domino per obseruationem virginitatis viuendo in orationibus, ac ieiuniis, & piis operibus. Hoc autem dictum videtur consonum ei quod dicitur Leuit. ult. Omnis consecratio quæ Domino offertur, non redimetur, sed morte morietur. Et tamen, ut ibidem dicitur, ager poterat Domino consecrari, qui non est susceptius mortis. Dicebatur tamen mortificari, quia transibat ad ius sacerdotum vel templi: sicut bona Ecclesie dicuntur amortizata. Similiter ibidem dicitur, quòd homo poterat Domino consecrari, non tamen propter hoc occidebatur: sed obsequiis templi seu sacerdotum deputabatur, prout ibidem diffusè fuit declaratum. Et sic potest dici: quòd filia Iephte fuit consecrata Domino seu sacrificata: quia diuinis obsequiis deputata modo prædicto. Item supra dictum est: *Factus est ergo super Iephte spiritus Domini*, scilicet ad pugnandum contra filios Ammon: & tunc fecit votum suprascriptum: quod licet fuit indiscretè factum, tamen intelligendum non erat nisi per

A modum licitum & bonum: quia spiritus Domini non instigat nisi ad bonum, Item in litera dicitur, quòd Iephte concessit filia suæ tempus duorum mensium. Cum igitur esset iudex populi & prudens homo, non est verisimile, quin in tempore intermedio colloquium habuerit de voto suo cum sapientibus in lege: maximè cum votum suum iam esset diulgatum: nullus autem talis sibi consulisset votum suum implendum per occisionem filia innocentis: cum hoc sit manifestè contra præceptum legis, Exod. 20. & contra intentionem legis Leuit. ult. ut patet ex prædictis. Et ideo verisimile videtur: quòd à sapientibus fuerit sibi dictum, votum suum impleri debere per modum suprascriptum. Item Hebr. II. Iephte ponitur in sanctorum catalogo: & ideo non videtur factum sic enorme asseri deberi de illo, nisi ex sacra scriptura expressè haberetur.
B Sed dices sicut & communiter dicitur, quòd scriptura hoc expressè dicit sicut supra allegatum est: *Reuersa est ad patrem suum & fecit ei sicut vouerat.* Ad quod dicendum, quòd scriptura non dicit quòd occiderit eam: sed quòd votum impleuerit, quod est intelligendum per modum licitum, prout superius est expressum: imò si eam occidisset, nullo modo votum impleuisset: quia emissio voti non potest fieri nisi de bono: nec per consequens eius impletio: ideo argumentum magis videtur ad oppositum. Item sic argues, hinc scribitur: *Dimitte me, & plangam virginitatem meam*, & postea subditur: *Consuetudo seruata est ut post anni circulum conueniant filia Israël, & plangent filiam Iephte*: & ideo videtur quòd fuerit occisa. Ad quod potest dici, quòd in principio Iephte credidit eam esse occidendam: & ipsa similiter audito verbo patris, & ideo dixit: *Dimitte me, &c.* sed antequam rediret, Iephte mutauit propositum de consilio sapientum. Quod autem postea subditur: *Consuetudo seruata est, &c.* Dicendum est, quòd hæc consuetudo facta est rationabiliter in memoriam filia Iephte: quæ parata fuit patri obedire vsque ad mortem corporalem & obediuit vsque ad mortem civilem vel spiritualem: ut & reliquæ filia Israël docerentur obedire parentibus. Sed adhuc contra prædicta arguitur, quòd immolatio innocentis sit Deo accepta, sicut

patet Gen. 22. vbi Abraham commendatur de hoc quod voluit innocentem filium immolare. Ad quod dicendum, quod non est simile: quia Abraham habuit de hoc præceptum diuinum, vt habetur ibidem: Omnis autem homo quantumcumque innocens debitor est mortis propter peccatum primorum parentum ipsi Deo: qui hoc debitum potest repetere quancumque vult, & quomodo vult: & ideo Abraham bene fecit, Deo volens obedire in sui filij immolatione, sed quod aliquis ex voto emisso voluntariè interficiat innocentem, est illicitum. Item contra prædicta arguitur: quia scribitur Gen. 9. *Crescite & multiplicamini*: & Deut. cap. 9. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*. Observatio verò virginitatis excludit multiplicationem prolis: ergo videtur quòd fuerit illicita tempore veteris legis: propter quod videtur inconuenienter dictum, quòd filia Iephte fuerit Domino consecrata vel sacrificata per obseruationem virginitatis. Dicendum quòd illud præceptum: *Crescite & multiplicamini*, &c. datum fuit Noë in exitu arcæ quando erant pauca personæ humanæ, scilicet octo tantum: quatuor viri, & quatuor mulieres: quia tunc genus humanum indigebat multiplicatione per carnalem generationem ordinatam ad diuinum cultum: & ideo multiplicato genere humano cessauit illud præceptum in particularibus personis: quia in communitate humani generis multi sunt proni ad generationis actum, per quos impletur communitati præceptum factum. Quòd autem additur illud Deut. cap. 7. *Non erit apud te sterilis*, &c. non est præceptum: vt patet inspicienti textum, sed est quædam promissio facta obseruantibus legem matrimonij de fecunditate prolis habenda: sicut etiam tempore Euangelij multiplicatio prolis personis existentibus in matrimonio reputatur beneficium diuinum. Per hoc tamen non excluditur, quin obseruatio virginitatis sit Deo acceptior: quæ tamen reperitur in paucis personis, propter quod dicit saluator Matth. 19. *Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum celorum: qui potest capere capiat*. q. d. pauci tales inueniuntur. Quod autem obseruatio virginitatis non solum Euangelij, sed etiam tempore veteris test. fuerit laudabilis & Deo accepta: patet per exempla, quia Helias propheta qui fuit valde perfectus & Deo acceptus virginitatem seruauit: sicut habetur ex verbis Gregor. homil. 19. super Euangelia. Rasis etiam 2. Machab. 14. commendatur de hoc quòd propositum continentia tenuerit. Beata etiam virgo Maria votum virginitatis emisit: & sanctus Ioseph sponsus eius cum ea, vt tenent Doctores Catholici: & tamen adhuc erat status veteris testamenti. Paulus etiam Apostolus cum adhuc esset legis æmulator & Euangelij persecutor virginitatem seruauit, & sic patet quod obseruatio virginitatis fuit Deo grata à tempore veteris legis.

Estius. *Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad patrem suum,*

A & fecit ei sicut vouerat. Veteres Ecclesiæ doctores, eò quod Iephte dixerat v. 31. *Quicumque primus fuerit egressus eum holocaustum offeram Domino*, fere sentiunt filiam Iephte per mortem corporalem immolatam fuisse Deo. Sic Augustin. in quæst. vbi late de hoc facto disputat, item lib. 1. de Ciuit. cap. 11. Similiter Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, & Ambrosius, illud improbens lib. 3. de Virgin. & in Apolog. 1. David cap. 4. Sed difficultatem parit, quod ad Hebr. 11. Iephte quoque iis annumeretur qui per fidem Deo placuerunt: immolare autem hominem, & lege naturæ, & lege diuina erat prohibitum. Neque dici posse videtur cum instinctu diuino illud fecisse, sicut de Samsonè occumbente cum Philistæis quidam dicunt: Nam legitur hinc Iephte doluisse de tali voto.

B Itaque Hebræi Interpretes, & recentiores Ecclesiastici scriptores intelligunt filiam Iephte fuisse Deo oblatam, non per mortem corporis, sed eo modo quo licitum erat hominem Deo offerri. Nam & oblatio hominis in ministerium perpetuum Dei, Leuit. cap. vlt. mors appellatur: nempe vt filia Iephte perpetuam virginitatem seruandam susceperit: quod (vt diximus) viro principi de filia vnica valde erat durum. Idque sane dicitur non improbabiler: primum, quia petiit spatium, vt desinat non mortem, sed virginitatem suam. Item, quod vbi nos habemus, quod *conueniebant quotannis filij Israël, vt plangerent filiam Iephte*, ex Hebræo vertitur à multis, vt *alloquerentur, vel vt consolarentur filiam Iephte*: quasi vt nunc vituntur virgines sacrae inclusa. Adde si Saul prohibitus fuit à populo 1. Reg. cap. 14. ne occideret filium suum Ionatham: inquit, quomodo duorum mensium spatio, aut filia non fuisset manibus patris à populo erepta, vel pater aliter persuasus. Interim filiam dictis rationibus commode respondere se posse quis putet, poterit is sententiæ veterum inhaerere. Vide de his prolixius commentarium nostrum ad Hebr. c. 11. v. 31.

C *Et fecit ei sicut vouerat.* Offerendo scilicet eam in holocaustum, quod veteres ferè omnes sentiunt, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Hieronymus, Epiphanius, Chryostomus, & alij à Serario longo ordine citati quæst. decima sexta, in hoc caput.

D *Quæ ignorabat virum.* Cui minus molesta fuit mors, quam Iobolis orbitas. Tunc enim habebatur maledicta sterilis Exod. 23. 26. Deut. 7. 14. Sap. 3. 13. Gen. 30. 1. 1. Reg. . .

Plangent filiam Iephte diebus quatuor. Anniversarius hic luctus statutus est in filia Iephte honorem, quæ se post concessum bimestre spatium tanta constantia sacrificio stetit. Secundo, vt ostenderetur etiam difficilia quæ volumus facienda. Tertio, vt incitarentur omnes Israël filia ad Dei cultum, parentum obedientiam, patriæ charitatem. Quarto, vt monerentur in posterum à tristibus huiusmodi votis abstinendum. Quinto, vt ostenderetur charorum memoriam lamentari metas non esse.

MENO S.

MENO C.
P. 40.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS.

Ephraimitæ iniuste aduersus Iephte tumultuantes ad 42. millia caduntur. Vita sancto succedunt Iudices Abesân, Elon, & Abdon.

1.



Cce autem in Ephraim orta est seditio, nam transeuntes contra Aquilonem, dixerunt ad Iephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, vt pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam. 2. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocauique vos, vt præberetis mihi auxilium, & facere noluitis. 3. Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transiique ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, vt aduersum me confurgatis in prælium? 4. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitiuus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manasse. 5. Occupaueruntque Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reuersurus erat. Cumque

venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro vt me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non sum: 6. interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. 7. Iudicauit itaque Iephte Galaadites Israel sex annis: & mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Galaad. 8. Post hunc iudicauit Israel Abesan Bethlehem: 9. qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores, introducens in domum suam. Qui septem annis iudicauit Israel: 10. mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem. 11. Cui successit Ahialon Zabulonites: & iudicauit Israel Abdon filius Illel, Pharathonites: 14. qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, & iudicauit Israel octo annis: 15. mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Ecce autem in Ephraim orta est seditio, nam transientes contra Aquilonem, dixerunt ad Iephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, vt pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.
Pag. Conuenit vir Ephraim, &c. comburemus domum tuam tecum.
Arias. Et accitus est vir, &c. quid cognitionis transiisti ad cedere?
Sept. Rom. Et clamaui vir Ephrem.
Reg. Et congregatus est.
Arab. Viri Ephrem exclamantes.
Vulg. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocauique vos, vt præberetis mihi auxilium, & facere nolulistis.

Pag. Vir rixæ fui ego, & populus meus valde, &c. & non seruasti me à manu eorum.
Arias. Acciui vos.
Caiet. Clamaui ad vos.
Vatab. Controuersia magna orta est inter me.
Tigur. Videns verò, quod tu seruator esse non potes.
Malu. Vir litis fui ego, &c. acclamaui vos.
Sept. Rom. Vir puginator eram ego, &c. & clamaui vos.
Reg. Vir litigans ego, & filij Ammon humiliabant valde.
Cald. Homo iudicij fui ego, &c. & petiui à vobis.
Syr. Heus viri, contendebant ego, & populus meus.
Arab. Pugnabant aduersum Ammonitas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ecce in Ephraim orta est seditio; Alij, *Accitus est, conclamatus est vir*: est enim פִּיטָהּ *iitsaghek*, passiuæ significationis, licet per actiuum reddatur, vnde Sept. legunt & clamaui vir Ephrem: & sensus est, mutuo clamore & vociferatione, sese ad seditionem excitantur. *Incendemus domum tuam*; Alij addunt, *tecum, vel super te*, & sic non tantum domum, sed etiam Iephtem ipsum combusturos se minantur. *Disceptatio erat mihi, &c.* Alij, *Vir rixæ fui ego*, id est, controuersia magna orta est inter me, populū Ammon, & filios Ammon.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V. 1.** **E**cce autem. Descripta tribulatione & modo liberationis, hic consequenter describitur impetus seditionis. Et primò huiusmodi seditio describitur: secundo tempus trium iudicum succinctè subditur, ibi: *Post hunc, &c.* Circa primum dicitur: *Ecce autem, &c.* Illi enim de hac tribu erant superbi & gloriæ mundanæ cupidi, propter causam dictam superius in prin. cap. 8 & ideo dolebant de hoc quod victoria ipsi Iephte adscribebatur, qui non erat de eorum tribu: & ideo quærebant occasionem contra eum dimicandi.
Vocare nos, &c. Mentiebantur, vt patet ex sequentibus: sed gratis quærebant occasionem dissensionis, & patet litera vsque ibi.
MENOC. *Orta est seditio.* Seditionis causa prorsus eadem fuit, quæ iisdem tumultus fuerat, supra cap. 8. contra Gedeonem; nimia scilicet gloriæ cupiditas, & rerum bene à Galaaditis gestarum inuidia.
Transientes contra Aquilonem. Iordanem in Aquilonari parte transmittentes.
Vocare nos noluisti. Mentuntur, nam vt patet ex versu sequenti, inuitati, belli participes esse noluerunt.
Incendemus domum tuam. Et te eum ea, nam in Hebræo additur *Tecum*, vel, *super te*, quod etiam habent LXX.
TIRINVS. *In Ephraim orta est seditio.* In Hebræo insinuat, omnes Ephraimitas ad seditionem & bellum conuolasse.

A Nempe, nimia gloriæ cupiditas, & rerum bene à Galaaditis gestarum inuidia Ephraimitas ad hæc arma concitarunt, vt nuper eisdem contra Gedeonem cap. 8. Et mox addunt turpe mendacium, cum fingunt se in societatem Ammonitici belli vocatos non fuisse: cum vocati à Iephte fuissent, sed ipsi venire detrectassent, ipsumque in magno vitæ periculo sædè desertum reliquissent. Vnde coactus sum, inquit Iephte, animam, seu vitam meam, ponere in manibus meis, id est maximo discrimini exponere. Nilominus insultabant Ephraimitæ, & amaro sarcasmo exprobrabant Galaaditis, *Fugitiuus est Galaad de Ephraim*; id est, Galaaditæ non possunt resistere solis Ephraimitis, sed eos primo aspectu fugiunt viles, ignaui serui, nulliusque aut animi, aut roboris; quid facient miselli, vndique conclusi duabus nobilissimis potentissimisque duorum fratrum tribubus, Ephraim & Manasse? Ita fere Lyranus, Vatablus, Caietanus. Facile fuit Ephraimitis, sic insultare Galaaditis necdum bello accinctis, sed inexpectato illorum incursum ex agris ad oppida fugere coactis: sed postquam armatos fenserunt, & suorum quadraginta duo millia prostratos viderunt, citò fastum suum arrogantiamque & audaciam, sed magno suo damno & luctu posuerunt. Ab hac Ephraimitarum insigni clade videtur loco vbi illa contigit, nomen inditum, *Sylua seu saltus Ephraim*, 2. Regum 18. vers. 6.

VARIETAS LECTIONVM. à *Vers. 3. ad 6.*

Vulg. Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transiique ad filios Ammon, & tra-

didit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, vt aduersum me surgatis in prælium?

Pag. Et vidi quòd non seruares, &c. & vt quid ascenditis ad me in die hac?

Arias. Posui animam meam in voluntate.

Sept. Et vidi, quia non es seruator.

Reg. Quod non erat qui liberaret.

Cald. Tradidi animam meam ad occidendum.

Arab. Cum vidissem nullum mihi esse vindicem.

Vulg. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitiuus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manasse.

Arab. Congregauit, &c. euafores Ephraim vos.

Caiet. Euasi de Ephraim vos Ghilgal.

Tigur. Vos fugitiui estis Ephraim.

Sept. Rom. Conglobauit omnes viros, & conflixit cum Ephrem, quia dixerunt, euafores.

Reg. Liberati.

Cald. Euasi domus Ephraim, quid nos putantes de domo Ghilgal intra domum Ephraim, & intra domum Manasse?

Syr. Dicebant enim, Aphrenitæ sunt medij Aphrem, & Manassen.

Arab. Dixerunt, Ephraim & Manasse eiusdem sunt generis.

Vulg. Occupaueruntque Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reuersurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro vt me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non sum.

Pag. Et fuit quando dicebant Ephratæi, transibo.

Arias. Euafores Ephraim.

Sept. Præoccupauit transitus Iordanis, & dicebant eis, qui euaserant.

Cald. Et fuit quando dixit vnus de euasis,

Syr. Cumque pontem traicerent.

Vulg. Interrogabant eum: Dic ergo Schibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

Pag. Et non valebat loqui sic.

Arias. Et non dirigebat loqui sic.

Gnar. Nec rectè poterat loqui sic.

Caiet. Et non faciet dirigere linguam suam ad loquendum sic.

Isid. Clar. Non enim aptus erat.

Vatab. Non rectificabat ad loquendum.

Malu. Non apparebat ad loqui, & sic obtinuerunt eum & mactauerunt.

Codex Basil. Aldinus. Dic nunc tesseram.

Alij. Signum.

Sept. Rom. Dic nunc, Spica & non dirigebat, & immolabant eum.

Reg. Dicite iam Spica compositio, &c. & non dirigebant.

Schol. Dic nunc tesseram, & dixerunt spica.

Cald. Dic nunc Zsabeltha, & dixit Szubeltha!

Syr. Profer dictionem Scheble, proferebat ille sceble, nec poterat proferre, transuehebant eum.

Arab. Non poterant pronuntiare litteram Schin.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Posui animam meam in manibus meis. *Cald.* Ad occidendum. Phrasis enim illa significat vitam suam periculo mortis exposuisse: Fugitiuus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim, & Manasse; Alij, Abiecti, & euafores Ephraim vos Galaad, in medio Ephraim, in medio Manasse. Hebr. plurale פלטימ pelitim, quæ sonat euafores, fugitiuos, profugos, & figuratè viles, abiectos, infames, quo conuitio Galaaditas afficiunt Ephraimitæ.

Dic Schibboleth, quod interpretatur Spica. Hebr. hæc vltima verba non habentur, sed Interpretis nostri sunt, vocem Hebraicam interpretantis, ne illius vocis Hebraicæ maneret ignota significatio. *Sept.* codex varius est, nam Rom. habet פלטימ spica, sed quid responderunt, non exprimit, sed illud tantum addit, *Et non dirigebat loqui sic*, hoc est non valebant hanc pronuntiationem assequi. *Basil. Aldinus,* Dic nobis tesseram, פלטימ, quasi nihil aliud dixerint Galaaditæ, hoc est, dic tesseram, hoc est vocem constitutam, quæ vni ab aliis internoscendi sunt: est enim militaris tessera, quæ socij quibus ea communicatur, ab hostibus internoscuntur. *Reg.* Codex vtramque vocem habet, *dicite iam spica, tesseram.* Vtrumque legit Scholiastes, sed meliore ordine, quàm regius Codex, *dicite nunc tesseram, & dixerunt spica.* Eadem litteræ spicam exprimere non valens. *Alij,* *Et non rectificabat ad loquendum sic,* sed cum eodem sensu, nempe, non rectè poterat loqui, seu non exactè proferebat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**osui animam, &c. Id est, necessitate urgente exposui A
v. 3. periculo vitam meam pugnando cum paucis contra filios Aramon.

ESTIUS. *Quod cernens, posui animam meam in manibus meis.* Respondet his verbis Iephte Ephratæis seditionem contra se mouentibus. Est autem phrasis Hebraica, ponere animam suam in manibus suis, pro eo quod est exponere vitam suam periculo. Sic & David Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper:* quasi dicat, versabar in perpetuo discrimine vitæ, quem sensum etiam indicant verba sequentia. *Posuerunt peccatores laqueum mihi, &c.* Ratio autem locutionis est, quia anima apud Hebræos vitam significat, quod autem in manibus quis habet, hoc paratus est expendere, sicut pecuniam & similia. Similiter ergo qui vitam paratus est expendere, dicitur animam suam in manibus suis ponere.

MENOC. *Posui animam meam in manibus meis.* Vitam meam mortis periculo exposui. Hebræa phrasis, quæ etiam occurrit
1. Reg. 19. 5. & alibi.

LYRAN. *Pugnabat contra, &c.* Cuius causa subditur.

v. 4. *Quia dixerat: Fugitiuus, &c.* Quod exponunt aliqui de Iephte qui fuit eiectus à fratribus suis, vt dictum est supra in principio cap. 11. Sed illud quod sequitur de Ephraim, non bene consonat huic expositioni, quia non fuit de tribu Ephraim, & ideo melius exponitur de populo Galaad, de quo subditur.

Et habitat, &c. Ly habitat non est in Hebr. sed sic habetur ibi, *Fugitiuus est Galaad in medio Ephraim & in medio Manasse.* Id est, nullius momenti est aut reputationis in comparatione ad hanc tribum & ad illam, vt exponunt Hebr. Cætera patent vsque ibi.

Fugitiuus est Galaad de Ephraim. Quasi dicat, viles respectu Ephraim, vt solent qui fugiunt. Vel sensus est: Galaad fugitiuus est, id est, apostata, & defertor, qui nos olim reliquit manens vltra Iordanem.

Et habitat in medio Ephraim, & Manasse. Quasi dicat, quid superbitis vos Galaaditæ, qui inter fraternas tribus duas, Ephraim scilicet & Manasse habitatis? Nonne ab vtraque tribu concludi & deleri nullo negotio potestis?

Dic ergo, &c. Istud quod interpretatur Spica. Non est in Hebr. sed appositum est à translatore. Hebræi autem dicunt quod Schibboleth non accipitur hîc in ista significatone: sed pro cursu vel impetu aquæ: quod Gallicè dicitur fl. Schibboleth enim est nomen æquiuiocum ad vtrumque, videtur tamen magis quod hîc accipiatur pro sensu quem dicunt Hebr. quia Ephratæ petebant vt permitterentur transire fluum Iordanis, & ideo de hoc examinabant eos vtrum essent de Ephraim aut non, vnde secundum Hebr. sic dicebant eis: dic Schibboleth fluum transibo.

Qui respondebat, &c. Chebbolet. Ad cuius intellectum sciendum: quod apud Hebr. littera s, duplicatur,

MENOC.

LYRAN.
v. 6.

vna vocatur *Schin*: & habet fortem sonum vbiicumque ponatur, in principio, medio vel fine dictionis, sicut nostrum *s*, quando ponitur in principio dictionis vel in fine. Alia vocatur *Samech*, & habet talem sonum sicut nostrum *s*, quando pronuntiatur ab homine linguam blesam habente: & sonus eius appropinquat ad sonum litteræ, quæ apud nos sonat *c*. Pro qua littera in Latino ponitur *ch*. vnde adhuc in antiquis abbatibus, quæ sequuntur modum pronuntiandi antiquum, sic pronuntiant, dicendo Machæus, vbi dicitur Matthæus. Illi autem de Ephraim, vel per corruptionem linguæ, vel per consuetudinem pro littera *Schin* pronuntiabant litteram *Samech*: sicut homo blesus pro hoc nomine *Simon*, diceret *Chimon*, ideo subditur.

ESTIVS. *Dic ergo Schibboleth, quod interpretatur Spica, &c.* Narratur quomodo Ephratæi volentes transire vada Iordanis deprehensi sint, nescientes cum aspiratione pronuntiare Schibboleth, sed respondentes Sibboleth, sicutque iugulati sunt. Vbi sciendum, illam adiectionem (quod interpretatur *Spica*) non esse in Hebræo. Multi etiam putant quod vox Hebraica (*Schibboleth*) iuxta interpretationem Hebræam

A magis significet *impetum currentis aquæ*: vt sic Galaaditæ Ephratæos tentauerint ex re præsentis, perinde atque si dicerent: Vultisne transire fluentes aquas? hoc est, vultisne Schibboleth? vbi dum Ephratæi quadam proprietate linguæ suæ, non scirent respondere per aspirationem (*ita volumus Schibboleth*) sed sine aspiratione Sibboleth supponerent, pro littera *Schin* reddentes (*Samech*) deprehenderentur esse Ephratæi. Nec hoc mirum, nam & hodie experimur quasdam literas alio sono à Francis, Italis, vel Hispanis, alio à Germanis proferri, & nec posse quidem à pluribus eodem sono proferri, etiam si contentur.

Dic ergo Schibboleth. Non poterant hanc vocem Schibboleth Ephraimitæ pronuntiare per *s*, &c. Id est, per *schin*, sed pronuntiabant tantum per *s*, id est, per *samech*, dicentes Sibboleth, ex quo agnoscebantur. Hoc passim accidit, vt nationes aliquæ aliquas voces per aliquas literas efferre aut non possint, aut ægre possint.

Quod interpretatur Spica. Id additum ab interprete, alij aquarum decursum seu alueum interpretantur, & quidem vtrumque significat.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 7. ad 15.

Vulg. Iudicauit itaque Iephte Galaadites Israël sex annis: & mortuus est, & sepultus in ciuitate sua Galaad. Sic Sept.

Pag. In vna ex ciuitatibus Ghilgad.

Cald. In vrbibus suis Galaad.

Vulg. Post hunc iudicauit Israël Abefan de Bethleem.

Vulg. Qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores, introducens in domum suam. Qui septem annis iudicauit Israël.

Malu. Et fuit ei 30. filij, & 30. filias misit foras, & 30. filias venire fecit filiis suis, de filiis.

Vulg. Mortuusque est, ac sepultus in Bethleem.

Vulg. Cui successit Ahialon Zabulonites & iudicauit Israël decem annis.

Vulg. Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.

Malu. Sepultus fuit in Aialon in terra Zebulon.

Rom. Sepultus in Alom.

Reg. In Alim.

Cald. Eclon.

Vulg. Post hunc iudicauit Israël Abdon filius Illel, Pharaonites.

Cald. Filius Hillel, de ex Pargathon.

Syr. Filius Helian Ephratonæi.

Vulg. Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super 70. pullos asinarum, & iudicauit Israël octo annis.

Pag. Equitantes super septuaginta pullos.

Malu. Vehentes super.

Tigur. Vecti.

Syr. Equitabant septuaginta a sellas.

Vulg. Mortuusque est, ac sepultus in Parathon terræ Ephraim in monte Amalec.

Sept. In monte ipsius Amalec.

Cald. In monte domus Ghamalec.

Syr. Amalecitarum. Ita & Arab.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In ciuitate sua Galaad; Alij, In vrbibus Ghilgad, id est, in vna, in aliqua vrbium, vel ex vna vrbibus Galaad. Ascendentes supra septuaginta pullos asinarum. In Hebr. non est asinarum: vnde Caiet. ait, superfluit asinarum, pulli enim equarum ad eorum gloriam significantur, sed vide Concord. vers. 4. cap. 10. & vers. 10. cap. 5. Sepultus in Zabulon. In Heb. loci nomen vbi mortuus & sepultus exprimitur. In Heb. Aialon habetur, & idem locus apud Sept. sed corruptè. In monte Amalec. Syr. & Arab. Amalecitarum. Vnde quidam volunt Amalecitas ad huc tunc temporis incoluisse ex parte hunc montem, vnde à Samuele demum eiectioni sunt: sed alij id non admittunt, cum inauditum sit, vt in Israëlitarum medio, vel inter Ephraimitas dicantur habitare Amalecitas. Dicunt ergo vel fuisse montis, vel hominis alicuius proprium nomen, vel quòd aliquando tempore Chananæorum, fortè aliquæ familiæ Amalecitarum hunc incoluerint.

ANNOTATIONES.

MENOC. **I**udicauit Israël. Vniuersum Israël; nam licet initio Galaaditarum tantum princeps esset, postea tamen etiam reliquæ tribus illi paruissè videntur. Ita sentit D. Augustinus quæst. 49.

Mortuus est Iephte, &c. In beatorum numero recenset Iephtem S. Paulus ad Hebr. 11. v. 32.

MENOC. **Abefan de Bethleem.** Quæ in tribu Iuda, & ita passim sentiunt omnes. Maldonatus tamen in Matth. cap. 2. nu. 1. putat hîc agi de Bethleem, quæ erat in tribu Zabulon, cuius mentio Iosué 19. v. 15.

TIRINVS **Post Iephte iudicauit Israël Abefan de Bethleem.** Maldonatus putat hîc agi de Bethleem Zabulonica, de qua Iosué 19. v. 15. Sed alij verosimiliùs dicunt, è Bethleem Iuda oriundum fuisse hunc Iudicem. Non tamen inde necessariò sequitur, quod tradunt quidam Rabbinij, hunc Abefan

C esse Booz maritum Ruth, abauum Dauidis regis. Licet facilè admittam coæuum illi fuisse, sicut eidem etiam coæuus fuit Priamus, Troianorum rex vltimus: & vt Abefan 60. proles, sic Priamus 50. numerabat: & ferè sub idem tempus, quo & Troia secundò excisa à Græcis fuit, vterque extinctus videtur.

Introducens in domum suam. Sux familiæ aggregans, cum nurus illius essent, licet, fortasse sub eodem tecto non habitauerint propter multitudinem.

Pharathonites. Ex vrbe Pharathon in tribu Ephraim, vt dicitur num. 15. sequenti.

In monte Amalec. Quia eum ex parte adhuc incolebant Amalecitas in orientali tractu Ephraim, vnde tandem à Saule 1. Reg. 15. eiectioni fuerunt.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS.

Israélite rursus in idololatriam lapsi, Philisthæis serui sunt. Samson nascitur, vivit Nazareus, & incipit ulcisci iniurias illatas Israël.

Rursumque filij Israël fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis. 2. Erat autem quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan nomine Manue, habens vxorem sterilem. 3. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es & absque liberis: sed concipies & paries filium: 4. caue ergo ne bibas vinum ac ficeram, nec immundum quidquam comedas: 5. quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthinorum. 6. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis quem cùm interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: 7. sed hoc respondit: Et concipies & paries filium: caue ne vinum bibas, nec ficeram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazareus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ vsque ad diem mortis suæ. 8. Oravit itaque Manue Dominum, & ait: Obscuro Domine, vt vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. 9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rursus Angelus Dei vxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cùm vidisset Angelum, 10. festinavit, & cucurrit ad virum suum: nuntiauitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram. 11. Qui surrexit, & secutus est vxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum. 12. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis vt faciat puer? aut à quo se obseruare debet? 13. Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se: 14. & quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & ficeram non bibat, nullo vescatur immundo: & quod ei præcepi, impleat atque custodiat. 15. Dixitque Manue ad Angelum Domini: Obscuro te vt acquiescas precibus meis, & faciamus tibi hœdum de capris. 16. Cui respondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod Angelus Domini esset. 17. Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? 18. Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? 19. Tulit itaque Manue hœdum de capris, & libamenta, & posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipse autem & vxor eius intuebantur. 20. Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cùm vidissent Manue & vxor eius, proni ceciderunt in terram, 21. & ultra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse, 22. & dixit ad vxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum, 23. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset. 24. Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samson. Creuitque puer, & benedixit ei Dominus. 25. Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan, inter Saraa, & Esthaol.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. i. ad 5.

Vulg. Rursumque filij Israël fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.

Pag. Addiderunt vt facerent malum.

Arab. Redeuntibus Israëlitis ad misetias suas, & malum perpetrandum coram Domino, immisit in eos Dominus Palæstinos, qui seruitute prefferunt eos

Vulg. Erat autem quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan nomine Manue, habens vxorem sterilem.

Pag. Et vxor eius sterilis, & non peperit.

Malu. Virâ eius eruncata, & non genuit.

Vulg. Cui apparuit Angelus Domini ad eam: Sterilis es, & absque liberis: sed concipies, & paries filium.

Pag. Conspectus est autem Angelus Domini mulieri.

Malu. Ecce iam eruncata, & non genuisti.

Sept. Rom. Concipies filium, & in utero habebis, & paries filium.

Cald. Ecce nunc est tibi natus.

Tom. IV.

Arab. Mox conceptura, aut paritura.

Vulg. Caue ergo, ne bibas vinum ac ficeram, nec immundum comedas.

Pag. Ne bibas Sichar.

Malu. Et nunc obseruata esto euge, & non bibes, & ebriamen, & non comedas omne taminatum.

Sept. Et nunc obserua nunc non bibes, &c. & inebriamentum.

Cald. Non bibas nouum vinum & vetus.

Arab. Aut quidquam inebrians.

Vulg. Quia concipies & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthinorum.

Arias. Ecce tu prægnans.

Caiet. Nazareus Elohim erit puer ab utero.

Malu. Quia ecce tu grauida, quia separatus Elohim erit excussus de ventre.

Sept. Rom. Ferrum super caput, &c. quoniam Nazir erit

puerulus à ventre.
Arab. Cuius caput haudquaquam radetur nouacula, &

erit addictus Deo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ecce tu sterilis; Alij, *Eruncata*, id est, eradicata, eneruata, extirpata. *Vinum & siceram*; Alij, *Ebriamen*. Confulequæ iam à nobis dicta Iudic. 13. v. 4. Deuter. 14. *Cuius caput non tanget nouacula*; Alij, *Non ascendet*, id est, vt rectè Arab. *Cuius caput haudquaquam nouacularadetur. Erit Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero.* In Hebr. non est ab infantia. Arab. *Erit addictus Deo.* Vide Concord. vers. 2. num. 6. vbi diximus vocem נזיר *nazir*, significare separatum, consecratum Deo, addictum, sanctificatum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ψ. 1.** **R**ursumque filij. Hic describitur septima tribulatio, quæ facta est per Philisthæos. Et primò ponitur tribulationis pondus: secundò liberationis modus, ibi: *Erat autem quidam vir.* Circa primum ponitur filiorum Israël culpa renouata, cum dicitur.
- Rursumque.* Et subditur pœna inflicta, cum dicitur.
- Qui tradidit.* Isti quadraginta anni computantur à tempore Samsonis & Heli, quia per Samsonem non fuerunt filij Israël omnino liberati de seruitute Philisthinorum, licet restricta fuerit tyrannis eorum.
- Erat.* Hic consequenter ponitur liberationis modus, vbi primò describitur ducis conditio; secundò inuasionis occasio, cap. 14. tertio hostium consumatio cap. 16. Circa primum primò describitur ducis conceptio; secundò eius natiuitas & conditio, ibi: *Peperit.* Circa primum sciendum quòd mater Samsonis erat sterilis, & ideo non concepit eum virtute nature sed per gratiam adiutæ. Circa quam gratiam primo describitur annunciatio Angeli, secundo relatio verbi, ibi: *Quæ cum venisset ad maritum,* tertio, confirmatio facti, ibi: *Oravit itaque,* quarto oblatio sacrificij ibi: *Dixitque ita Manue.* Circa primum ponitur conditio patris cum dicitur.
- ESTIVS.** *Qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.* Vtrum quadraginta anni accipiendi sint in vniuersum anvsque ad tempus nunciatæ natiuitatis Samsonis, an vero vsque ad id tempus, quo Samson contra Philisthæos heroica facta exercere cœpit, non liquet ex historia. Si enim secundum membrum accipimus, iam seruitus ad minimum durasse videretur octoginta annis, id est, quadraginta annis ante ortum Samsonem, & viginti vsque ad iuuenilem eius ætatem, quando cœpit versari in castris Dan, & rursum viginti annis, quibus iudicasse dicitur Israëllem, imo durante adhuc subiectione, quia Samson non prorsus liberauit populum de iugo Philisthinorum: Vnde & signanter dicitur v. 5. *Et ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthim.*
- LYRAN.** **ψ. 2.** *Vir de Saraa.* Nomen est loci.
- Et de stirpe.* Vbi apparet eius cognatio.
- Habens.* In quo ostenditur impedimentum ex parte matris, vt conceptio pueri sit magis mirabilis.
- De Saraa.* Vrbs hæc Iosué 15. 33. & 19. 41. Esdra etiam lib. 2. cap. 11. num. 29. recensetur inter vrbes terminales tribuum Iuda, & Dan. Existimant plerique Samsonem non ex ipsamet vrbe Saraa, sed ex Saraano agro ortum, vt colligi videtur, ex cap. 19. num. 31. & ex c. isto 13. num. 25. Nam vtroque loco videtur paterna Samsonis domus, ac sepulchrum collocari inter Saraam vrbe, & Esthaol.
- Manue.* Virum bonum fuisse Manue ex his, quæ in hac historia dicuntur, colligitur, vt ex subito ad Deum recursum & preceatione, cum de filij conceptu audiit infra num. 8. Ex omnibus etiam quæ postea cum Angelo locutus est, & egit: & ex iis, quæ cum Samson filio illi acciderunt; infra cap. 14.
- LYRAN.** **ψ. 4.** *Cave ergo, &c.* Sicera dicitur omnis potus inebriantius.
- Nec immundum.* Id est, illa quæ dicuntur immunda ad esum secundum legem, prout determinatur Leu. cap. 11. prohibetur enim comedere & bibere illa quæ prohibentur Nazaræis, num. 6. cuius causa subditur.
- MENOC.** *Cave ergo ne bibas vinum, aut siceram.* Iubet eum fieri
- A** Nazaræum ad tempus, ac propterea iuxta leges Nazaræatus, vino abstinere, ac sicera, hoc est, omni potu inebriandi vim habente, hoc enim sicera significat, quam LXX. propterea vocant *μῆδοςμα*.
- Nec immundum quidquam comedas.* Hoc alioqui vi legis Hebraicæ tenebatur facere, sed non est superuacanea monitio: quàm multi enim leges violant, quas seruare debuissent.
- Cave ne immundum quidquam comedas.* Iubet Angelus vt etiam ipsa Samsonis mater Nazarænam agat vitam vsque ad filij partum. Vnde iubet abstinere non solum à vino & sicera, sed etiam ab omni cibo vinoso, verbi gratia vis, vel coctis aut conditis cum vis: nam hæc omnia Nazaræis erant inhibita, ac proinde respectu illorum immunda. Vide plura num. 6. & Leuit. vltimo.
- Quia concipies.* Gratia adiuuante naturam.
- Cuius non tanget.* Quia Nazaræi tempore suæ consecrationis non poterant radi, vt habetur num. cap. 6. Iste autem Samson fuit consecratus per totam vitam suam, ideo subditur.
- Erit enim Nazareus.* Non est intelligendum per hoc, quod fuerit sanctificatus in utero: sicut Ioannes Baptista, quia de talibus sanctificatis tenetur, quod non peccauerunt mortaliter, sed ista consecratio intelligitur per donum mortitudinis: quæ fuit quædam gratia gratis data, & potest stare cum peccato mortali, sicut & donum prophetiæ. Et fuit data pro consolatione populi: ideo subditur.
- Et ipse incipiet, &c.* Et dicitur *incipiet*: quia non liberauit completè, vt supra dictum est.
- Erit enim puer Nazareus Dei, ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet, &c.* D. Augustinus simul coniungens, quod dicitur versu septimo (*vsque ad diem mortis sue*) ideo, inquit, dictum est ab utero matris vsque ad diem mortis; quia Nazaræi, de quibus in lege Moyfi habemus, tantum ad certum tempus tales erant, iuxta votum quod vouerant; nempe vt nec ferrum ascenderet super caput eorum, nec vinum aut siceram biberent. Vnde & quando alterum illorum violatum fuit, id est, quando eo dormiente, capilli eius detonsi fuerunt, recessit ab eo spiritus Dei, ac fortitudo pristina. Notandum autem, ex eo quod consecratus legatur Deo ex utero matris suæ, minime intelligendum esse quod propterea in utero sanctificatus fuerit ea sanctificatione, quæ in iustitia coram Deo & peccatorum remissione consistit, sed tantum significatur, cum iussu diuino à parentibus statim vt natus est, tanquam Nazaræum Deo oblatum & consecratum fuisse, deinde vero octauo die per circumcisionem peccatorum remissionem accepisse sicut ceteros Iudæos.
- Quia concipies, & paries filium.* Voluit Dominus vt magnæ, miræque prolis magna, miræque esset conceptio, in utero gestatio, & natiuitas. Ideo mittitur Angelus, Nazaræatusque imperatur ceremonia, quam Abulensis qu. 10. putat matri indictam vsque ad pueri oblationem, vt scilicet Samson futurus Nazaræus, nec in utero, nec post partum editus in lucem, lacte nutritur quod ex vino aut sicera haberet originem. Tandem tamen concludit, certius esse Nazaræatum matris ad partum vsque tenuisse.

Cuius non tanget caput nouacula. Quæ Nazaræorum nota erat, num. cap. 6. v. 5.
Incipiet liberare Israël de manu Philistinorum. Cæpit, sed

non perfecit, quia in hostium manibus mortuus est, infra cap. 16. v. 30. & magis magisque postea liberatio hæc perfecta est i. Reg. 7. v. 13.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 6. & 7.*

Vulg. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere.

Pag. Aspectus eius tanquam Angeli Dei, terribilis valde, non interrogavi eum ubi, vnde esset, & nomen suum non indicavit.

Caiet. Aspectus eius reuerendus valde.

Tigur. Admodum venerandus.

Malu. Et venit vira, &c. visio eius sicut visio Angeli elohim, timenda valde, & non postulavi ipsum.

Sept. Rom. Et non interrogavi.

Sept. Reg. Et vultus eius, vt vultus Angeli Dei, splendens, & interrogabam eum.

Cald. Propheta Domini venit ad me, &c. vt aspectus Angeli Domini, fortis valde.

Syr. Apparuit mihi specie Angelica, vnde vehementer expauescens, non sum sciscitata.

Arab. Quem ego vehementer formidans.

Vulg. Sed hoc respondit: Ecce concipies & paries filium: caue ne vinum bibas, nec ficeram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ vsque ad diem mortis suæ.

Alij. vt vers. 3. & 4.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Terribilis nimis; Alij, Reuerendus, venerandus: Vehementer expauescens, hoc est, cuius aspectus maiestatem præ se ferebat admirabilem, & sacrum quemdam horrorem creabat. *Quem cum interrogassem;* Alij, ex Hebræo *Et non interrogavi.* Ita Sept. Rom. Cald. Syr. & Arab. sed quis non videt hanc negationem superfluum? nam matrem Angelum interrogasse de nomine suo patet, ex eo quod subdit, *noluit mihi dicere.* Licet autem Sept. Rom. habeant negationem, tamen abest ab aliis codicibus, Regio, Basil. & Aldin. habent enim, *Et interrogabam eum.* Ita legit D. Aug. legerunt ergo Hebraizantes *et lo*, per Aleph, id est non: sed noster melius, & verius legit *et lo*, per *van*, idque notatur in margine: quod Hebr. vocant Keri Vchetib id est, lectio, & scriptio. Scilicet differens & diuersa.

ANNOTATIONES.

Qua cum venisset. Hic consequenter describitur relatio verbi: quia mulier ista retulit marito suo prædicto, dicens.

Vir Dei venit ad me. Id est, Angelus in specie viri: nesciebat tamen mulier, quod esset verè Angelus: credebat tamen, quod esset à Deo missus.

Habens vultum Angelicum. Id est, splendidum ultra consuetum hominum modum.

Terribilis nimis, &c. Id est, venerabilis & reuerendus, sicut Genes. 28. dicitur: *Quam terribilis est locus iste:*

non est hic aliud nisi domus Dei & porta cali. Cætera patent ex dictis.

Vir Dei venit ad me. Apparuerat Angelus specie humana, ac veneranda, quæ grauem, sanctum, propheticumque hominem referret. Prophetæ autem vocabantur, viri Dei.

Habens vultum Angelicum. Formosissimam, & elegantissimam faciem.

Terribilis nimis. Reuerendus & venerabilis admodum.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 8. ad 14.*

Vulg. Orauit itaque Manue Dominum, & ait: Obsecro Domine, vt vir Dei, quem misisti: veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.

Pag. Quid faciamus puero nascituro.

Arias. Nato.

Malu. Suauibus verbis, supplicauit, &c. veniet obsecro, ad nos, & iecit nos quid faciemus excusso nato.

Sept. Rom. Et dixit, in me Domine Adonai, &c. & instruat nos.

Reg. Illuminet nos.

Cald. Propheta Domini, quem misisti, veniat nunc rursus.

Vulg. Exaudiuitque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rursus Angelus Dei vxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea Quæ cum vidisset Angelum.

Pag. Audiuit vocem, &c. conspectus est Angelus iterum.

Vulg. Festinavit, & cucurrit ad virum suum: nuntiavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram.

Pag. Conspectus est mihi vir, qui venit in die illa ad me.

Vulg. Qui surrexit, & secutus est vxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum.

Malu. Et ambulauit Manuah post viram suam, & dixit: Ego.

Vulg. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis vt faciat puer? aut à quo se obseruare debebit?

Pag. Nunc veniet sermo tuus. Quid erit iudicium pueri, & opus eius?

Arias. Nunc veniant verba tua.

Ita Malu. Et addit, quid erit iudicium excussi, & factura eius?

Tigur. Fiat igitur quod dixisti, sed quod erit præscriptum pueri?

Sept. Rom. Nunc veniet verbum, &c. & opera eius.

Reg. Nunc expleto verbo tuo.

Cald. Nunc firmentur verba tua, quid erit, quod dignum infantis, & quid faciemus ei?

Arab. Nunc finem assequentur verba tua, & indica mihi rem pueri, & facta eius.

Vulg. Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat.

Malu. De omni quod dixi ad viram, obseruabitur.

Sept. Ab omnibus custodietur.

Reg. Caueat.

Arab. Abstineat ab omnibus, quæ interdixi.

Vulg. Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat, vinum, & ficeram non bibat, nullo vescatur immundo, & quæ ei præcepi, impleat, atque custodiat.

Pag. Ab omni quod egreditur de vite vini, non comedat.

Malu. Vinum & ebriamen non comedat.

Cald. Vinum nouum, & vetus non biber, &c. vt omnia quæ iussi eam, custodiat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

QVando sermo tuus fuerit expletus; Alij, *Nunc veniet verba tua*, verbum singulare, cum supposito plurali, quod sic exponendum est, nunc eueniet vnum quodque verborum tuorum. *Quid vis ut faciat puer, aut à quo se obseruare debeat*; Alij, *Quod erit iudicium pueri, & opus eius?* Sed clarius Interpres. Hebr. vox *מִשְׁפַּחַת* *missphat*, quod iudicium significat, significare potest normam, regulam, rationem viuendi. Et erit sensus, quæ erit ratio educationis pueri, sine quâ ratione educabitur puer iste? *Abstineat se*; Alij, *Custodita erit, obseruabitur*. Est futurum niphali *תִּשְׁכַּחֲמֶר* *tischchamer*, potest esse secunda persona masculina, seruabis, custodies te, quasi esset sensus, quæ obseruanda præcepi de cibo & potu, vxori tuæ, tibi etiam præscribo. Et potest etiam esse tertia persona fœminina, obseruabitur, custodita erit, custodiet se ipsam, & est sensus communior, scilicet vxor tua abstinebit se ab his, quæ dixi.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. 3.** **O** *Rauit*. Hic consequenter ponitur confirmatio facti per Angelum secundo apparentem ad preces Manue, & patet litera paucis exceptis, quæ discurrentur. *Doceat nos*. Licet enim Angelus dixisset mulieri, à quibus cauere deberet, hoc tamen non dixerat de puero nascituro; ideo sequitur postea.
- MENOC.** **Y. 9.** *Apparuit vxori eius*. Si primò apparuisset Manue, scire potuisset an esset ille idem, qui vxori primò apparuerat, sed cur prima vice vxori potius visus est, quàm ipsi Manue? quia cum hanc potius, quàm Manue sterilitas
- A** angeret, pro ea tollenda diutius & ardentius orauerat, vt etiam pro salute populi: *Quia mulier ista viro præstantior, ideo primo ei visio obtrigit*, inquit Procop. *Ab omnibus*. Quia hæc abstinentia iniuncta erat mulieri, ratione pueri, & ideo multo fortius puero erat à talibus abstinendum: aliter tamen quam matri, quia cum esset Nazaræus, per totam vitam debebat seruare legem Nazaræorum omnibus diebus vitæ suæ: mater autem vsque ad natiuitatem pueri tantum.

MENOC.
Y. 13.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 15. ad 18.

Vulg. Dixitque Manue ad Angelum Domini: Obsecro te vt acquiescas precibus meis, & faciamus tibi hœdum de capris.

Pag. Retardemus quæso te, & præparabimus coram te hœdum caprarum.

Arias. Retineamus nunc te, & faciemus ad facies tuas, &c.

Malu. Præualebimus, obsecro te.

Sept. Cogemus nunc te.

Rom. Retineamus.

Cald. Tenebimus nunc te.

Arab. Dixit ad Angelum de excelsis, sed eas, donec hœdum mactemus, paremus, & offeramus tibi.

Vulg. Cui respondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quòd Angelus Domini esset.

Pag. Si retardaueris me, non comedam de pane tuo, si veto feceris holocaustum, Domino offeres illud.

Arias. Si feceris ascensionem, Domino ascendere facies eam. **Malu.** Si præualebis me.

Arab. Etiam si me sedere facias, non tamen tangam cibum

tuum. Quòd si sacrificium. **Syr.** Hostiam.

Vulg. Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus expletus fuerit, honoremus te?

Arias. Cum venerint verba tua, honore prosequamur te.

Malu. Quis, nomen tuum? Aggrauabimus te.

Sept. Rom. Quoniam veniat verbum tuum, & glorificabimus te.

Cald. Nam firmabuntur verba tua, & venerabimur te.

Syr. Inuitemus te.

Arab. Vt cum exitu comprobatus fuerit sermo tuus, imponamus puero nomen tuum.

Vulg. Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?

Pag. Quod est occultum.

Malu. Ad quid istud postulabis nomini meo, Et illud arduum?

Isid. Clar. Quod est secretum.

Tigur. Reconditum.

Sept. Ad quid hoc interrogas? &c. & ipsum est admirabile.

Cald. Ad quid hoc tu petens ad nomen meum, quod est arcanum?

Syr. Quod est gloriosissimum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Obscuro te, vt acquiescas precibus meis; Alij, *Retineamus, cogemus te*. Id enim verbum *גָּחַר* *ghatzar*, significat. *Et faciemus tibi hœdum*; Alij, *Vt paremus ante te*. Est Metatepsis, quam optimè explicat Arab. *Donec mactemus, paremus, & offeramus tibi*. *Non comedam panes tuos*; Alij, *Cibos tuos*. Hebr. enim omnis cibus *לַחֶם* *lachim*, hoc est panis dicitur. *Quod est nomen tuum?* Malu *Quis nomen tuum?* Et notat esse concisam orationem, & truncatam, pro quis est tu, & quod nomen tuum? *Honoremus te*. Arab. explicat in quo honor ille consistere debeat, nempe, vt puero nascituro imponatur nomen illius. *Et si sermo tuus fuerit expletus*; Alij, *Quoniam verbum tuum veniat*, pro particula *Enim*, si quam habet **Vulg.** in Hebr. est, hoc est, quando, quoniam, ex quo colligitur Manue non dubitasse. Neque vero si semper dubitationem importat. *Quod est mirabile*; Alij, *Secretum, occultum, arcanum, &c.* Hebr. est *פֶּלִי* *peli*, quod propriè arduum excelsum, excellens, mirificum, significat.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. 15.** **D**ixit itaque. Hic consequenter ponitur oblatio sacrificij: Manue enim credebat eum qui ei loquebatur esse hominem: & ideo voluit ei offerre prandium, dicens.
- Faciamus*. Id est, præparemus tibi ad comedendum.
- Hœdum*. Et per hoc intelliguntur alia in prandio necessaria, vt panis & vinum & similia.
- ESTI V S.** *Et faciamus tibi hœdum de capris*. Id est, paremus tibi epulum honoris causa. Vide similem locum explicatum supra cap. 6. de Gedeone.
- MENOC.** *Et faciamus tibi hœdum de capris*. Coquamus tibi in cibum hœdum paruum ac lactentem, ac propriè adhuc
- B.** matri adhærentem.
- Cui respondit*. Quia cibo non indigebat.
- Si me cogis*. Id est, si velles me cogere, non comederem.
- Si autem*. Id est, illa quæ attulisti ad honorem diuinum incendere.
- Offer illud*. Pro beneficio quod tibi ex parte eius annuntiaui.
- Et nesciebat*. Quia talia non obtulisset ei ad comedendum: sed credebat, quòd esset Propheta à Deo missus, & ideo non peccauit offerendo sacrificium extra locum tabernaculi, de præcepto, vel persuasione illius qui erat nuntius Dei.

LYRAN.
Y. 16.

JIRINVS. *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino.* An ergo licuit Manue homini profano, ut pote de tribu Dan, holocaustum offerre Domino, & offerre extra atrium tabernaculi, in loco profano? Respondeo, cum Abulensi; Deum hic dispensasse in utroque, ut supra cap. 6. cum Gedeone. Dispensationis verò Interpres & nuntius erat Angelus: quem licet Manue etiam tunc ignoraret Angelum esse, credebatur tamen sanctum ac Dei Prophetam esse, cui merito fides habenda esset. Putat probabiliter Serarius hunc Angelum fuisse Michaëlem, & plurimas ob causas quas enumerat, nomen eius (*Quis ut Deus?*) esse admirabile, Chaldaicè, arcanum: & sanè talia sunt omnium Angelorum nomina. Addit Caietanus, Angelum non nomine solo, sed magis re ipsa se hic valde mirabilem exhibuisse, ac proinde vers. 19. ipsum vocari, *Qui facit mirabilia.* Nam primò, Angeli ministerio, inquit Caietanus, & scipionis contactu, inquit Iosephus, erupit è saxo ignis vehemens, & absumpsit hœdum & libamina apposita. Secundò, qui homo putabatur, subito sursum in cælum ascendere visus est. Tertiò, cum voraci flamma ex saxo sursum elata simul in cælum illæsus ascendit. Quartò demum, abiecto quod assumpserat corpore, vel in elementa è quibus illud compegerat, resolutum, intuentium oculis se substraxit. Cur verò hæc omnia? Varias congerit causas Serarius: sed hæc potissima. Ut re ipsa indicaret Angelus, se sacrificium illorum piorum coniugum in cælum quasi secum deferre, ut Deo, cuius vnus honori oblatum fuerat, repræsenteret, Simulque Allegoricè præsignaret Christum, cuius etiam nomen Isaia 9 v. 6. est admirabilis: & non solum offerret ipse sacrificium, sed etiam offerretur ipsemet in sacrificium tum cruentum in flamma & tormentis crucis: tum incruentum & illæsum in Eucharistia.

MENOC. *Non comedam panes tuos.* Non enim humanis cibis vescuntur Angeli Tob. 12. v. 19. Panum verò nomine, cibi generatim significantur ex consuetudine linguæ Hebr.

LYRAN. *Cur quaris nomen meum.* In Hebr. habetur, quod est

A celatum, vel ignotum. Quod exponunt Hebræi dicentes, quòd nomina Angelorum, qui mittuntur in ministerium, variantur secundum legationes, ad quas mittuntur. Vnde Esa. 6. Angelus, qui missus est ad purgandum labia Esaia cum calculo ardenti, nominatur ibi Seraph: cum tamen non esset de ordine Seraphico. Angeli autem de futuris ad quæ mittendi sunt, non habent præcognitionem, nisi quando Deus reuelat eis: quæ reuelatio fit secundum formam suæ voluntatis. Et idè Angelus dixit nomen suum esse occultum: quia nesciebat ad quid de futuro mittendus erat. Alio modo potest exponi, quia secreta Dei & Angelorum non sunt hominibus reuelanda, nisi quantum Deo placet.

Cur quaris nomen meum, quod est Mirabile? Quære cur ESTIVS? nullum nomen expresse Angelus, sicut alij Angeli alibi, ut Michaël, Gabriel, Raphaël: Respondetur, quia hoc dixit Angelus in persona Dei: cuius nomen est Mirabile, quia natura incomprehensibilis. Etenim id mirabile dicitur, cuius causa ignoratur; quod propriè in solum Deum competit, cuius nulla est causa, sed ipse est causa ceterorum omnium. Simile quid legitur, Deus, vel in eius persona Angelus, respondisse Iacob Gen. cap. 32. Quod autem hic loquatur Angelus ex persona Dei, ex eo perspicitur potest, quod mox subiungitur Manue patrem Samsonis obtulisse sacrificium Domino qui facit mirabilia. Et quod, disparente Angelo, dixit: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Procedebant autem hæc verba ex reuerentia maiestatis diuinæ, non ex diffidentia.

Cur quaris nomen meum quod est Mirabile? alij vertunt, MENCOC? *quod est occultum.* Sanè n̄ mirabile non est nomen Angeli, alioqui dicere debuisset mirabilis, sed est adiectiuum substantiuui nomen: quod præcesserat. Fortassis Angelus hic Michaël fuit, quia rem nuntiavit, quæ ad populi Israëlitiçi commodum, & salutem pertinebat, ipseque Synagogæ protector erat, ut nunc est Ecclesiæ

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 19. 20. & 21.

Vulg. Tulit itaque Manue hœdum de capris, & libamenta, & posuit super petram: offerens Domino, qui facit mirabilia: ipse autem & vxor eius intuebantur.

Pag. Tulit, &c. & oblationem, & obtulit super petram, & miraculum fecit ad faciendum.

Arias. Cepit, &c. & munus, & ascendere fecit, &c. & mirificabat ad faciendum, &c.

Ita Cald.

Caiet. Et miranda ad faciendum.

Figur. Tulit & sacrificium cibarium, & sacrificauit, & mirificè egit.

Isid. Clar. Et mirabiliter fecit Angelus.

Malu. Et arduum faciens ad facere.

Sept. Rom. Et sumpsit, &c. & sacrificium, & discessit ad faciendum.

Reg. Qui mirabilia facit.

Syr. Sumens, &c. & simillam, laudabatque Dominum.

Arab. Parum simillaginis.

Vulg. Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue & vxor eius, proni ceciderunt in terram.

Arias. Et fuit in ascendendo flammam desuper altare.

Sept. Ceciderunt super faciem suam.

Cald. Et fuit in ascendere ad partem cœli.

Arab. Viderunt flammam ignis erumpentem è petra, &c. & corruerunt.

Vulg. Et ultra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse.

Pag. Non addidit ultra, ut conspiceretur.

Sept. Et non apposuit ultra apparere.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET libamenta; Alij, *Munus, Oblationem, &c.* est מנחה *mincha*, de qua voce pluries. Solebat autem omnibus holocaustis mincha, seu accessoria oblatio è vino, farina, oleo, adiungi, & simul cum holocausto libari, vel cremari. *Offerens Domino qui facit mirabilia;* Alij, *Mirabiliter egit Angelus, & mirificabat ad faciendum.* Noster *Vulg.* illud *qui facit mirabilia*, ad Deum refert, ut sit quasi Epitheton. Eodem modo Codex *Reg. Sept. & Basil. et si Rom.* aliter exhibeat, & abscessit ad faciendum, nullo fere sensu, nedum consentiente cum Heb. tamen hunc habere potest. Discessit ab usitato rerum ordine in faciendo. Sed alij illud participium in *hiphil* מפלין *mapli*, ad Angelum referunt, qui perpetravit miraculum supra captum humanum, quique sacerdotis officio fungens, miro modo perfecit sacrificium.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *T* *Vlt.* Id est, liquida, quæ cum carnibus holocaustorum offerri solent, prout habetur num. 15.

Et posuit. Utens ea pro altari.

Offerens Domino. In Hebræo habetur: Offerens Domino & mirabili, vel occulto ad faciendum: quia Manue non erat de genere sacerdotali: & ideo ad eum non pertinet. Tom. I V.

D nebat offerre sacrificium: sed obtulit materiam sacrificij ei qui sibi loquebatur in nomine Dei, qui dixerat nomen suum esse mirabile vel occultum: ut ex illa materia faceret Deo sacrificium, quia propheta loquentes in nomine Domini poterant offerre autoritate eius, sicut & sacerdotes: sicut patet de Elia, 3. Regum 18. Manue autem

I iij



credebat eum, qui sibi apparebat esse prophetam Domini, A erat etiam plus quam propheta, scilicet, Angelus.

MENOC. *Libamenta.* Erant oblationes accessoriarum, & secundarum, cum quibus hostia Domino offerebantur, ut simila, &c. *Posuit super petram.* Quae extemporarij altaris vicem impleuit, quae etiam propterea altare dicitur num. 20. sequenti.

Offerens Domino. Obtulit ad eum modum, quo laici facris non initiati offerre solent, scilicet per sacerdotes; Angelus vero proprie, & immediate Deo sacrificauit.

LYRAN. *Cumque ascenderet flamma.* Ex hoc videtur, quod ex illo lapide processit ignis consumens holocaustum in signum diuinæ acceptationis.

Angelus Domini pariter. Volens ostendere, quod ipse esset verè Dei Angelus ad certificationem verbi eius.

Cumque ascenderet flamma. Quam videtur Angelus è MENOC. petra elicuisse, ut fecerat Angelus, qui Gedeoni apparuit supra cap. 6. v. 21.

Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quo facto significare voluit gratissimum esse sacrificium illud Deo, seque illud in caelum quasi deferre, & seipsum vnà cum holocausto isto dicare, ac quodammodo sacrificare Deo.

Proni ceciderunt in terram. Vel Deum adorantes, eiusque ministrum Angelum cultu aliquo afficientes; vel etiam metu percussi, & conturbati.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 22. ad 25.

Vulg. Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

Cald. Quoniam Angelum Domini vidimus.

Vulg. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura, dixisset.

Pag. Et secundum tempus, non fecisset audire nos talia.

Arias. Non accepisset oblationem & munus.

Malu. Si beneplacitum habuit Iuh ad mori facere nos, non accepit, &c.

Sept. Rom. Si vellet Dominus mortificare nos, non accepisset holocaustoma, & sacrificium.

Reg. Non reuelasset nobis omnia, & sicut tempus.

Cald. Et in opportunitate non audiuit nos in hoc.

Arab. Non accepisset à nobis oleum, & similaginem, ne-

que ostendisset nobis res istas hoc tempore.

Vulg. Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samson. Creuitque puer, & benedixit ei Dominus.

Malu. Grande factus fuit excussus.

Vulg. Cæpitque Spiritus Domini esse cum eò in castris Dan, inter Saraa, & Esthaol.

Pag. Cæpit Dominus roborare eum.

Arias. Per vires agitare eum in castrametatione.

Malu. Et incæpit Spiritus ad percellere eum in Mathane Dan.

Aliqui. Pulsare.

Sept. Simul egredi cum eo in castra.

Reg. Simul ire.

Cald. Et mansit Spiritus fortitudinis ab ante Dominum ad roborandum eum in exercitu Dan.

Syr. Cæpit promouere eum.

Arab. Vegetare.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vidimus Deum; Alij, Angelum: Est enim אלהים *elohim*, quod est nomen vtrique commune. Cæpit Spiritus Domini esse cum eo; Alij, Roborare, agitare, percellere eum, Hebr. est פעטו *pahamo*, פעב *pabam* autem mouere, impellere, agitare significat. Et sensus, quod quasi quibusdam præludijs industria militatis voluerit indicare, tandem in virum præstantem euasurum. Sept. reddiderunt. Egredi cum eo, simul ire, sequuti enim sunt aliam huius vocis פעב *pabam*, significationem. Significat enim etiam vestigium, ut inde verbum sit significans, congregari, simul incedere, seu vestigium ferre. Alij etiam volunt à פעטו *pahamon*, quod est tintinnabulum, significationem habere: hinc est, quod reddidere, incepit Spiritus Dei pulsare eum tanquam cymbalum, id est clara & sonora virtutis specimina, quæ vbique resonarent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **M**orte moriemur, quia vidimus Dominum. Exponatur sicut supra de Gedeone.

MENOC. *Morte moriemur, &c.* Vide dicta supra cap. 8. num. 22.

MENOC. *Si Dominus, &c.* Coniectura mariti timorè lenit, quod probabile non sit Deum illis mortem inferre velle, quibus ad eò fauerit, ut holocaustum de manu eorum accepit signis exhibitis quod sacrificium illud probaret, addita etiam promissione prolis suscipiendæ.

LYRAN. *Peperit itaque.* Hic consequenter describitur natiuitas pueri, & eius educatio, cum dicitur.

Creuitque puer, & benedixit ei Dominus. Conferendo ei donum fortitudinis, & fortè cum hoc, gratiæ gratum facientis, vnde sequitur.

Vocauit nomen eius Samson. Quod nomen Iosephus Fortem interpretatur. S. Hier. Solem seu Solem eius. Alij paruum solem, alij aliter.

Benedixit ei Dominus. Benedictio Domini semper copiam & abundantiam rei alicuius bonæ significat. Benedictus ergo est Samson, & quoad corporis vires, & quo-

ad animi dotes, diuinamque gratiam.

Samson. Id est sol lætitiæ, ut exponit Arias: vel, ut alij, TIRIN. parvus sol. Sicut enim ab isch, id est vir, deriuatur ischon, paruulus vir: ita à schemesch, sole, deducitur schimfon, paruus sol. Hoc nomen dicit S. Chrysostomus puero inditum à Deo; nempe mater admonitu Angeli, vel interna inspiratione didicit, gratum Deo fore si hoc nomine puer vocaretur: præsignabatur enim isto nomine, Israël altissimis inuoluto tenebris peccati, mæroris & seruitutis, ortum iam esse solem, paruulum quidem, sed lætum, qui noua luce omnes recreet, tenebras pellat, omnia viuificet. Vnde & aptè Samson typus est Christi, veri & magni Solis iustitiæ, Malachia 4. v. 2. Ita S. Augustinus, Beda, Arias & Serarius.

Cæpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris. Quia pro tunc illa tribus habitabat in tentoriis.

Cæpit Spiritus Domini esse cum illo. Vide dicta cap. 3. num. 10.

Inter Saraa, & Esthaol. Vide dicta hoc cap. n. 2.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS.

Samson uxorem ducit Philisthæam: leonem dilacerat: in cuius ore postmodum repertu melle, finit ex eo enigma, quod in nuptiis proponit sodalibus. Hi solutionem expiscantur ex uxore Samsonis, qui ansam inde arripit hostilitatis exinceps in Philisthæos exercende.



Descendit ergo Samson in Thamnatha, videntque ibi mulierem de filiabus Philisthiim, 2. ascendit, & nuntiauit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam quæso vt mihi accipiatis uxorem. 3. Cui dixerunt pater & mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis. 4. Parentes autem eius nesciebant quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim, eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israël. 5. Descendit itaque Samson cum patre suo, & matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hœdum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri, & matri noluit indicare. 7. Descenditque, & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis eius. 8. Et post aliquot dies reuertens vt acciperet eam, declinavit vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis. 9. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. 10. Descendit itaque pater eius ad mulierem, & fecit filio suo Samson conuiuium, sic enim iuuenes facere consueuerant. 11. Cum ergo ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta vt essent cum eo. 12. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas: 13. sin autem non potueritis soluere vos dabitur mihi triginta sindones, & eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, vt audiamus. 14. Dixitque eis: De comedente exiit cibus, & de forti egressa est dulcedo, nec potuerunt per tres dies propositionem soluere. 15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, & suade ei vt indicet tibi quid significet problema, quod si facere nolueris, incendemuste, & domum patris tui, an idcirco vocastis nos ad nuptias vt spoliaretis? 16. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, & querebatur dicens: Odisti me, & non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo, & matri nolui dicere: & tibi indicare poterò? 17. Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemque die septimo eum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicauit ciuibus suis. 18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum. Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam. 19. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Acalonem, & percussit ibi triginta viros quorum ablatas vestes dedit iis qui problema soluerant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui: 20. vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius, & prœnubis.

VARIETAS LECTIIONVM. à Vers. I. ad 4.

Vulg. Descendit ergo Samson in Thamnatha, videntque ibi mulierem de filiabus Philisthiim.

Sep. De filiabus alienigenarum.

Syr. Palæstinorum.

Vulg. Ascendit, & nuntiauit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam quæso vt mihi accipiatis uxorem.

Pagn. Nunc accipite eam mihi.

Malu. Viræ, id est in viram.

Vulg. Cui dixerunt pater & mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.

Sep. Rom. Quoniam hæc recta in oculis meis. Reg. vt

Vulg.

Cald. De Philisthæis præputiatis,

Syr. Quia ipsa aridit.

Arab. Nolo aliam præter ipsam, quia eam adamaui, ipsaque est pulchra in oculis meis.

Vulg. Parentes autem eius nesciebant quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim, eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israël.

Malu. Non cognouerunt quod à Ihuu ipsa, quia ipse causam quærens de Philisthiim.

Sep. Rom. Quoniam vindictam ipse quærebat de alienis, &c. alienigenæ dominantes.

Reg. Quoniam ipse requirit retributionem.

Cald. Quod ab ante dominum illud, & quod ad inuentio- nem ille quærens ad contendendum in Philisthæos, & in tempestate illa, &c.

Syr. Vt pœnam exigeret à Philisthæis.

Arab. Exercebant siquidem dominium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE filiabus Philisthim, Alij, De alienigenis. Hos enim passim Sep. appellant ἀλλοφύλους. Quia placuit oculis meis, Alij, Quia recta in oculis meis, Alij, Pulchra, quod pulchrum nobis videtur, placet nobis rectumque iudicamus. Et queret occasionem contra Philisthim, Alij aperiunt, quam occasionem quæreret, scilicet eos affligendi, ab eis pœnas exigendi. Sic Syr. & Arab. Et hanc occasionem quæsiuit, sibi que oblatam à Deo ex matrimonio cum filia Philistina, aucupauit.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ψ. 1.** **D**escendit. Hic consequenter describitur occasio inuasionis Philisthinorum, quæ occasio data est Samsoni ex acceptiore vxoris de Philisthæis: vt patebit in sequentibus. Et idcirco circa hoc primò describitur dictæ vxoris petitio: secundò petitæ desponsatio, ibi: *Descendit itaque*: tertio desponsatæ acceptio, ibi: *Et post aliquot dies*: quartò inuasionis occasio, ibi: *Cum igitur ciues*. Circa primum dicitur: *Descendit*. Villa est Philistinorum ad quam venit Samson, ad videndum festum quod faciebant Philistæi, quibus seruiebant Hebræi sub tributo: propter quod secutè poterant ad loca eorum declinare.
- MENOC.** *In Thamnatha*. Quæ oppidum fuit in tribuum Iuda, Dan, & Ephraim confinio, versus mare Mediterraneum, in via inter Ptolemaidem, & Gazam, cuius mentio Gen. 38. Iosué 15. 2. Paral. 28. 1. Mach. 9.
- MENOC.** **ψ. 2.** *Quam queso mihi accipiat vxorem*. Communior sententia Samsonem à peccato liberat, vel quia nolebat vxorem illam ducere, nisi fieret profelyta Iudaicis sacris susceptis: vel quia diuina inspiratione agente illius nuptias affectabat, quæ ratio solidior est, & significatur in textu Num. 4. seq.
- LYRAN.** **ψ. 3.** *Numquid*. Hoc dicebant parentes Samsonis: quia prohibitum est Deut. 7. ne contrahant matrimonia cum alienigenis. Ideo subditur.
- MENOC.** *Numquid non est mulier? &c.* Postulatum Samsonis parentes eius reiiciunt, quia Deut. c. 7. & Exod. 34. lex erat, qua vetabantur omnia Israëlitarum connubia cum Chananæis.
- TIRINVS** *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis*. Hebraicè & Græcè, *quia hæc recta est in oculis meis*. Recta, inquam, ad finem mihi à Deo propositum assequendum: placetque mihi non quoad corporis speciem dumtaxat, sed quoad quæsitam etiam populi mei libertatem, ac rixæ, & vindictæ occasionem. Sciebat enim Samson, seu monitu Angeli, seu interno Dei instinctu, diuinam esse voluntatem, vt hanc ex Philistæis vxorem posceret, vt indicatur v. 4. & explicant S. Ambrosius, Caietanus, Arias, & ex hæreticis Vermilius, Chytræus, & Tremellius. Dispensabat ergo hîc Deus in lege de alienigena non ducenda, neque peccabat Samson alienigenam exposcendo. Parentes tamen non tenebantur primo statim initio fidem habere filio, hoc Deo placitum esse asserenti: sed cum tandem sua constantia, aliisque argumentis plenam parentibus fidem eius rei fecisset, nec iustam ultra haberent ansam de filij vanitate aut falsiloquentia dubitandi, desiderio illius, & diuino nutui obsecuti sunt. Ita Abulensis. Addit Guilielmus Alabaster c. 1. legem illam quæ Iudæorum cum alienigenis nuptias vetabat, mystice per leonem designatam, & à Samson dilaceratam fuisse v. 6. dilaceratam inquam, quoad verba, & mel, id est spiritalem sensum, & fructum inde collegisse.
- A** *Parentes*. Ex hoc autem, quòd scriptura excludit parentes Samsonis tantum ab hac notitia, videtur, quòd Samson cognouerit per reuelationem voluntatem Domini circa hoc: aliter enim peccasset si mulierem alienigenam accepisset vxorem: nisi sciret Domini voluntatem, qui poterat in præcepto dispensare. Sed adhuc videtur, quod parètes eius malè fecerunt illam mulierem petendo pro filio: quia hoc prohibetur Deut. 7. vbi dicitur. *Filiam eius, scilicet alienigenæ, non accipies filio tuo vxorem*. Dicendum quod Samson eis voluntatem Domini reuelauit, licet non sit scriptum. Erant enim deuoti: & idè non est verisimile, quod fecissent contra præceptum Domini: nisi Samson eis dixisset hoc esse de voluntate Domini: & benè debebant ei credere, eo quod fuerat per Angelum annuntiatum, & mirabiliter natus, vt supra dictum est.
- Et quæreret*. Sciebat enim Samson in generali per reuelationem: quod contractus illius matrimonij esset occasio rebellandi Philistæis, licet adhuc ignoraret modum in particulari. Sed queritur, hîc quare ad hoc quærebatur occasio: cum Philistæi habitarent in terra Hebræis promissa: vt patet ex supradiçtis c. 3. De illis habitatoribus præceperat Dominus filiis Israël, quod eos exterminarent sine misericordia: vt habetur Num 33. & Deuteron. 7. propter quod videtur, quod non erat quærenda alia occasio. Dicendum quod propter peccata Hebræorum Dominus permiserat Philistæos ad tempus eis dominari, & inter ipsos erant aliqua pacta iuramento firmata, quod erat licitum Hebræis facere in tali casu, vt dictum fuit Iosué 21. & 23. propter quod non licebat Hebræis Philistæos tunc inuadere absque noua occasione: & 2. Paralip. vlt. c. inter mala Sedechiæ regis, propter quæ fuit captiuatus, & ciuitas destructa, dicitur. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deum, & hoc notatur, cum subditur.
- Eo enim*. Quo dominium erat prædicto modo firmatum.
- Parentes autem eius nesciebant quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthim*. Videri posset quod Dominus diceretur quærare occasionem. Sed ita scriptura non loquitur de Deo, sed referendum est ad Samsonem quod ipse occasionem quærebat. Nempe non ignorabat, quale de se oraculum mater accepisset, nec omnino parentes eum id celare debuerunt. Itaque eo oraculo animatus, quod ipse liberare inciperet populum à iugo Philistinorum, paulatim se præparabat ad heroica facta; occasiones quærens vlciscendi populum suum de Philistæis, idque adeo secretè, vt nulli sua consilia communicaret, sicut ne quidem de lacerato leone parentibus suis voluit indicare.
- Quæreret occasionem*. LXX. habent ἐκδύμων, *vindictam*. **MENOC.**

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 5. & 6.

Vulg. Descendit itaque Samson cum patre suo, & matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei.

Arias. Et ecce catulus lænarum rugiens.

Malu. Et ecce leo iuuenis.

Caiet. Clamans in occursum eius.

Tigur. Catulus leonis adultior.

Sept. Et venit ad vineam.

Reg. Declinavit in vineas.

Arab. En ipse deprehendens ex aduerso sui catulum, &c.

Vulg. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri, & matri noluit indicare.

Pag. Transiit super eum Spiritus Domini, & diuisit eum, vt diuiditur hædus.

Arab. Egredietur super eum Spiritus, &c. & fidit eum, secundum findere hædum.

Caiet. Secundavit super eum.
Vatab. Inuasit eum.
Malu. Perrupit.
Sep. Rom. Infiliiit super eum, &c. & contriuit eum,
Reg. Et dilaceravit eum.

Cald. Mansit super eum Spiritus fortitudinis ab ante Dominum.
Syr. Tum propitius fuit Spiritus Domini.
Arab. Cum nihil haberet in manu sua, nec ensen, nec gladium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Catulus leonis, Alij, *Ecce leo iuuenis leonarum*, Alij, *Adultus*. Hebr. כפיר אריה *cephir arioth*, quod est plurale fœmininum; cephir, aiunt plures, esse leonem iuuenem, seu adolescentem, qui desiit esse catulus. Alij dicunt esse iam adultum, id est integra ætate, firmissimisque viribus. Hinc varia lectio. *Irruit Spiritus Domini*, Alij, *Transiit, prosperè egit, &c.* Hebr. צלח *tsalach*, cui subsunt varia significata, nempe peruasit, perrupit, prosperè egit, secundavit, liberè vim suam exercuit, &c. *Cald.* habet, mansit, quia ad modum rei permanentis ei adhæsit. *Dilaceravit*, Alij, *Fidit*. Heb. est שפס *schasab*, quod est propriè discerpere, & in partes diuidere.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**escendit. Hic describitur prædictæ mulieris desponsio: præmittitur tamen casus accidens in via, cum dicitur.

Apparuit. Scilicet, Samsoni, quasi ad deuorandum eum. Separauerat enim se Samson à parentibus suis pro aliqua necessitate, & tunc occurrit ei leo, ita quod parentes eius non viderunt.

MENOC. *Cum patre suo, &c.* Qui nesciebant quidem initio Dei consilium, & voluntatem, postea tamen vel interiore afflatu, vel externo aliquo indicio facti illius certiores, filij postulatis annuerunt.

Apparuit catulus leonis, &c. Samsoni tamen occurrit leo, quamuis enim iter simul cum parentibus esset ingressus, tamen vel solus præcessit, vel substitit, tuncque leonem obuium habuit, quod textus indicat cum ait, *occurrit ei*, non *eis*, & quæ secuta sunt ostendunt.

LYRAN. **Irruit autem.** Id est Spiritus fortitudinis. Illa enim fortitudo non inerat ei ex complexione, seu virtute naturali: alioquin non recessisset ab eo, quando fuit rasus: ut habetur, infra 16. c. sed erat illa fortitudo quædam gratia gratis data, quæ non semper adest homini, sicut Spiritus prophetiæ non semper aderat prophetis, sed quando expediebat secundum ordinationem diuinam: & hoc modo videtur dicendum de fortitudine Samsonis, propter quod occurrente leone dicitur hîc. *Irruit in eum Spiritus Domi-*

A ni. Id est, motus illius fortitudinis

Nihil. Ad ostendendum, quod non fecit gladio vel baculo.

Irruit autem Spiritus Domini in Samson, &c. Spiritus Domini pro eius donis accipitur; hic autem intelligitur spiritus fortitudinis, cuius duæ sunt partes; fortiter pati, & fortiter agere, sed hic potissimum agitur de posteriori. Acceperat enim Samson fortitudinem, ad fortiter agendum contra hostes populi Israëliti; cuius rei symbolum iam quoddam præmittit in interfectione leonis. Itaque non inerat hæc fortitudo ei ex natua constitutione corporis (nam alioquin non recessisset ab eo, quando fuit detonsus) sed concessa ei erat miraculose à Deo, ita ut, salua naturali conditione corporis, auferri ab eo posset; sicut & postea ad tempus fuit ablata. Vtebatur autem ea fortitudine, quandocumque id iudicabat, incitante Domino expedire, atque ita, non tam de dono fortitudinis, quam de usu eius intelligitur, quando dicitur; *Irruit autem Spiritus Domini in Samson.*

Spiritus Domini. Audaciam, & fortitudinem agens. **MENOC.**

Et hoc patri, & matri noluit indicare. Viri enim fortes minimè sunt iactabundi, nec, quæ patrant facinora, prædicare solent.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 9.

Vulg. Descenditque, & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis eius.

Malu. Et recta fuit in oculis eius. Alij, *ut superius.*

Sep. Et descenderunt, & locuti sunt, &c. & direxit in oculis Samson.

Cald. Descendit & petiuit.

Vulg. Et post aliquot dies reuertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis.

Arias. Et reuersus est à diebus ad accipiendum, & diuertit, &c. & ecce conuentus apum in corpore, &c. & mel.

Sep. Rom. Et diuertit post dies accipere eam, & ecce congregatio apum, &c.

Reg. Rediit post dies.

Cald. Rediit ad tempus dierum, & ecce nidus apum.

Syr. Reuersus ut eam duceret, deflexit ad videndum offuscum cadaver, & ecce examen apum in corpore, &c.

ita ut decurreret mel super manus illius, deflueretque.

Arab. Et ecce in pectore leonis apes, quæ nidificauerant illic, & effluebat mel ex apium nido.

Vulg. Quem cum sumpisset in manibus, comedebat in via; veniensque ad patrem suum & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat.

Pagn. Tulit illud ad manus suas, & fuit cundo, & comedendo.

Malu. Descendere fecit illud ad volas suas, & ambulauit ambulare.

Sep. Rom. Et abstulit illud, &c. & pergens perrexit, &c. quia de ore leonis abstulit mel.

Reg. Sumpsit illud in os suum, &c. quod de corpore leonis assumpserat.

Arab. Non indicauit è cadauere leonis mel effluxisse.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Descenditque & locutus est mulieri. *Sep.* Descenderunt & locuti sunt. Parentes enim eum comitati sunt, ut filio illam elocarent. *Post aliquot dies reuertens*, Alij, *Ad tempus dierum, quo tempore, vel quibus diebus*, non intelligendus annus, quomodo enim per annum integrum potuit cadaver leonis permanere, & ossium illius integra compages? *Ecce examen apum in ore leonis*, Alij, *In corpore, in pectore, in cadauere.* Sed potius credendum est *Vulg.* & *Sep.* habentibus quod in ore leonis erat huiusmodi examen apum: solent enim apes animalium, siue viuorum, siue mortuorum ore delectari: possumus tamen dicere apes reliquum corpus, circumuoluisse, cum os, & caput non videatur totius examinis fuisse capax. *Et fauus mellis*, Alij, *Et mel*, sed rectè noster *Vulg.* Apes enim nisi prius constructis fauis mellificare non solent, neque alibi mel quam intra fauos reponunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**escendit. Scilicet de matrimonio contrahendo: & tunc facta fuerunt sponsalia. Et post. Hic consequenter describitur mulieris desponsatæ acceptio in matrimonium, idè subditur.

MENOC. *Locutus est mulieri.* LXX. in plurali ἐλάλησαν, locuti sunt, Samson scilicet & parentes eius.

LYRAN. **R**euertens. Interponitur tamen casus contingens in via, cum dicitur, *Declinavit.*

Et ecce. Id est congregatio apum. Queritur hic quomodo apes, quæ abhorrent fœrida ibi mellificauerant? Potest dici, quod cum diuersæ sint species: & aliquæ sint rusticanæ, & non abhorreant talia, cuiusmodi erant istæ, vnde & aliquæ mellificant in foraminibus terræ. Sequitur.

ESTIVS. *Et ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mel-*

lis, quem cum sumpisset in manibus. Queritur, an Samson sit transgressus legem, tangens cadaver leonis? nempe quia dicitur Leuit. 11. quod quicumque tetigerit morticinum, immundus erit. Putat Theodoretus q. 50. super 3. Reg. 17. Samsonem quidem transgressum fuisse legem, sed impunè ac citra reprehensionem. Videlicet quod leges illæ ceremoniales non ita obligarent, quin Deus interdum in iis dispensaret.

Examen apum in ore leonis erat. Apes illæ fortassè ex eodem putri leonis cadauere natæ sunt, quemadmodum ex boue nasci certum est: & quamquam apes munditiæ studiosæ sint, & tetrum odorem refugiant, tamen cum ex eo ebullissent, minus mirum, si in eius ore mellificarunt, præsertim si aridum iam erat cranium, & carnis nudatum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 13.

Vulg. Descendit itaque pater eius ad mulierem, & fecit filio suo Samson conuiuium, sic enim iuuenes facere consueuerant.

Arias. Quia sic faciebant electi. *Ita & Malu.*

Sep. Rom. Fecit conuiuium Samson dies septem.

Cald. Descendit pater eius super negotium mulieris.

Arab. Sic enim iuuenes Israëliti conuiuium (scilicet per septem dies) facere consueuerant.

Vulg. Cum ergo ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta vt essent cum eo.

Arias. Et fuit circa videre eos eum, acceperunt 30. socios.

Sep. Triginta vocatos.

Cald. Viros.

Syr. Venerunt 30. viri, & fuerunt eius paranimphi.

Vulg. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas.

Pag. Ænigmaticè nunc loquar vobis ænigma, si indican-

do indicaueritis illud, &c. dabo vobis 30. linteamina, & 30. mutatorias vestes.

Malu. Acuiam euge vobis acumen, si annuntiare annuntiatibus illud mihi, &c. mutationes vestium.

Sep. Rom. Dabo 30. stolas vestimentorum.

Reg. Triginta tunicas vestium.

Cald. Proponam nunc vobis propositionem, &c. dabo 30. lintea, & 30. stolas vestium.

Syr. Triginta paria vestium.

Arab. Proponam vobis summum abstrusum, & de eo vobiscum differam, quod si vos exiricetis quæstionem meam, eumque sermonem interpretemini, quamdiu durabunt septem dies nuptiarum, dabo vobis stolas cum 30. sudariis.

Vulg. Sin autem non potueritis soluere, vos dabit mihi 30. sindones, & eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propon problema, vt audiamus.

Sep. Dabit 30. lintea, & 30. mutatorias stolas vestimentorum.

Alij vt precedente versu.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fecit filio Samson conuiuium, Alij, *Fecit conuiuium Samson septem dies.* Ita enim in Heb. licet quot dies non explicuerit *Vulg.* sed subintelligendi sunt septem, vt videre est v. 12. *Dederunt ei triginta sodales vt essent cum eo.* *Syr.* & *Arab.* rationem referunt, cur ei dati fuerint, scilicet, *vt essent ei paranimphi,* sed aliam profert Iosephus Thamnithæ, quod vires eius suspectas haberent honoris specie, affectatores ex æqualium numero inueni adhibent: iustos obseruare, ne quid auderet. *Proponam vobis problema,* Alij, *Ænigma Acuiam vobis acumen.* Heb. *חמ חבד,* quod est acuerere, acuminare, id est, acutè dicere, loqui, proponere ænigma, seu problema, quæ vox generatim significat quicquid in disceptationem, & quæstionem vocatur. *Triginta sindones,* Alij, *Linteamina.* Quibus totum corpus contegitur. *Et totidem tunicas,* Alij, *Mutatorias vestes,* vel per hypallagen, mutationes vestium, hoc est vestes nouas quæ cum veteribus commutentur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**escendit. Quia locus vbi manebat mulier, erat demissior, quam locus vbi manebat pater Samsonis.

Et fecit filio. Pro celebratione nuptiarum secundum consuetudinem illius terræ.

MENOC. *Descendit pater eius ad mulierem.* Cur solus ad sponsam descendisse dicatur pater, putat Arias causam fuisse quod ante conuiuium paratum, viri, sponfarum domos frequentare non solerent. Abulensis putat, patrem tanquam præcipuum nominari, sed cum eo etiam Samsonis matrem descendisse.

Sic enim iuuenes facere consueuerant. Pater conuiuium instruxerat, hic tamen quasi illius auctor exprimitur Samson, quia illius causa, & nomine, à patre paratum est.

LYRAN. **Cum.** Hic consequenter describitur rebellionis occasio duplex: secunda ponitur in principio 15. c. Circa primum dicitur. *Cum ergo.* Scilicet magnum & robustum.

Dederunt. Vt si Samson vellet aliquid agere contra eos, isti resisterent ei, tamen fuerunt ei assignati sub specie so-

cietatis, & honoris nuptiarum.

Dederunt ei triginta sodales, qui essent cum eo. Hi socij in scripturis vocantur aliquando amici, vel etiam filij sponsi, Matth. 9. 15. Marc. 2. 19. Ioan. 3. 29. Interpres noster hoc cap. Num. 20. vocat pronubos quos Iosephus dixit *νυμφοὶ ὄμνυς,* & *ἐπίθεοις.* Hi ergo socij sponsis iungebantur, vt nuptiarum lætitiā excitarent, illisque adessent honoris causa.

Quibus locutus. Vt inde inter ipsos oriretur contentio, seu quæstio.

Proponam. Id est verbum dubium, & occultum, quod Gallicè dicitur *deninaille.*

Dabo. Id est lineas vestes.

Problema. Ænigma, gyphum.

Intra septem dies conuiuij. Septem enim diebus, hoc est, hebdomada vna, nuptiæ celebrabantur, hæc est hebdomada illa dierum, qua Lix nuptiæ celebratæ sunt Gen. 20. 27.

Triginta sindones. Singulis nimirum vnam.
Totidem tunicas. In Hebræo est *mutationes vestium*, siue per hypallagen, *vestes mutationum*, siue *mutatorias*. De vestibus mutatoriis dixi in æconomicis lib. 2. c. 17. n. 2. eas esse, quas apud se habere solent nobiles viri, & ele-

A gantioris cultus studiosi, quas subinde mutant cum aliis communioribus, ne sordes contrahant.

Propone problema, &c. Quasi dicant, accipimus conditionem, propone ænigma. MENO C. 8. 13.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 14. & 15.

Vulg. Dixitque eis: De comedente exiit cibus, & de forti egressa est dulcedo, nec potuerunt pet tres dies propositum soluere.

Pagn. Non potuerunt indicare ænigma.

Malu. De comedente exiit comestio, & de obfirmato exiit dulcoratio.

Sep. Manducabile quod exiit de manducante, & de forti dulce.

Vulg. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad vxorem Samson: Blandire viro tuo, & suade ei vt indicet tibi quid significet problema, quod si facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui, an idcirco vocastis nos ad nuptias vt spoliaretis?

Pag. Suade vt indicet nobis ænigma, ne fortè comburamus te, num vt possideret nos, vocauit nos?

Aras. Seduc virum tuum.

Tigur. Induc maritum tuum, &c. vt ad inopiam nos redigeretis?

Malu. Persuade, & annuntiauit nobis acumen, an ad hæreditare nos, vocasti nos?

Sep. Et factum est in die quarta, decipe nunc, &c. numquid ad extorquendum nos vocastis.

Reg. Die septima, an vt pauperes faciatis?

Cald. Sollicita maritum tuum, &c. num ad periclitandum?

Syr. Die dixerunt, blandire, &c. eiusque hæreditatem possideamus.

Arab. Pellice, vt sciamus responsum quæstionis eius, alioquin interficiemus te, domum patris tui, ignè succendemus, & hæreditatem ipsius acquiramus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET de forti dulcedo. *Syr.* & *Arab.* Et de amaro dulce. Sed omnes alij habent *forti*, sermo enim erat de leone qui est fortissimus, & non amarus: tamen etiam in aliquibus Codicibus Græcis est de amaro. Ita D. Amb. de Elia, & ieiunio, & ita voluerunt reddere quod melius stare videretur antithesis, inter dulce, & amarum, quam inter dulce, & forte. Verum est Heb vocem *טָגָן taghan*, durum, ferreum, intractabile, etiam significare, atque adeo quid immite, cui in saporibus dulce opponitur. Cumque adesset dies septimus, *Alij*, *Dies quartus*. Forte potuerunt post diem, tertium conuenisse vxorem Samsonis, sed die septimo magis presserunt, vt persuaderet marito problema sibi aperite: *Alij* exponunt in die septima non conuiuij, sed hebdomadæ, quæ erat quarta conuiuij, & propositi ænigmati. Sed quo fundamento fundatur responsio, nescio. *Vt indicet tibi*, *Alij*, *Vt indicet nobis*: Ita in Heb. sed sensum expressit *Interp.* Tibi nimirum, vt reueles nobis, vel nobis per te. *Blandire viro tuo*, *Alij*, *Pellice, persuade, seduc*. Vide Conc. v. 27. Gen. 19. *Vt spoliaretis*, *Alij*, *Vt possideretis nos, hæditaretis*. Vox *וַיִּירָשׁוּ* *iarasc*, non tantum possidere, sed etiam depauperare significat: Et hanc secundam significationem sequutus est *Vulg.* *Syr.* autem, & *Arab.* aliud prorsus habent, nempe si non indicet, se expulsiuros eam, & patrem suum à sua hæreditate, eamque possessuros.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 14.

Dixitque. Problema suum.
De comedente. Per hoc obscure proposuit, quod inuenerat mel in cadauere leonis: quia mel est dulce, & leo fortissimus bestiarum: & in illa parte leonis inuenit mel, quod est comestibile, quæ est instrumentum comestionis, scilicet in ore.

ESTIVS.

De comedente exiit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Mysticè referunt quidam non ineptè ad mortem Christi; per quam scilicet ipse nobis attulit salutem. Mors enim instar leonis omnia consumit, ac veluti deuorat. Eadem fortissima est, quia superat omnia, ita vt de ea Cant. 8. accipiatur fortitudinis comparatio, vbi dicitur; *Fortis vt mors dilectio*. Et ecce nihilominus de morte Christi exiit cibus immortalitatis, & dulcedo vitæ beatæ. Vnde & de cruce Saluatoris canit Ecclesia. *Dulce lignum, dulces cla-*

Bnos, dulce pondus sustinet.

Cumque. Non est intelligendum, quod esset dies septimus conuiuij, imò erat quartus, sed vocatus est septimus, quia erat Sabbathum occurrens inter conuiuium nuptiarum. Cætera patent vsque ibi.

Cumque. Tres dies nodi solutionem quæsierant, quomodo ergo dicitur cum adesset dies septimus? Respondeo diem septimum, hic appellari diem Sabbati, ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, & alij, vel *adesset*, significat appropinquaret. Ita idem Abulensis & Anas. Serarius ait Hebræa sic verti posse, & fuit in diebus septem, seu, *intra dies illos septem*. Fortasse tribus diebus solutione quæsitâ, & non inuenta, desperarunt; sed cum adesset dies septimus, subiit consilium de arcano per Samsonis vxorem cognoscendo.

LYRAN.
v. 15.

MENO C.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 16. & 17.

Vulg. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, & que rebatur dicens: Odisti me, & non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo, & matri nolui dicere: & tibi indicare potero?

Pag. Ænigma ænigmaticè locutus es.

Malu. Lachrymata fuit vira Samsonis super eum: acumen acuisi.

Vulg. Septem igitur diebus conuiuij, flebat ante eum, tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicauit ciuibus suis.

Pag. Quia coarctabat eum.

Tigur. Fleuit septem diebus, quibus conuiuium durabat, qui vrsit eum.

Malu. Quia extorsit eum.

Sep. Plorauit ad eum per septem dies quos fuit eis conuiuium, &c. quoniam perturbauerat eum.

Cald. Quoniam molestauit eum.

Syr. Eò quòd anxisset eum, & ipsa retexit popularibus suis.

Arab. Dixit ei ad quæstionem solutionis, molestiam enim facebat ei.

BIBLIA MAXIMA VERSIONVM.
CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Septem diebus conuiuij flebat. *Tigur.* Quibus conuiuium durabat. Sed synechdochicè accipiendi sunt dies illi, pro maiori parte, id est totos quatuor dies conuiuij, vel quòd infra illos dies septem fleuit. *Cum esset ei molesta, Alij, Vrsit eum, coarctauit.* Verbo פָּרַץ תְּצַוֶּק, subsunt hæc significata, nempe angustiis afficere, cogere, promere, extorquere.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **S**eptem. Id est, pro maiori parte septem dierum, quia **A** post tertium illum nuptialis conuiuij diem residui erant, quarto scilicet, quinto, sexto, & septimo. Sic etiam explicat Lyranus, cum ait: *Septem diebus, id est, maiore septem dierum parte.*
V. 17. **S**a quarta die incepit, vt patet ex prædictis.
Tandemque. Hic accipitur dies septima, pro septima die conuiuij, non pro Sabbato.

MENO C. *Septem diebus conuiuij flebat ante eum.* Omnibus qui

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 18. ad ultimum.

Vulg. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitus. *Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam.*
Pag. Non inuenissetis ænigma meum.
Malu. In antequam veniet sol. *Quid dulcoratio de melle, & quid obfirmatum de leone, &c. non inuenistis acumen meum.*
Sept. Rom. Antequam oriretur sol.
Reg. Antequam occideret sol, &c. si non domuissetis vitulam meam.
Cald. Vsq̄ue non intrare solem, nisi inuestigassetis in vxore mea.
Syr. Antequam ingrederetur apparatus, nisi blanditi essetis vitulæ meæ.
Arab. Antequam oblatus cibus, & paratus esset, &c. & quid amarius, & quid fortius leone? nisi pellexissetis.
Aliqui. Nisi rem cum vxore mea habuissetis.
Vulg. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Alcalonem, & percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis qui problema soluerant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui.
Pag. Tulit exuuias eorum, & dedit mutatorias vestes, iis, qui indicauerant ænigma.
Arias. Prosperè egit super eum, &c. cepit vestes nouas,

dedit mutatorias indicatoribus ænigmatis, & iratus est nasus eius.

Tigur. Et incaluit nasus eius.

Malu. Perrupit, &c. accepit extractiones eorum, & dedit mutationes annuntiatoribus acuminis, & exarsit nasus eius.

Sept. Rom. Insuluit in eum, &c. cepit vestimenta eorum, & dedit stolas iis, &c. & indignatus indignatione Samson.

Reg. Cepit tunicas eorum, &c. iratus est ira.

Cald. Mansit super eum spiritus fortitudinis, &c. tulit cinctoria, &c. inualuit indignatio eius

Syr. Prospere agente in eum spiritu Domini.

Arab. Tum affuit illi manus Domini, &c. & ira percussus.

Vulg. Vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius, & pronubis.

Pagn. Fuit autem vxor Samson sodali suo, qui societatem fecerat ei.

Arias. Qui socius fuerat ei.

Malu. Quem sodalizauit sibi.

Sept. Facta est vxor vni amicorum eius, quos dilexit.

Reg. Cohabitauit pronubo suo, qui eam dilexit.

Syr. Vxor vero, &c. quam adamauerat, locata fuit, paranympho illius.

Arab. Facta est vxor Agahelis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

An te solis occubitus. *Sept. Rom.* Antequam oriretur sol. Sed mendosè, cum in Heb. & in aliis Codicibus Græcis, habetur antequam occumberet sol: *Arab.* Oblatus, & paratus esset cibus, scilicet tempore cœnæ, quod fit in solis occasu. *Si non arassetis in vitula mea, Alij, Inuestigassetis in vxore mea: nisi blanditi essetis.* Verbum חָרַץ *charas*, significat excogitare, vestigare, & insuper arare: vnde hic arare ponitur, post vestigare, scrutari, rimari, quia sicut arando aperitur terra tecta, sic rimando aperitur, & inuenitur rei occultæ veritas. Porro Samson vocat vxorem suam vitulam, ob inueniendam ætatem, imprudentiam, & inconstantiam, qui autem legunt: *Nisi rem cum vxore mea habuissetis:* minus benè, licet verbum arandi pro re venerea, aliquoties capiatur, quia non coitu, sed nummis cum ea egerunt. *Quorum ablatas vestes dedit eis, Alij, Accepit extractiones mutatorias, &c.* Heb. est חַבְלֵי צֹוֹת *chabli-zoth*, quam vocem exponunt extractiones, exuuias, ab aliquo detractas. *Accepit maritum vnum de amicis eius, & pronubis, Alij, Qui societatem fecerat ei, &c.* Sanè textus noster hic amicos vocat, & pronubos, quos supra v. 11. appellat sodales. Hic enim alter maritus erat vnus ex illis triginta sodalibus. Neque vero in Heb. alia est hic vox, quam vers. 11. tamen qui dicunt pronubos, & paranymphos, non improprie loquuntur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**t illi dixerunt. Quia si tardassent vsque post occasum, amisissent, quia finita fuisset dies septima, quia dies est latio solis super terram.

Quid dulcius? Intellectus patet ex prædictis.

Si non. Ille qui arat, inuestigat terram inferius. Ita fecerunt isti, qui solutionem quam inuenire non poterant, inuestigauerunt per vxorem Samsonis, quam vocat vitulam propter muliebrem insolentiam.

MENO C. *Si non arassetis in vitula mea.* Locutio adagialis. Illi dicuntur in aliena vitula arare, qui rebus alienis ad suum commodum vtuntur. Vide Serarium hic, & Martin. DelRio Adagial. 168.

Quid dulcius melle? quid fortius leone? Addit ex Ioh. TIRINVS
sepho S. Ambrosius, subiicisse Samsonem, *Quid muliere perfidiosus? Si non arassetis in vitula mea.* Id est, si non inuestigassetis astutia, & dolo explicationem ænigmatis mei ex vxore mea, quæ iuuenili lasciuia, imprudentia, & inconstantia sua secretum vt proderetur effecit; nunquam id affectui fuissetis.

Nota, solere etiam naturaliter apes enasci ex bouum peremptorum cadaueribus, teste Democrito, Magone, & aliis apud Columellam, item Plutarcho, Virgilio, Ouidio, & Eusebio, quid ni potuerint, & ex leonis cadauere subnasci? maximè si dicamus, vim diuinam concurrisse,

riffe, ad materiam mysterio subministrandam? Allegoricè enim S. Augustinus per mortuum leonem intelligit Christum mortuum, è quo & examen apum, seu Christianorum, & nobilissimum redemptionis humanæ, & dulcissimum Eucharistiæ mel prægnatum est.

LYRAN. *Irruit.* In vindictam iniuriæ sibi factæ. Tum quia problema per seipsum soluere debebant, non per aliam personam, ut patet ex modo loquendi supradictò, ubi dicitur. *Quod si solueritis mihi, &c.* Tum quia per metum mortis incussum vxori suæ, & amicis eius, solutionem inquisierant.

Iratuſque. Contra Philistæos, & vxorem suam, eò B quod reuelauerat secretum suum.

Ascendit in domum, &c. Ab vxore ad tempus discedendo.

MENOC. *Descendit Aſcalonem.* Est vrbs Philisthinorum, cuius mentio non infrequens in sacris literis.

Percussit triginta viros. Videtur in vrbe potius ipsa palam, & aperte occidisse, quam in agro, aut in via more latronum insidiantium: nec diuersis vicibus singulos aut pauculos, sed simul omnes, nam roboris adeo magni specimen non fuisset singulos interimere.

Allatas vestes dedit eis. Sindonis, & tunicæ propositum

A fuerat victoribus præmium, sed iam tantum tunicas dedisse videtur Samson, quod etiam clarè habetur ex textu Hebraico: *Et accipite*, inquit, *Samson spolia, seu exuvias, & dedit mutationes eis, qui explicarant anigma.* Respondeo per tunicas intelligi etiam sindones per Synecdochem; vel certè Samsonem detraxisse iis alterum, quia non suo marre, & ingenio anigma euoluerant.

Iratuſ nimis Samson. Nimirum & vxori suæ, à qua nefariè proditus: & sodalibus, à quibus vafre circumuentus fuerat: & ciuitati toti, à qua prætextu honoris fuerant ei dati tales nuptiarum socij, & tam egregij simplices: sic enim tales vocat Fulgentius, fortè à *συμπλην, circumcurre*, quod cum sponso mensas, & conuiuia toto nuptiarum tempore simul obirent. Hos Scriptura nunc amicos, nunc filios sponsi, nunc filios nuptiarum vocat, & Arias dicit, *Toto nuptiarum tempore ab omni publico onere, atque etiam ab indicto ieiunio immunes fuisse,* & Christum huc alluisse cum Matth. 9. dicit. *Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?* Et sunt isti idem quos v. seq. Noster vocat pronubos.

Allegoricè verus Samson Christus propter perfidiam iratus Synagogæ, merito illam deseruit.

Vnum de pronubis. Vide dicta hoc cap. Num. II.

TIRINVS

MENOC.

V. 20.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS.

TRecentis vulpibus, & faculis Samson Philistæorum segetes succendit. Ligatus dum traditur Philistæis, fractis funibus sola asini maxilla mille viros prosternit in loco. Siti enecto dens maxillæ copiosam aquam subministrat.

1. **P**ost aliquantulum autem temporis, cum dies triticæ messis instarent, venit Samson, inuisere volens vxorem suam, & attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum eius solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens. 2. Putaui quod odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ iunior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea vxor. 3. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos: faciam enim vobis mala. 4. Perrexitque & cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio: 5. Quas igne succendens, dimisit ut huc, illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, & comportatæ iam fruges, & adhuc stantes in stipula, concrematae sunt, in tantum, ut vineas quoque, & oliueta flamma consumeret. 6. Dixeruntque Philisthiim: *Quis fecit hanc rem?* Quibus dictum est: Samson gener Tamnathæi: quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim: & combusserunt tam mulierem quam patrem eius. 7. Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expectam ultionem, & tunc quiescam. 8. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitauit in spelunca petrae Etam. 9. Igitur ascendentes Philisthiim in terram Iuda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de tribu Iuda: *Cur ascendistis aduersum nos?* Qui responderunt: ut ligemus Samson, venimus, & reddamus ei quæ in nos operatus est. 11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Iuda, ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: *Nescis quod Philisthiim imperent nobis?* Quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: *Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.* 12. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson, iurate, ait, & spondete mihi, quod non occidatis me. 13. Dixerunt: Non te occidemus, sed victum trademus. Ligaueruntque eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. 14. Qui cum venisset ad locum maxillæ, & Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta. 15. Inuentamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros. 16. & ait: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, deleui eos, & percussi mille viros.* 17. Cumque hæc verba canens compleisset, proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ. 18. Sitiensque valde, clamauit ad Dominum, & ait: *Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam: en siti morior! incidamque in manus incircumcisorum.* 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillauit spiritum, & vires rece-

pit. Idcirco appellatum est nomen loci illius. Fons inuocantis de maxilla, vsque in præsentem diem, 20. Iudicauitque Israël in diebus Philisthiim viginti annis.

VARIETAS LECTIIONVM. à *Verf. 1. ad 3.*

Vulg. Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, inuisere volens vxorem suam, & attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum eius solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens.
Pag. Et fuit post dies aliquot à diebus, &c. edixitque, ingrediar ad vxorem meam.
Arias. Et non dedit pater eius eum ad intrandum.
Malu. In diebus decurtationis triticorum; &c. visitauit in hædo caprarum, veniam ad viram meam in penetrabile.
Sep. Rom. Intrabo ad vxorem meam, & in cubiculum.
Cald. Meminit Samson vxoris suæ in hædo filio caprarum, intrabo, &c. ad atrium cubationis domus.
Syr. Vadam ad vxorem meam in conclaue.
Arab. In domicilium eius.
Vulg. Putaui quod odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ iunior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea vxor.

Pag. Dixi quod odiendo odio haberes eam.
Malu. An non soror eius parua bona de ab ea! erit tibi obsecro.
Sep. Nonne soror eius iunior, melior super eam?
Cald. Erit nunc tibi commutatio eius.
Syr. Tradidi eam paranimpho tuo.
Arab. Matrimonio coniunxi eam cum Agabele.
Vulg. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos: faciam enim vobis mala.
Pagn. Innocens sum semel à Philistæis, si fecero cum eis malum.
Tigur. Innocentior sum semel Philistinis, vt' eis malum inferam.
Malu. Vacuatus fui ictu de Philistim.
Septuag. Innocens factus sum etiam semel ab alienigenis.
Arab. Innoxius factus sum, &c. quoniam iniuria me affecerint.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cumque cubiculum eius solito vellet intrare, Alij, Veniam ad viram meam in penetrabile, &c. In Hebr. nulla est dictio, quæ isti voci solito respondeat. Pulchrior illa, Alij, Melior. טובה tonah significat, & pulchram & bonam. Bonam autem dicit, scilicet in forma, quia sorore speciosior erat. Non erit culpa in me, Alij, Innocens sum, Malu. Vacuatus, quæ sic explicat in margine, id est liber, purus, immunis, insons, extra culpam & pœnam.

ANNOTATIONES.

- LYR. AN. V. 1.** **P**ost aliquantulum. Hic consequenter ponitur secunda occasio eorum, quod fuit prohibitus ab vxore sua, & hoc est quod dicitur.
Cumque cubiculum eius. Id est modo, & affectu maritali.
Prohibuit. In hoc facta fuit Samson iniuria, quia non repudiauerat vxorem, sed tantum ad horam recesserat ab ea, quod erat sibi licitum: & ideo facta fuit sibi iniuria, eo quod sine scitu, & requisitione eius, alteri fuit data, & ideo dixit.
- MEN OC.** *Cumque cubiculum eius solito vellet intrare, prohibuit, &c.* Iam Samsonis deferbuerat ira, pristinusque efferebat amor.
- MEN OC. V. 2.** *Tradidi illam amico tuo.* Pronubo illi, de quo extremo capite superiore. Nulla erat fœderi Samsonis excusatio, quia licet eo tempore repudium permitteretur, non tamen fas erat vxoribus libellum repudij viris dare, sed è contra. Quamuis autem Samson iratus vxorem reliquerat, adhuc tamen quærendum ab eo fuerat, eamne repudiare vellet, faceretque potestatem ad alias nuptias transeundi.
Sed habet sororem, &c. Videbat fœderi Samsonis se generum suum iniuria affecisse, ac propterea sollicitè illum placatum sibi reddere studet, alterius filia nuptiis oblati.
- A** *Ab hac.* Inuadendo, scilicet, eos propter infidelitates, & iniurias mihi factas, & maximè, quia dixerat Angelus de eo: *Ipsè incipiet liberare Israël de manu Philistinorum,* vt habetur supra cap. 13.
Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos: faciam enim vobis mala. Posset videri Samsonem vltum esse priuatas suas iniurias, sicut & infra v. 7. dicit: *Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis petam vltionem, & tunc quiescam:* tamen reuera publicam magis spectabat vindictam, sicut sciebat de se oraculo diuino dictum esse: *Ipsè incipiet liberare Israël de manu Philistinorum,* sup. cap. 13. Vnde & dicitur cap. præced. irruisse super eum Spiritum Domini. Nolebat autem Samson apertum bellum Philistæis indicere, quia non sentiebat se ad hoc à Deo moueri: imò sciebat Deum tantum de illo prædixisse; (*ipsè incipiet liberare.*) Itaque, velut per cuniculos, sub prætextu priuatæ iniuriæ publicam iniuriam tantisper vindicabat, vt metu ipsius, Philistæi non nimium in Israëlitas audent sæuire. Quod autem v. 7. dicit; *Et tunc quiescam,* intelligendum est, nisi scilicet iterum mihi detis occasionem.
Ab hac die, &c. Non accipit conditionem Samson, cum suam vxorem ei, quæ offerebatur, post habere neque vellet, neque posset. Leuit. 18. 18. vide ibi notata.

VARIETAS LECTIIONVM. *Verf. 4. 5. 6.*

Vulg. Perrexitque, & cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio.
Pagn. Et accepit faces, & vertit caudam ad caudam, & posuit facem vnam inter duas caudas in medio.
Arias. Accepit titiones, &c. posuit titionem vnum.
Malu. Accepit lampades, & aspicere fecit caudam ad caudam.
Sep. Rom. Conuertit caudam, &c.
Reg. Posuit facem vnam, &c.

Cald. Tulit torres, & ligauit caudam in capite caudæ, & ligauit torrem.
Vulg. Quas igne succendens, dimisit vt huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis, & comportatæ iam fruges, & adhuc stantes in stipula, concrematae sunt, in tantum, vt vineas quoque, & oliueta flamma consumeret.
Pag. Succendit ab aceruo vsque ad segetem, vsque ad vineas, & oleas.
Arias. Succendit ignem in titionibus.

Malu. Ardere fecit ignem in lampadibus, & ardere fecit de aceruo, & vsque ad stantem segetem.

Sept. Accendit ignem in lampadibus, & emisit in spicas alienigenarum, & arserunt ab area, & vsque ad spicas rectas.

Reg. Misit in manipulos Philistinorum, combussit spicas, & antemessa, ab herba vsque ad stans.

Arab. Ita vt nec acerui, nec seges stans remanserit, quæ non fuerit exusta.

Vulg. Dixeruntque Philistiim: Quis fecit hanc rem? Qui-

bus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philistiim: & combusserunt tam mulierem, quam patrem eius.

Sep. Gener Thamni.

Reg. vt Vulg.

Cald. Gener Thimnæi.

Syr. Thamnami.

Arab. Tamini.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Caudasque earum iunxit ad caudas, Alij, *Conuertit caudam ad caudam.* Quod ita intelligendum, vt Samson binas semper vulpes, obuertis earum caudis, colligaret, quandoquidem mox in Hebr. & Sept. subdatur, Samsonem posuisse vnam facem inter duas caudas. *Et faces ligauit in medio.* Alij, *Torres, titiones.* Hebr. est לפרים *lappidim*, quæ vox significat quicquid ita accendi, ardereue potest, vt flammam diutius alat. *Et comportata iam fruges,* Alij, *Et adhuc stantes in stipula,* sed quilibet Codex Sept. aliquid amplius habet. Rom. enim exussisse etiam segetes, quæ in aream comportatæ: Reg. autem indicat non tantum maturas spicas, sed etiam, quæ adhuc in herba, arsisse.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**errexitque. Habita iusta occasione nocendi Philistæis, vt patet ex prædictis: hic consequenter describitur eorum inuasio, & debellatio: & primo in eorum bonis, secundo in personis, ibi: *Quibus ait Samson.* Circa primum dicitur. *Perrexitque.* Licet esset multum fortis & agilis; tamen verisimile est, quod ceperit eas auxilio aliquorum, in illa enim terra abundant vulpes, & cum retribus, & ingeniis possent cito capi in tanta multitudine: sicut in terra ista in vna garena possunt cito capi trecenti cuniculi: maximè per homines ad hoc ingeniosos.

Caudasque. Quod est intelligendum, quod per aliqua ligamina ad hoc apta ligauit caudas duorum ad inuicem: & ligamina erant ita longa, quod in medio poterant ligari faces ardentes, quæ de facili non possent extingui: nec læderent vulpes.

MENOC. *Cepit trecentas vulpes.* Abundat vulpibus Iudæa, & Palæstina, vt colligitur ex illo Cantic. 2. 15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas,* & Thren. 5. 18. *Mons Sion disperit, vulpes ambulauerunt in eo.* Nec solus cepit Samson, sed in eis capiendis aliorum fortasse opera vltus est, & Dominus etiam in eius retia vulpium multitudinem impulit, vt quod mente agitabat, posset efficere.

Caudasque earum iunxit ad caudas. Binas, & binas simul emittebat, itaque fuerunt paria 150.

Et faces ligauit in medio. Ad caudas, seu in medio funium, qui è caudis propendebant, ac trahebantur longius, faces alligabantur. Faces siue tædæ, aut titiones ex lignis fortasse resiniferis fuerunt, quæ in vulpium cursu ardere, ignemque tueri possent.

TIRINVS *Cepit trecentas vulpes.* Et facillè fuit, in regione vulpium feracissima, tempore anni commodissimo, a iuvene robustissimo, & venandi peritissimo, iunctis sociorum operis, vno alteroue die trecentas capere vulpes. Si potuit Iulius Cæsar Romæ in spectaculum dare leones quadringentos, Pompeius sexcentos: Probus Imperator mille struthiones, mille damas, mille ceruos, mille apros, mille ibices, mille oues feras, tot vrsos, tot leones, leonæ, leopardos Libyicos, Syriacos, & tot alia monstra. Si ad vnius monstri Heliogabali monstrosas delicias ex vna vrbe Roma breuissimo tempore colligi potuerunt decem millia pondo araneorum, & muscarum, decem millia murum, mille mustelæ, mille forices, teste Lampridio, Plinio, & Vopisco; difficillè fuerit Samsoni cogere trecentas vulpes?

Et faces ligauit in medio. Heb. *Respicere fecit,* id est obuertit, *caudam ad caudam, & inter duas caudas facem vnam posuit,* seu funibus alligauit. Binas ergo, & binas

A iunxit vulpes suas Samson, & ignitis titionibus piccis, cedrinis vel cupressinis armatas, ex opportunis hinc inde locis immisit in segetes iam maturas Philistinorum: & hoc stratagemate penè totam illius anni messem cõsumpsit vnà cum vinetis & oluetis. Vna vulpecula Carseolana, si Ouidio credimus, errore puerili paleaceo igne segetibus illato, integros agros iam ad messem albos exussit; quid tot vulpium paria tot titionibus armata fecisse putamus? Videntur vero Philistæi in execrationem tanti facinoris, non solum in sponsam Samsonis adulteram, eiusque parentes igne sæuissè, vt hoc capite narratur: sed etiam in vulpes ipsas exinceps quotannis animaduertisse, & ardentes faces tergis illarum adligasse, cum risu, & sannis totius populi, donec, post multam in circo cursitationem facibus iisdem præustæ conciderent. Et hunc eundem morem Romæ quoque in Aprili seruari solitum, Serarius non ab illa Carseolana, vt vult Ouidius, sed ab his Samsonis vulpibus ortum traxisse putat, atque ex Oriente (vt pleraque alia) in Occidentem, è Palæstina Romam translatum fuisse.

Tropologicè Sanctis Ambrosio & Augustino, vulpes sunt fraudes hæreticorum: qui blanda facie promittunt salutem, sed caudis suis ignem æternum secum trahunt.

Quæ statim. Eò enim, quod ligatæ erant modo prædicto, non poterant currere ordinatè, & expedite ad occultandum se in nemoribus vel foueis terræ, sed cucurrerunt ad illud, quod erat magis in promptu, scilicet, ad segetes stantes: quæ erant desiccata, & propinqua mesioni: quod patet ex hoc, quod aliquæ iam erant collectæ: vnde subditur.

Et comportata. Non ad domos, sed in campis: vbi per aliquod tempus dimittebantur in magnis aceruis: sicut fit in multis terris. Cætera patent in littera.

Quas igne succendens. Postquam scilicet alligauerat.

Dimisit. Non omnes simul, nec ex eodem loco.

Dixeruntque Philistiim, &c. Quia dicitur generatim Philistiim hæc interrogasse, & pro nomine proprio socii Samsonis, Thamnathæus dicitur; videtur incendium latè fustum, & non tantum Thamnatham, sed alias etiam circumiectas regiones populatum esse.

Ita vt stupentes suram femori imponerent. Solent enim homines meditantibus, & lassè suram vnius cruris alteri femori sedentes imponere, qui habitus est pro mœtore stupentium. Plures huius loci ex Hebræo versiones, & explicationes, vide apud Serarium hic quæst. 10. & apud Martin. Del Rio Adag. 164.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 7. & 8.*

Vulg. Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, & tunc quiescam.

Pag. Numquid facietis sicut hoc? Verè vindicabo me de vobis, & postea cessabo.

Arius. Si facietis sicut hoc, quin imo vindicaui me in vobis.

Malu. Quia si vindicatus fui in vobis.

Caiet. Quia si facietis sicut istam, quia si iudicaui in vos, & postea cessabo.

Sep. Rom. Si feceritis sic hanc, quin imo vlciscar in vobis.

Reg. Si facietis sic, non acquiescam, sed ultionem meam ab vno quoque vestrum faciam.

Cald. Cum vltus fuero de vobis, & post sic cohibebor.

Arab. Donec animo meo factum sit satis, ex tunc contraham me à vobis.

Vulg. Percussitque eos ingenti plaga, ita vt stupentes su-

ram femori imponent. Et descendens habitauit in spelunca petra Etam.

Pagn. Percussit eos coxa super femur plaga magna.

Caiet. Eos tibia super coxam percussione magna.

Tigur. Ab armo ad femur cade magna.

Malu. Habitauit in prominentia rupis Ghetan.

Sep. Rom. Percussit eos tibia super femur plagam magnam, & sedit in spelunca.

Cald. Et percussit eos equites super pedites percussione magna.

Syr. Infixit eis plagam à cruribus eorum, vsque ad femur eorum, plagam, inquam, acerrimam, & abiens habitauit in Sahagh, quæ est in rupe Armin.

Arab. Et captis multis hominibus ex eis cæcidit eos, super cruribus, à pedibus vsque ad coxas eorum, & quidem atrociter cæcidit illos, &c. quæ sita est, in ingenti monte Armin.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, Alij, Si facietis secundum hoc, vel secundum hanc rem, quia si vindicaui me in vobis, &c. Sanè nihil clarius versione nostri Interpretis, nihil autem obscurius aliorum lectionibus. Vt enim intelligantur, multa sunt intelligenda, & his subintellectis, adhuc tot sensus, quot capita vertentium. Obscuritas autem sententiæ oritur ex particulis illis *im*, quod ferè valet *si*, & *tamen*, Interpres, *licet*: & *כי* *כי*, quod idem Interpres vertit, *tamen*, & alij, *quia*, *si*, *quin imo*.

Ita vt stupentes suram femori imponent, Alij, *Percussit eos coxa super femur plaga magna, ab armo ad femur cade magna*. Sanè eorum versio obscurissima, & eorum Interpretatio varia, sed nostri Interp. clarissima; nam sensus illius est quod obuios quosque passim feriens, sternebat, & macetabat, ita vt stupentes suram femori imponent, quod intensæ, & anxie cogitationis signum est; tunc enim quasi stupentes solem suram pedis vnus alteri femori imponere. Alij autem volunt, quod in cruribus, simul, & femoribus percussit. Alij, quod pedites simul, & equites occiderit, per coxam pedites, quia ipsi coxa, furæ, aut cruri, nituntur, intelligentes: femoribus autem equites, quia his, equo insident, sed quis non videt insulam huiusmodi Interpretationem? *Habitauit in spelunca petra*, Alij, *In prominentia rupis*. *הַרְעוּ סֶגְהִיפְהַ* *seghiph*, est cuiuslibet rei progressio, protensio, prominentia, quid excelsum, vel summitas, fastigium, cacumen.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Quibus ait.* Hic consequenter ponitur inuasio in personis, & hæc est duplex: secunda ponitur, ibi: *Igitur ascendentes*. Circa primum dicitur.

Licer. Hoc dixit Samson. Tum quia Philistæi non combusserant uxorem eius, & patrem zelo iustitiæ, sed magis commoti passione iræ propter damnum eis illatum. Tum quia occasione prædicta susceptum bellum erat inter Samsonem, & Philistæos apertè: nec tenebatur cessare ab eorum inuasione, maxime cum ad hoc fuisset consecratus ex diuina reuelatione, vt patet ex supradictis.

LYRAN. *Percussitque.* Sura est posterior pars cruris: femur anterior. Modus autem est hominum, qui sunt attoniti, & meditantur imponere suram vnus vnus super femur alterius. Et per hoc designatur, quod Philistæi fuerunt ita stupefacti de plaga eius inflata à Samsonem, quod multum cogitabant qualiter se vindicare possent. In Hebræo autem sic habetur: *Percussit eos plaga magna*. Quod exponunt Hebræi de percussione peditum cum equitibus, quia pedites in bello innituntur tibiis suis, equites vero cruribus.

ESTIVS. *Percussitque eos ingenti plaga, &c.* Iuxta nostram versionem sensus videtur iste: Percussit Samson Philistæos tam ingenti plaga, vt ipsi præ stupore, & admiratione suram imponent femori; suram, inquam, vnus tibiæ femori alterius: sicut solent sedere, qui vehementer de re aliqua admirantur. Hanc interpretationem sequitur, etiam Augustinus in quæst. Sed sciendum, nec in Heb. nec apud Sep. esse illas duas voces (*stupentes*) & (*imponent*) quas Interpres noster adiecit, vt certum sensum redderet. Heb. est. *Percussit eos tibia super femur: vel tibia cum femore*. Quæ locutio admodum obscura est, Cald. Paraphrasis ha-

bet hoc modo: *Percussit eos tam pedites, quam equites*, nempe alludens, quia in bello pedites nituntur tibiis, equites vero insident femori, Alij hunc sensum reddunt: Percussit eos tam in cruribus, seu tibiis, quam in femoribus, id est, vehementer, & acriter. Alij non ad Philistæos referunt, illud (*tibia*) sed ad Samsonem, vt sensus sit, quod non alio instrumento vsus sit, adeos ferendos, quam calcibus suis, & tibiis eos proterendo. Et secundum illos, sensus est verborum illorum ex Hebræo: *Percussit eos tibia super femur*, id est, percussit eos, non gladio, aut fuste, aut telo quocumque, sed calcibus suis, & tibiis impexit in eorum femora, & sic prostrauit.

In spelunca petra Etam. Etam vel nomen est loci, vel viri, cuius mentio est i. Paral. 4. 32. à quo petra illa sic dicta sit. Eam aliqui collocant in tribu Simeon ad torrentem Sorec; alij, vt Iosephus, in tribu Iuda. Sed hæc sententiæ fortassè non discordant, nam ex cap. 19. Iosué constat tribum Simeonis in Iudææ tribus partem admissam fuisse, vide ibi dicta.

Percussit eos ingenti plaga. Nempe insidiabatur Philistæis quocumque poterat loco, iruebatque in obuios quantumcumque multos, & prosternebat, & ingulabat omnes promiscuè: *Ita vt stupentes suram femori imponent*. Quod intensæ, & anxie cogitationis signum est. Cumque cernerent Philistæi se quantumcumque multos vni Samsoni prauale non posse, collecto maximo exercitu, tribum Iuda aggrediuntur, quod eò diuertisset Samson, nimirum ad petram, seu rupem vicinam vrbi Etam, quæ erat in tribu Iuda, quam postea Roboam nouis ædificiis ac propugnaculis auxit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. ad 13.

Vulg. Igitur ascendentes Philistiim in terram Iuda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, vbi eorum effusus est exercitus.

Pag. Et extenderunt se in Lechi.

Malu. Et defederunt in Iehudah, & dimissi fuerunt in Lechi.

Sep. Ascenderunt alienigenæ, & dispersi sunt, &c.

Cald. Expansi sunt super Lechi.

Arab. Perrexerunt contra Iudam, & castra posuerunt contra eam.

Vulg. Dixeruntque ad eos de tribu Iuda: Cur ascendistis aduersum nos? Qui responderunt: Vt ligemus Sanson, venimus, & reddamus ei quæ in nos operatus est.

Pag. Vt faciamus ei, quemadmodum fecit nobis.

Sep. Dixerunt viri Iuda, &c. & dixerunt alienigenæ.

Vulg. Descenderunt ergo tria millia virorum de Iuda, ad specum filicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philistiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.

Malu. Descenderunt ad prominentiam rupis.

Syr. Descenderunt ad Sahah, quæ est in rupe Hatonin.

Arab. Quæ est in maximo monte Atinin.

Vulg. Ligare, inquit, te venimus, & tradere in manus Philistinorum. Quibus Samson, Iurate, ait, & spondete mihi quod non occidatis me.

Malu. Iuramento obstringimini mihi, nequando incuructis in me vos.

Pag. Ne fortè contingatis me vos.

Sep. Et morte non mortificabimus te.

Cald. Fortè dominamini in me vos.

Syr. Iurate vos non me læuros.

Arab. Quod non damnum inferetis.

Vulg. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaueruntque eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.

Malu. Ligauerunt eum rudentibus nouis, & ascendere fecerunt eum de rupe.

Sept. Eduxerunt illum de rupe illa.

Cald. Adduxerunt eum de rupe.

Syr. Ligauerunt duabus catenis nouis.

Arab. Ferreis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN loco qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla. Vbi eorum fusus est exercitus. Alij, *Extenderunt se in Lechi.* Et ita cætera, quæ habet *Vulg.* addita sunt explicationis gratiâ, vt intelligeretur quid Lechi esset: significat enim maxillam. *Iurate, & spondete, quod non occidatis me,* Alij, *Quod non irruetis in me, quod non damnum inferatis.* Sed hi licet videantur minus dicere, tamen loquuntur de damno vltimo, quod per mortem inferitur. *Ligauerunt duobus nouis funibus.* Aliquid amplius habent *Syr.* & *Arab.* scilicet quod ligauerunt duabus catenis ferreis, sed alij solum funibus vinctos assentunt. *Et tulerunt eum de petra.* Benè alij, *Eduxerunt, adduxerunt.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 9.* **I**gitur ascendentes. Hic ponitur secunda percussio Philistinorum, vbi primò ponitur huius percussio occasio, secundò ipsa percussio, ibi: *Qui cum venisset,* tertio gratiarum actio, ibi: *In maxilla asini.* Occasio autem data Samsoni fuit, eo quod propter eum volebant inuadere totum populum Israël, & hoc est quod dicitur: *Igitur ascendentes.* Et tamen Samson non erat de tribu illa, sed de tribu Dan, vt patet ex supradictis cap. 13.

Castrametati sunt. Hoc dicitur per diminutionem, quia locus ille vocatus est postea Rhamathlechi, vt habetur eodem cap. sicut aliquando aliquis vocatur Minus pro Iacominus.

Vbi eorum. Hoc dicitur ad denotandum magnitudinem exercitus eorum, quia occupabat magnum terræ spatium.

LYRAN. *Y. 10.* *Cur ascendisti.* Quasi diceret, tributum vobis reddimus, nec rebellamus: & ideo non habetis occasionem inuaden-

A di nos.

Qui responderunt. Licet enim venirent principaliter propter Samsonem: tamen occasione ipsius veniebant contra totum populum, nisi traderetur in manibus eorum: quod fuit eis concessum, Ideo subditur.

Descenderunt. Ad capiendum Samsonem, & tradendum Philistæis, secundum quod fuerat inter eos conductum.

Iurate. Volebant enim satisfacere Israëlitis, & sic agere, quod non interficerentur à Philistæis, nec ab ipso eis resistendo, vt haberet occasionem iustam occidendi Philistæos, qui veniebant ad eum interficiendum.

Ligauerunt duobus nouis funibus. Vox Hebraica ערות *hamoth,* non qualescumque funes significat, sed benè complicatos, quos Italicè dicimus. *Fune rinforzata.* LXX. appellant *κλώδια rudentes,* qui sunt nautici funes valde crassi.

LYRAN.

Y. II.

LYRAN.

Y. 12.

MENOC.

Y. 13.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 14. & 15.

Vulg. Qui cum venisset ad locum maxillæ, & Philistiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt & soluta.

Pag. Ipse venit vsque ad Lechi, venit super eum, &c. & fuerunt funes qui erant in brachiis eius, tanquam ligna, quæ combusta sunt igni.

Arias. Et currunt in occursum eius, & prosperè egit super eum spiritus, & facti sunt funes tanquam stупpa, quæ succensa est igni.

Cæter. Prosperatus est,

Tigur. Difflexerunt vincula.

Malu. Taratantariuauerunt, petrupit, & liquefacta sunt ligamina.

Sept. Insiliit in eum spiritus, & facti sunt funes tanquam stупpa.

Cald. Mansit super eum spiritus fortitudinis ab ante Do-

minum, & fuit funes quæ super brachia eius, sicut lina quod inflammauit in eo ignis, & defecerunt vincula.

Syr. Surrexerunt ad interficiendum illum. Fuit ei Spiritus Domini, factæque sunt catenæ, quæ erant super manus eius.

Arab. Sed astitit ei virtus Domini, & corroborauit eum, & factæ sunt catenæ velut filum lineum, igne vstulatum, soluit se rupitque catenas.

Lyran. Abul. Sicut ligna ad ardorem ignis.

Vulg. Inuentamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.

Reg. Inuenit maxillam asini recentem. Ita & Isidor.

Arias. Humentem.

Tigur. Putrescentem.

Malu. Purulentam.

Sep. Maxillam proiectam.

Cald. Tabentem.

Arab. Os quoddam aridum.

Vociferantes, Alij, Ouantes. Heb. *הריג* heriagh, quæ vox refertur ad iubilationem, & festiuum clamorem, qualis editur in ouatione. Sicut solent ad odorem ignis lina consumi, Aliqui, Ligna ad ardorem ignis. Sed error & in ligno, & in ardore: Lina enim non ligna in omnibus aliis leguntur, & facile ex vocum similitudine error contingere potuit. Vnde rectè Sep. *Tanquam stappa*, Arab. *Sicut filum lineum*, & sic sensus est elegans sumpta similitudine à lini stappa, quæ illico, vbi leuem ignis calorem, aut odorem sensit, ignem concipit. q. d. Nullo negotio, sed confestim, illico soluta sunt vincula. Non ergo legas ligna, non enim ad odorem ignis ligna consumi solent, nec ad ardorem, nisi sensim, quod loci similitudini non conuenit. Lege similiter odorem, non ardorem; & licet non respuenda lectio de ardore, minus tamen rei, de qua hic agitur, conuenit. *Inuentamque maxillam, id est mandibulam asini, quæ iacebat*. Alij, *Inuenit maxillam asini recentem*, vnde apud Interpretem, *Id est mandibulam*, est explicatio, neque enim in aliis hæc habentur, sed nimirum explicare voluit Hieron. quod intelligeret per maxillam, quod etiam de mandibula viuentem, & carne vestita dici solet. Porro pro *iacebat*, in Heb. est *הריג* heriagh, quod hinc tantum, & Is. i. v. 6. habetur, vbi noster exposuit tumens. Hic autem alij vertunt recentem, humentem, purulentam, tabentem, vel sanè defluentem. Vnde non admittendus Arab. qui legit os aridum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 14.

Qui cum venisset. Hic consequenter describitur Philistinorum inuasio, cum dicitur. *Qui cum venisset*. Hic locus sic nominatur hic per anticipationem, vt patet per litteram sequentem.

Irruit Spiritus Domini. Id est, motus dono fortitudinis ad rumpendum vincula, & ad Philistæos debellandum.

MENOC.

Irruit Spiritus Domini. Vires illius augens, & cum excitans, vt funibus disruptis in Philistæos insiliret.

Ad odorem ignis. Quod loquendi formula statim lina illa flammam concipere significat, & igne solui. Sic non absimili loquendi schemate dicimus cibum aliquem faci-

alis esse coctionis, vt satis sit, si semel ignem aspiciat.

Inuentamque maxillam. Per hoc ostenditur victoria magis mirabilis, & à Deo facta, quia non fuit per arma ferrea. Sciendum tamen quod asini sunt maiores in terra illa, & habent maiora ossa.

Interfecit. Ex quo patet quod miraculosè seruabatur à cōfractione in tot, & tantis percussionibus virorū armatorū.

Mandibulam asini. Satis proceri sunt asini in Palestina, itaque non incommodè mandibula hæc in teli vsum conuerti potuit; mirum tamen tam multos illa percuti, & occidi potuisse.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 16. & 17.

Vulg. Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, deleui eos, & percussi mille viros.

Pag. In maxilla asini aceruorum; maxilla asini percussi.

Arias. In maxilla, &c. Aceruum, acervos duos in maxilla asini.

Caiet. In maxilla asini aceruorum.

Vatab. Maxilla asini, trucidavi aceruorum vnum, imò duos acervos maxilla asini.

Malu. In maxilla asini duarum asinarum.

Spe. In maxilla asini deleui, deleui eos, quia in maxilla.

Syr. Acervos cumulavi ex eis.

Arab. Osse mandibulæ asini strages ex vobis prostravi, & asini mandibulâ trucidavi.

Vulg. Cumque hæc verba canens compleisset, proiecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ.

Pag. Id est projectio maxillæ.

Arias. Et fuit circa consummare eum in loqui.

Cald. Et fuit in finire eum ad loquendum.

Syr. Arab. Vocavit, &c. sanguinem maxillæ.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, Alij, *Aceruus aceruorum maxilla asini*, Alij, *Percussi acervos duos*. Quis non videt hanc versionem obscurissimam? Et licet hunc sensum velint habere, fecisse vnum aceruorum, imò duos acervos hominum à se occisorum, & sic plura subintelligenda; sed versio interpretis nihil obscuritatis habet; scilicet in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos. Heb. est *חמור* chamor, quod hi aceruorum interpretantur, sed *חמר* chemer, acervus est. *Ramath Lechi*, quod interpretatur eleuatio maxilla. Alij, *Projectio maxilla*. Ratio huius varietatis, est, quod plerique *רמה* ramah deducunt, atque interpretantur projectionem, eiaculationem maxillæ, quod ibi maxillam de manu proiecerit, Alij cum nostro deriuant à *רום* rum, exponuntque eleuationem, exaltationem maxillæ, quod ibi eleuauerit, & sustulerit è terra maxillam.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 16.

In maxilla. Hic consequenter ponitur gratiarum actio. Modus enim erat Hebræorum in victoriis à Deo datis, canere canticum per modum gratiarum actionis, sicut patet in Cantico Moyse, Ex. 15. & in Cantico Deborah sup. 5. c. Et ideo Samson in hac victoria diuinitus sibi data, cecinit canticum, incipiendo per talem modum. *In maxilla, &c.*

MENOC.

In maxilla asini, &c. Canticum hoc fuit siue illius particula, aut exordium; hæc enim cantando dixisse Samsonem patet ex Num. 17. sequenti.

TIRINVS

In maxilla. Hæc est tertia clades illata Philistæis à Samsonem. Notat Lyranus, Caietanus, Abulensis & Arias (& patet ex v. seq.) Samsonem canticum hinc concinnasse pulcherrimum, cuius initium fuerit hic versus, & aliis subsequentibus intercalatus.

LYRAN.

Et vocavit, &c. Vtrum autem totum Canticum eius sit hinc scriptum, vel solum ipsius principium, certum non

habetur; videtur tamen probabilius, quod solum principium sit hinc scriptum: quia non omnia sunt scripta, & quia non leguntur Cantica sic breuia. *Sequitur.*

Et vocavit nomen, &c. Quod autem sequitur. *Quod interpretatur, &c.* non est in Heb. sed appositum est à traduttore, ad ostendendum significatum nominis, quod benè fuit impositum, quia satis fuit mirabile & insolitum, quod cum maxilla asini fieret tantum factum. Quod autem hoc diuinitus fieret, ostenditur per sequens miraculum, cum dicitur. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem*. Et patet littera.

Eleuatio maxilla. Sic dictus locus, vel quod è terra in Philistæos maxillam eleuasset eos percussurus; vel quod illis iam stratis, eam eleuauit Deo pro accepto beneficio gratias acturus.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 18. 19. & 20.*

Vulg. Sitiensque valde, clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam; en siti morior! incidamque in manus incircumcisorum.

Arias. Cadam in manus præputiatorum.

Malu. Tu dedisti saluationem hanc grandem.

Sept. Tu benedixisti in manu, &c.

Reg. Dedisti salutem..

Cald. Orauit ante Dominum, &c. tu liberaſti liberationem magnam hanc.

Arab. Deinde magnâ siti laborans inuocauit Dominum: Tu ô Domine, me seruum tuum roborasti, & conciliaſti mihi tantum nomen, & encomium.

Vulg. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillauit spiritum, & vires accepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons inuocantis de maxilla, vsque in præsentem diem.

Pag. Deus rupit, &c. reuersus est Spiritus eius, & reuixit: ideo vocatum est nomen.

Arias. Et rupit Deus mortarium, quod erat in maxilla asini, &c. vocauit nomen eius heu haccore Afer ballechi.

Tigur. Dissecuit maiorem, &c. refocillatus est.

Malu. Et discidit molam.

Sept. Rupit lacum, qui in maxilla, &c. fons inuocantis, qui in maxilla.

Reg. Aperuit vulnus maxillæ.

Cald. Rupit rupem quæ in maxilla, &c. fons qui in oratione datus est Samson, ecce ipse constans in Lechi.

Syr. Tum scidit mentum maxillæ, &c. recuperauit animum, vocauit fontem cornu maxillæ asinæ.

Arab. Terebrauit os maxillæ, prodiitque ex eo aqua copiosa.

Vulg. Iudicauitque Israël in diebus Philisthiim viginti annis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Aperuit molarem; Alij, Rupit mortarium, rupem, &c. מכתש Hebraice est, quod à contundendo dici constat, unde quidam mortarium dixerunt, in quo res contunditur. Cald. non ad maxillam asini refert, sed ad rupem, seu petram, quæ formam mortarij habuerit in eo loco positam. *Qui dictus est Lechi.* Verum nostra lectio alijs præferenda, nam illius perspicuus sensus, cum & molarem dentem, & asini maxillam disertè exprimat. Eodem respicit versio Sept. Rom. *Lacum qui in maxilla*, vbi per illum, fenestram illam, & cavitatem intelligunt, quam dens excussus relinquit: Et Reg. *Vulnus maxilla*, vel quod in maxilla, vt habet Codex Alb. & Basil. Hebr. ergo vox מכתש significat quicquid commolit, & contundit: at nihil vetat hîc molari denti, eam notionem adaptari, cum isti denti proprium sit cibum conuoluere, & conterere. *Idcirco appellatum est nomen loci illius, fons inuocantis de maxilla.* Cald. *Fons, qui in oratione datus est Samson, & de maxilla* referas ad *ri fons*, non ad *ri inuocantis*, vt patet ex Hebr. quasi dicat, fons inuocantis, nempe Samsonis; *qui est in Lechi*, hoc est in dicto loco Ramath Lechi, id est eleuatio maxillæ, eò quod ibid. Samson orans ex maxilla fontem hunc elicuerit.

ANNOTATIONES.

MENOC. *EN siti morior, &c.* Ex vehementi motu, calore, sudore nasci potuit sitis: Iosephus, & illum secutus S. Ambros. ep. 70. causam sitis faciunt diuinam vltionem, quòd edita illa strage superbiſſet Samson, & plusquam par erat, sibi arrogasset.

MENOC. *Nomen loci illius.* Totus locus dictus est *Eleuatio maxilla* numer. 17. peculiaris in quo eruperant aquæ ex dente illo molari. *Fons inuocantis de maxilla*, est appellatus.

Vsque in præsentem diem. Quo scilicet hæc libri auctor scribebat.

TIRINVS. *Egressæ sunt aqua.* Ex dente molari mandibulæ. Nempe, fluebant è terra aquæ, sed per loculamentum seu mortariolum dentis molaris. Et quia orante & Deum inuocante Samson obtentæ fuerant hæc aquæ, vocatus est


A locus ille Henhabore, id est fons inuocantis. Et ita vocatur vsque in præsentem diem, quo liber hic Iudicum conscribebatur. Quin vero simile est, extare etiam hoc nostro sæculo eundem fontem. Nam certum est, quingentis ab hinc annis adhuc extitisse, vt testis est Michaël Glycas, qui vixit tempore Ioannis Comneni, Alexij Imp. filij: & disertis verbis affirmat, *hunc fontem in hodiernum vsque diem in Eleuteropolis suburbano conspici, & fontem maxilla nunc pari.* Quis verò ex eo tempore fontem illum vel arefecit æstus? vel quod lutum obstruxit? vel quæ manus euertit?

Tropologie: etiam vilissimo instrumento posse & solere Deum, si terò inuocetur, maxima quæque pati, neque vnquam in necessariis deesse, docet S. August. ex SS. Scripturis & historiis passim obuiis.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS.

Portas vrbs Gaza Samson suis humeris in montem defert: à Dalila sua proditur, excrucatur, illuditur: sed iniuriam hanc moriturus vlciscitur morte 3000. Philisthaorum.

I.  Bit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. 2. Quod cum audissent Philisthiim, & percrebuiſſet apud eos, intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positus in porta ciuitatis custodibus: & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt facto manè exeuntem occiderent. 3. Dormiuit autem Samson vsque ad medium noctis, & inde confurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & fera, impositasque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron. 4. Post hæc amauit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Phi-

lifthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum superare valeamus, & vinctum affligere, quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos. 6. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit quo ligatus erumpere nequeas. 7. Cui respondit Samson: Si septem neruicis funibus, necdum siccis & adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero vt ceteri homines. 8. Attuleruntque ad eam sarrapæ Philisthinorum septem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum, 9. latentibus apud se insidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamauitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: & non est cognitum in quo esset fortitudo eius. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illufisti mihi, & falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. 11. Cui ille respondit: Si ligatus fuero nouis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis. 12. Quibus rursus Dalila vinxit eum, & clamauit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi filatellarum. 13. Dixitque Dalila rursus ad eum: Vsquequo decipis me, & falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexeris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clauum cum crinibus & licio. 15. Dixitque ad eum Dalila: quo modo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua. 16. Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est. 17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut ceteri homines. 18. Videnſque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum ac mandauit: Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. 19. At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonforem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit: 20. dixitque: Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut antè feci, & me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. 21. Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. 22. Iamque capilli eius renasci cœperant, 23. & principes Philisthinorum conuenerunt in vnum vt immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur, dicentes: Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. 24. Quod etiam populus videns, laudabat Deum suum, eademque dicebat: Tradidit Deus noster aduersarium nostrum in manus nostras, qui deleuit terram nostram, & occidit plurimos. 25. Lætantesque per conuiuia, sumptis iam epulis, præceperunt vt vocaretur Samson, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. 26. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner super eas, & paululum requiescam. 27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia vtriusque sexus spectantes ludentem Samson. 28. At ille inuocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam. 29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læua tenens, 30. ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & certam multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam antè viuus occiderat. 31. Descendentes autem fratres eius & vniuersa cognatio tulerunt corpus eius, & sepelierunt inter Saraa & Esthaol, in sepulchro patris sui Manue iudicauitque Israël viginti annis.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 1. 2. & 3.

Vulg. Abiit quoque in Gazam, & vidit mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.

Arias. Vidit mulierem meritoriam.

Malu. Venit ad eam.

Cald. Vidit mulierem tabernariam.

Vulg. Quod cum audiissent Philisthiim, & percrebuisset apud eos intrasse urbem Samson, circumdederunt eum positus in porta ciuitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt factò mane exeuntem occiderent.

Pag. Hazziris dictum est, venit Samson huc, & insidiati sunt, tacueruntque tota nocte dicendo vsque ad lucem matutinam, occidemus.

Arias. Simularunt se mutos tota nocte.

Tigur. addunt. Et surdos.

Malu. Circumgirauerunt, &c. & cessare se fecerunt tota nocte, ad dicere vsque ad lucem mane.

Rom. Sept. Et mutierunt tota nocte.

Reg. & Comp. de silentio nihil habens.

Cald. Tacuerunt.

Syr. Tota nocte susurrantes.

Arab. Consilium simul inierunt tota nocte illa.

Vulg. Dormitauit Samson vsque ad medium noctis, & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit ad Hebron.

Pag. Qui erat contra faciem Chebron.

Arias. Ascendere fecit eas ad caput montis, qui super caput Chebron.

Malu. Cubauit, &c. apprehendit in ianuis, &c. & in

duobus postibus, & mouit ea cum transfugatorio, & posuit super scapulas suas.
Sept. Surrexit in dimidio noctis, sustulit eas cum veſte, &c.

Cald. Et euulſit eas cum veſte.
Arab. Exemit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Circumdederunt eum positus in porta ciuitatis custodibus; Alij, Et insidiati sunt ei; vnde colligendum neque aperte, neque cum tumultu insidias Samsoni pręparatas, vnde illud *Circumdederunt*, ne intelligas, quasi domum armati circumſtererint, id enim ægrę sine tumultu fieri potuisset, sed quod variis in locis latenter, & in silentio, quibus tranſeundum eſſet armati fuerint dispositi. *Cum postibus suis & fera*; Alij, *Cum veſte*. Hebr. eſt כריח *beria*ch, quam vocem reddunt Sept. veſtem, & sæpe etiam Hieron. cum fera potius appelleretur מנעול *mangul*, nihilominus satis eſt probabile, his vocibus significari, quicquid portam occluſam continet, siue veſtis, siue peſſula, siue fera.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ſ. 1.

Abiit. Hic conſequenter deſcribitur ipſius Samsonis mors & conſummatio: & quia mors eius fuit per mulierem procurata, ideò primò deſcribitur qualiter cum vna periculo ſe expoſuit, ſecundò qualiter per alteram morti ſuccubuit, ibi: *Post hac amauit*. Circa primum dicitur. *Abiit*, quæ erat ciuitas Philistinorum mortem ipſius quærentium.

Et vidit. In Hebræo habetur: *Mulierem hospitalariam*, quia nomen ibi poſitum æquiuocum eſt ad vtramque ſignificationem: ſicut dictum fuit ſuprà cap. 11. de matre Iepthe & Iosue: ſecundo de Raab, & propter hoc non inuaferunt cum ibi Philisti: quia ſecundum legem terræ, ſecuritatem debebat habere in loco hoſpitij: ſed poſuerunt inſidias in porta ciuitatis, vt cum exeuntem occiderent, & forſitan vtraque ſignificatio conueniebat illi mulieri: quia in aliquibus terris hoſpitatrices ſe de facili exponunt hoſpitibus ſuis.

Ingreſſuſque eſt ad eam. Quod cum audiſſent Philistiim, & percubiſſent. Hoc intelligitur de concubitu carnali ſecundum ſenſum translationis noſtræ, ſecundum autem Hebræos intelligitur de ingreſſu hoſpitij: & forte vtrum-

que fuit ibi. Cætera patent ex dictis vſque ibi.

Gazam. Vrbs eſt ad mare mediterraneum ampla, munita, portuoſa, & celebris. Venit Gazam vel negotij alicuius gratia, vel vt panegyrim aliquam ſpectaret, vt coniecit Serarius: Iosephus veniſſe ait ex Philistiæorum contemptu, viribus ſuis confidentem. Abulentiſis ex iuuenili petulantia, & amore formoſarum mulierum Philistiæarum.

Ingreſſus eſt ad eam. S. Auguſt. ſerm. 107. de Tempore, negat cum meretrice illa concubiſſe, ſed phraſis ſcripturæ paſſim occurrens, concubitum ſignificat, vt Gen. 16. v. 2. *Ingreſſus eſt ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*, & 2. Reg. 3. v. 7. & alibi. Ergo à culpa Samson excuſari non poteſt.

Apprehendit. Porta proprie loquendo eſt muri apertura: LYRAN. fores autem ſunt oſtia quibus apertura clauditur: vnum ſ. 3. tamen pro alio frequenter ponitur.

Ad verticem montis qui reſpicit Hebron. Montem hunc à MEN OC. Gaza diſtare ſeptem miliaribus Germanicis, aſſeruat Serarius quaſt. 3.

VARIETAS LECTIONVM. Verſ. 4. ad 7.

Vulg. Post hæc amauit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila.

Pag. In torrente Sorec.

Sept. Amauit, &c. Dalila in Alforech.

Arab. In ciuitate quadam quæ vocatur Vehelſæroc.

Vulg. Veneruntque ad eam principes Philistinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum ſuperare valeamus, & vincitum affligere, quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli, mille & centum argenteos.

Malu. Vide in quo virtus eius grandis, & in quo poterimus ei.

Sept. Rom. Ligabimus ad humiliandum eum.

Cald. Mille & centum Bilgin argenti.

Syr. Alcenderunt tyranni, &c. blandire ei, dabit tibi quicquid noſtrum, centum & trecentos argenteos.

Arab. Millenos tercentenos ſiclos argenti.

Vulg. Locuta eſt ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit,

quo ligatus erumpere nequeas.

Pag. Et quo ligeris ad affligendum te.

Sept. Ad humiliandum te.

Vulg. Cui reſpondit Samson: Si ſeptem neruiceis funibus, necdum ſiccis & adhuc humentibus, ligatus fuerò, infirmus ero, vt cæteri homines.

Pag. Si ligauerint me ſeptem virgis viridibus.

Arias. Viminibus humidis, quæ non ſunt arida, ero debilis, ſicut vnus homo.

Calet. Funibus recentibus.

Varab. Vinculis virentibus.

Malu. In ſeptem, (id eſt, ſeptennario) reſtium viridium, quæ non exſiccata & agrotabo.

Sept. In ſeptem neruis humidis, & infirmabor.

Reg. In ſeptem funibus humidis, non corruptis.

Ioseph. Septenis palmitibus vitis.

Cald. Et debilitabor.

Syr. Si me vinciant ſeptem chordis.

Arab. Eneruabuntur vires meæ.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dalila; Alij, *Dabila*, ſed longe plures qui Dalilam legunt. *In valle*; Alij, *In torrente*. Vox Hebr. vtrumque ſignificat: Arab. habet, *In ciuitate quadam, quæ vocatur Nehelſam*. Nihil impedit, quin in illa valle fuerit quadam vrbs, in qua degebat Dalila. *Dabimus tibi ſinguli, mille & centum argenteos*. Syr. & Arab. habent *mille tercentum ſiclos*: ſed cur ducentos addiderint, neſcio. *Si ſeptem neruiceis funibus necdum ſiccis, & adhuc humentibus*; Alij, *Virgis, viminibus, palmitibus vitis*. Noſtro Interpr. conſentiunt Sept. Hebr. eſt יתרי quæ vox chordas, neruos funes, reſtes ſignificat, ſed minùs propriè vimina, virgas, vitis palmiteſ.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ſ. 4.

Post hæc. Hic conſequenter oſtenditur qualiter Samson per aliam mulierem morti ſuccubuit, vbi primò deſcribitur mulieris fraudulenta inquiſitio, ſecundò veritatis apertio, ibi: *Cumque moleſta ei eſſet*, tertio ipſius

Samsonis comprehenſio, ibi: *Quem cum apprehendiſſent*. Circa primum ponitur mulieris triplex tentatio, ſecunda ibi: *Dixitque ad eum*, tertia ibi: *Dixitque Dalila*. Circa primum dicitur: *Post hæc amauit mulierem*. Vtrum autem



fuerit Hebræa vel Philisthæa non habetur in textu, videtur tamen magis quod fuerit Philisthæa: eò quod fuerit ita sollicita decipere Samsonem aduersarium Philisthæorum, vocabatur Dalila: sic enim debet scribi & pronuntiar.

MENO C. *In valle Sorec.* Quæ dicitur etiam *vallis botri*, sunt enim ibi vites multæ, ac generosæ. Itaque Isaia 5. v. 2. dicitur: *plantauit eam* (vineam scilicet) *Sorec*, vt est in Hebræo, quod vulgatus vertit, *electam*.

Dalila. Gente Philisthæa, vxor Samsonis, vt aliqui graues auctores sentiunt, sed iuxta alios, conditione meretricis, quæ opinio etiam graues patronos, & assertores habet, **777** *Dalal* Hebræis attenuari, arefcere, pauperem esse, significat. Hinc nomen Dalilæ meretrici huic appositè conuenit, quæ debilitauit, ac infirmauit Samsonis robur, cor, & opera.

TIRINVS. *Amanit mulierem in valle Sorec.* Quod significat *vitam*, sed *lectissimam* ac *generosissimam*; vnde Ierem. 2. v. 21. *Plantauit te Sorec*, Nolter vertit, *vineam electam*. Et hæc vallis eadem est quæ num. 13. vocatur *vallis botri*: & est vicina *torrenti Sorec*, qui duas tribus *Dan* & *Simeonis* interfecit, in quo torrente Eunuchum Candacis baptismum narrat Adricomius. Iuxta hunc torrentem, & in hac valle *Sorec* habitabat meretrix *Dalila*. Neque enim ausum cum S. Chrylost. Cassiano, S. Ephrem, Seuero, Sulpicio & Pererio affirmare, eam fuisse Samsoni vxorem. Quomodo enim ausi fuissent Philisthæi principes tam fidenter, & primo aggressu, & sola spe lucelli sollicitare vxorem ad

A prodendum maritum, & talem, tantumque maritum: quomodo toties & tam diu latuissent tot armati, in domo propria Samsonis, nec ipso, nec vilo familiarium aut famulorum conscio, quare ad illam excurreret Samson, & non potius illam ad se domum suam traduceret tantus princeps? Hæc & aliæ rationes conuincere videntur, non vxorem fuisse, sed meretricem, & quidem è pauperioribus. Ita Iosephus, Ambros. Hieron. Abbas Ioachim, Abulensis, Serarius, & alij, qui ob eandem penè rationes dicunt eam natione non Iudæam, sed Philisthæam fuisse.

Veneruntque. Vt quem non poterant superare virtute, caperent fraude. Cætera patent vsque ibi.

Principes Philisthinorum. Philisthæorum gens ac ditio, in quinque satrapias seu principatus distributa erat, quibus singulis à præcipua vrbe sua, nomen Gaza, Geth, Accaron, Azotus, Afcalon. Hi ergo quinque principes ad Dalilam venerunt.

Singuli mille, & centum argenteos. Existimat Arias mille singularum prouinciarum nomine oblatos argenteos siclos, à principibus verò adiectos suo ipsorum nomine centum alios, auctarij, & honorarij causa.

Si septem neruiceis. Id est, factis de neruis.

Necdum siccis. Quia tales funes extenduntur & non rumpuntur.

Neruiceis funibus. Qui ex neruis bubulis, vaccinis, &c. in funes contortis, & plexis fiunt.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 8. ad 12.

Vulg. Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum.

Pag. Ascendere fecerunt ad eam satrapæ septem virgas virides, quæ non erant sicca. *Alij vt versu preced.*

Vulg. Latentibus apud se insidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamauitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: & non est cognitum in quo esset fortitudo eius.

Lyr. Abul. Cartus. De stuppa, tortum sputamine.

Pag. Rupit virgas, quomodo rumpitur filum stuppæ, quando odorat ipsum ignis.

Malu. Et insidians sedens ei penetrati, abruptit restes sicut quod abruptitur intortum stuppæ in introspirare illud ignem, & non cognita fuit virtus eius.

Sept. Dirupit neruos, ac si quis rumperet globum stuppæ.

Reg. Rupit funes.

Syr. Qui dirumpit chordas, non secus ac dirumpitur filum lineum, neque concussum est robur eius.

Arab. Viribus tamen eius haudquaquam debilitatis.

Vulg. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illulisti mihi, & falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari de-

beas.

Pag. Locutus es ad me mendacia.

Malu. Ecce fefellisti in me.

Cald. Huc vsque mentitus es in me.

Arab. Declara in quo vinciaris.

Vulg. Cui ille respondit: Si ligatus fuero nouis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis.

Pag. Quibus non est factum opus.

Malu. Rudentibus nouis, quibus non est factum ministeriale.

Cald. Si ligare, ligabunt me in vestibus nouis, & debilitabor.

Syr. Si me vinxeris catenis nouis.

Arab. Ferreis.

Vulg. Quibus rursus Dalila vinxit eum, & clamauit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.

Pag. Ligauit funes nouos, &c. rupit eos à brachiis suis sicut filum.

Arias. Et insidiator sedens in cubiculo suo.

Malu. Accepit rudentes nouos.

Syr. Accepit catenas nouas.

Arab. Ferreas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quomodo si rumpat quis filum de stuppæ putamine tortum; Alij, De stuppæ tortum sputamine, explicantque tortum de stuppæ, adhibito inter nendum, vt fieri solet, sputo, sed in Codicibus correctis, accepta est lectio nostra. Sensus nostri Interpretis est, sicut filum de vili, & reiectanea stuppæ factum, sunt enim putamina, rei cuiuslibet putamenta. In Heb. sicut in Sept. habetur tantum, sicut filum è linea stuppæ factum. *Quasi fila telarum*, Alij, *Abruptit sicut filum*. Hic alia est vox, quàm supra. Ibi enim פתיל *pethil*, quod videtur significare filum retorum ex multiplicibus filis, in vnum contortis conflatum: at hic est חור *chur*, quod potest significare filum simplex, & tenuissimum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **9.** **L**atentibus. Quia non audebant inuadere Samsonem donec viderent per experientiam, quod vincula non posset rumpere.

Qui rupit vincula. Valde faciliter, ideo subditur.

Quomodo. Quia mulieres quando filant immiscunt aliquid de sputo suo.

MENOC. De stuppæ putamine. Putamen, vt ait Nonius, est omne quod non à nucibus modò, sed ab aliis etiam excutitur, ac

C proicitur. Significatur ergo filum vilissimum, minimeque compactum, ac firmum.

Cum odorem ignis acceperit. Vide dicta supra cap. 15. num. 14.

Dixitque ad eum Dalila. Hic ponitur secunda tentatio mulieris ad deceptionem Samsonis cum dicitur.

Saltem. Fingeat enim ista mulier quod ex magno amore ad Samsonera desiderabat scire fortitudinis suæ con-

ditionem, sicut amans desiderabat scire intima sui amici.

MEN OC.
LYRAN.
ŷ. II.

Ligari debeas. Ligari possis.
Si ligatus. Hanc conditionem nouitatis addidit Samson ad suam primam responſionem, ita quòd funes non essent

tantummodo neruicei & humidi: sed etiam omnino noui, & hoc dicebat Samson ad colorationem sui mendacij.

Quasi fila telarum. Quasi filum tenue quo tela contextitur. Septuaginta habent *magis*, quasi dicant *filulum*. MEN OC.

VARIETAS LECTIONVM *Vers.* 13. 14. & 15.

V*Vulg.* Dixitque Dalila rurſum ad eum: Vſquequo decipis me, & falſum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samson: Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

Pag. Vſquequo deluſiſti me? Si texueris ſeptem cincinnos.

Malu. Cum peſtine.

Sept. Si infixeris paxillo in parietem.

Cald. Crines capitis mei, cum iugo telæ.

Arab. Iugo textorio alligaueris.

Vulg. Quòd cum feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philistiim ſuper te Samson. Qui conſurgens de ſomno extraxit clauum cum crinibus & licio.

Malu. Infixit in paxillo, & expergefactus fuit de dormitione ſua, & mouit paxillum texturæ, & peſtinem.

Sept. Intexuit in licio, & infixit paxillo in parietem.

Cald. Et impleuit in clauo, &c. & euulſit iugum textorium.

Arab. Iugum geſtauit, caſarie ſua ad illud alligatâ.

Vulg. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis, quòd amas me, cum animus tuus, non ſit mecum? Per tres vices, mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua.

Pag. Et cor tuum non eſt mecum.

Malu. Tres ictus ſefelliſti in me, & non annuntiaſti mihi, in quo virtus tua.

Syr. In quo conſiſtat præcipuum robur tuum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

S*Septem crines capitis mei;* Alij, *Septem cincinnos*, id eſt, ſeptem partes ſeu tricas capillorum, ſimul conglobatorum, nimirum capillamentum omne in ſeptem cincinnos, quaſi lina diſtributum. *Cum licio*, Alij, *Cum peſtine*, *iugo tela*, *textorio*. Hebr. quidem eſt *מסכת מלכה* *maſſecheth*, quod quidem variè transfertur, ſed à nemine doctius, quam ab interprete: Nam illud licium ſi propriè textatur eſt textorium filum, quod primum, & ante omnia, ſecundum longitudinem diſponitur, cui deinde ſubtemen, ſeu tramen, radio percurrente tranſuerſim inferitur, & coaptatur *מסכת מלכה* *maſſecheth* autem à radice *נל נל* *naſal*, quod tegere, & operire ſignificat, deducitur. Porro in tela vel textura, quæ textitur, duplex eſt illud filum, quod iam dictum licium, illud oblongum, & ſubtemen tranſuerſum. Licio autem conuenit, vt ſubtemen tegat, & operiat. *Et clauum his circumuolutum terræ fixeris.* *Sept.* *Si intexeris paxillo in parietem*: Sed Hebr. *nec terræ, nec parietem*, habent, vt proinde veriſimile ſit nihil interuiſſe, ex Scripturæ, & Samſonis mente, quo in loco clauus ille figeretur. *Et infirmus ero*, quod in Hebr. non eſt, ſed neceſſariò ſubintelligendum, aliàs ſententia penderet.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ŷ. 13.

D*ixitque Dalila.* Hic ponitur tentatio tertia, cum dicitur.

Vſquequo. Celando ſecretum tuum amicæ tuæ.

Si, inquit, ſeptem. In Hebræo habetur ſeptem cincinnos, vel floccellos, caſaries enim capitis ſui diſtincta erat per ſeptem floccellos, vel cincinnos.

Cum licio plexueris. Id eſt, cum forti ligamento.

MEN OC.

Septem crines capitis mei. Paulatim ad caput venit Sam-

son, *lapſuro propior*, ait S. Ambroſ. Epift. 70. Crines ſeptem hic vocantur ſeptem omnium totius capitis crinum diſcrimina, ſeu flocci, tricæ & cincinnati. Italicè dicimus *le treccie*.

Cum licio. Licitorio ligno, ſeu textorio iugo.

Dixitque. Quare diceret hoc falſum manifeſtè, cum proprium ſit amantium ſecreta ſua inuicem reuelare?

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 16. 17. & 18.

V*Vulg.* Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt.

Pag. Et fuit cum coarctaret eum verbis ſuis, & moleſtaret eum, anguſtiis affecta eſt anima eius, vt moreretur.

Arias. Et fuit cum coarctationem præberet ei, abbreviata eſt anima eius ad moriendum.

Calet. Laſſata eſt anima eius.

Tigur. Cum illa vrgeret eum, negotiumque ei faceſſeret.

Malu. Extorſit ei, & fuit decurtata anima eius ad mori.

Sept. Vexauit eum in verbis ſuis, & anguſtiauit eum, & defecit animo, vſque ad moriendum.

Reg. Et moleſta fuit

Cald. Oppreſſit eum, & moleſtauit animam eius.

Arab. Cumque negotium, & moleſtiam faceret ei, mœrore radioque affectus eſt animus eius.

Vulg. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam aſcendit ſuper caput meum, quia Na-

zaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri homines.

Pag. Indicauit ei totum cor ſuum, &c. ſi raſus fuero, debilis ero.

Malu. Quia ſeparatus Elohim ſum ego, diſcedet à me virtus mea, & ægrotabo.

Sept. Quoniam Sanctus Dei ego ſum.

Cald. Si tonſus, debilitabor.

Syr. Nouacula nunquam fuit admota capiti meo, &c. quoniam abſtinens Dei.

Arab. Quòd Deo addictus ſum.

Vulg. Vidensque illa, quòd conſeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad principes Philistiinorum ac mandauit: Ascendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt, aſſumptâ pecuniâ quam promiſerant.

Pag. Detulerunt argentum in manibus ſuis.

Arias. Satrapæ aſcendere fecerunt argentum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

I Vgiter adhereret; Alij, *Molestaret eum, cruciaret eum*, sed nullus rectius affectus est rationem verbi, quam Interpres, procul dubio contulit cum transposito לָאֵל atzal, & significatum deduxit cum præpositione לָאֵל ezal, apud, iuxta, circa, penes, prope, quasi diceret: Et erat semper ad eum, iuxta eum, maximè importuna, instando, vrgendo. *Defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata*; Alij, *Angustius affecta est, abbreviata, decurtata, anima eius*, id est, ita elanguit anima eius, vt quasi mortem optaret, ita amaro fuit animo, vt vitæ suæ tæderet.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **¶. 16.** **C**umque. Hic consequenter describitur veritatis A
 Capertio: quia per molestiam mulieris importunè pe-
 tentis, veritatem rei aperuit ad sui interitum.
- MENOC.** *Defecit anima eius, &c.* In Hebræo est, *imminuta, vel, incisa est anima eius ad moriendum.*
- LYRAN.** **¶. 17.** **F**errum. Quia erat de ritu Nazaræorum quod non ra-
 derentur eorum capilli toto tempore consecrationis suæ,
 vt dictum fuit supra cap. 14.
Sirasum. Quia sicut dictum fuit supra, ista fortitudo non
 erat virtutis naturæ, sed erat quoddam donum gratiæ
 gratis datæ: quæ in necessariis & expedientibus fuit in eo
 quandiu tenuit ritum Nazaræi, propter quod ipso violato
 per rasuram non affuit sibi. Sed contra hoc videtur quod B
 votum Nazaræi, violabatur per tactum & etiam aspectum
 mortui, vt habetur num. 6. Samson autem multos iam
 ante interfecerat, vt patet ex supradictis. Dicendum quod
 non fuit simile de Samson & aliis Nazaræis, qui erant
 consecrati ad tempus & ad vacandum orationibus & piis
 operibus. Samson autem fuit consecratus per totam vi-
 tam, & sua consecratio erat ordinata ad alia opera, scili-
 cet ad liberationem Israël de manu Philisthinorum, vt
 habetur supra cap. 13. propter quod interficiendo Philis-
 thæos consecrationem suam non violauit, sed magis ad-
 impleuit.
- MENOC.** *Aperiens veritatem rei.* In Hebræo & Græco est, *omne cor
 suum.*
Sirasum fuerit caput meum. Erat enim in Samsonis ca-
 pillis robur, tanquam in signo gratiæ huius gratis datæ, seu
 in Symbolo mutui cuiusdam fœderis inter ipsum, &
 Deum, vt scilicet Samson Nazaræus esset, & prolixa coma
 Nazaræatus profiteretur: Deus verò ei adesset, & vires da-
 ret ingentes, quæ tamdiu permanerent, quamdiu coma
 illa permanisset intonsa.
- TIRINVS** *Si rasum fuerit caput meum, &c.*] Hinc patet, fortitudi-
 nem Samsonis fuisse qualitatem supernaturaliter membris
 illius inditam, sed à crine tanquam à signo dependentem:
 nam hoc expresso pacto eam illi Deus donarat, si Naza-
 ræus perseueraret, & comam aleret. Idque rescuerat ipse,
 vel ex parentibus, vel ex Angelo, vel ex interno Dei
 afflatu. Et certè ad comprimendam animi superbiam se-
 curius latebat tam eximium robur sub crinibus, hoc est
 sub re vilissima, debilissima, stupidissima. Ita S. Chryso-
 Ambr. S. Ephrem, Ioachim Abbas, Author mirabilium
 sanctæ Scripturæ, qui falsò putatur esse S. August. Serari-
 us, & alij.
Petes. Si Samsoni absque sua culpa, per vim vel per mor-
 bum inuito ac nolenti fuissent adempti crines, an Deus
 robur illud supernaturale membris eius nihilominus sub-
 traxisset? Respondeo, negatiuè: cum enim crines in Na-

zaræis nonnisi exterioris Dei cultus essent, & interioris
 cultus, deuotionis & consecrationis nudum indicium ac
 signum; quamdiu interiora illa perstabant integra, non
 auferebantur dona ea, quæ propter interiora illa potissi-
 mum dabantur, Cum igitur non propter signum, sed pro-
 pter rem signatam; non propter capillos, sed propter in-
 teriorem animi religionem ac cultum, datæ Samsoni vi-
 res fuerint: mansissent illi saluæ, si absque illius assensu &
 peccato (quod hîc intercurrit) ablati fuissent capilli, &
 ipse animo constans in cultu Nazaræatus perstitisset, quod
 quia miser meretriciis inductus blanditiis non præstitit,
 meritò virilibus illis spoliatus est, ita Caietanus Abulen-
 sis, & ferè alij iam citati Authores. Patet Martinus de Roa
 & Serarius putant, hanc Samsonis comam à Dalila præ-
 sectam, Gentilibus occasionem dedisse comminiscendi fa-
 bulam de purpurea *Nisi* Megarorum regis sub hoc idem
 tempus imperitantis *casarie* leu *coma*, adeò (vt fingebant)
 diuina, vt, quamdiu eam retineret, vinci non posset,
 neque regnum eius ab alio occupari. Sed *Scylla* eius filia,
 turpi *Minois* urbem *Megara* tum obsidentis amore capta,
 dormienti patri comam abscidit, & sic patrem & patriam
 hosti prodidit. An ouum ouo similis? Vide Pausaniam,
 Seruium, Ouidium & Apollodorum, qui & aliam simi-
 lem tragœdiam narrat de *Comethone*, Pterelai filia, quæ
 & ipsa *Amphitryonis* amore infatuata, aureum de patris
 capite capillum profecuit, & fœda perfidia parentem &
 solum natale perdidit. Neque tamen Amphitryon *Co-*
methonem, neque Minos *Scyllam* ad nuptias suas, quas
 patriciali suo scelere ambæ venabantur, admiserunt; sed
 pedibus vincitam hanc in mare præcipitem, illam pluri-
 bus aliis tormentis excruciatam commeritæ neci dede-
 runt. Quid nostræ acciderit Dalilæ post fœdam proditio-
 nem incertum. Depensæ quidem illi pecuniæ à quinque
 Sarrapis vers. 18. Sed quis dubitet, quin diris agitata con-
 scientiæ furiis, suorum pœnas dederit flagitiorum, & vel
 propriis manibus, exemplo proditoris Iudæ, cuius typum
 gessit, vel alienis, vt facile se dare potuit occasio? neque
 enim solent amari proditores.

Videnſque. Reuelando veritatem in hoc enim perceperat
 per hoc quod nomen Domini nominauit, dicens se conse-
 tum Domino, non enim nominasset nomen Domini, di-
 cendo mendacium.

Ascendite adhuc, &c. Ex hoc videtur quod illi iidem
 prius fuerant apud ipsum ad comprehendendum Sam-
 sonem: sed videntes ipsius fortitudinem per ruptionem
 vinculorum, ipsum non inuaserant, sed latenter ad sua
 loca recesserant, & per hoc etiam Samson fuit deceptus,
 reuelando secretum suum mulieri, ignorans quod machi-
 naretur in mortem eius.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 19. 20. & 21.

Vulg. At illa dormire eum fecit super genua sua, &
 in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonfo-
 rem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum,
 & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.
Pag. Vocauit virum, & radi fecit septem cincinnos capi-
 tis eius, & cœpit affligere eum.
Sept. Rom. Cœpit humiliare eum.
Reg. Discessit vis eius.
Cald. Transiit virtus ab eo.
Syr. Cœpit eum debilitare,
Arab. Cœperunt vires eius debilitari.
Vulg. Dixitque: Philistiim super te Samson. Qui de som-

no confurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut antè
 feci, & me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo
 Dominus.

Pag. Excutiam me.

Malu. Exibo secundum ictum in ictu, & excussus fui.

Cald. Exibo vt vice in vice, & præualebo, & ipse non co-
 gnouit, quod virilitas Domini transferit ab eo.

Vulg. Quem cum apprehendissent Philisthæi, statim erue-
 runt oculos eius, & duxerunt Gazam vincitum catenis,
 & clausum in carcere, molere fecerunt.

Pag. Descendere eum fecerunt in Harzah, & ligauerunt
 compedibus, & molebat in domo vincitorum.

Caiet.

Caiet. Fuit molitor.
Tigur. Vinxerunt duabus æneis catenis.
Malu. Ligauerunt in æribus duobus.
Sept. Tenuerunt eum alienigenæ, & exciderunt, & de-

posuerunt eum in Gazam.
Cald. Erat molens pistrino.
Arab. Ignem applicantes excæcarunt oculos eius, posue-
 runt in carcere molam, quâ moleret.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

R *Asit septem crines eius; Alij, Septem cincinnos,* in quos tota Samsonis Casaries distributa erat. *Sicut antea feci;* Alij, *Hæc vice, sicut aliâ vice,* sed elegantius Interpres. *Cœpit abigere eum;* Alij, *Affligere, humiliare, eum contemp-
 ptui habens. Vinctum catenis;* Alij, *Ligauerunt compedibus, duabus catenis æneis.* Heb. est *נחשתי* *nechusatim,* quæ
 vox non videtur qualescumque catenas significare, sed æreum quippiam, quo manus pedesque vinciantur. Vnde
 Sept. *Compedes dixerunt. In carcere molere fecerunt.* Cald. *Erat molens in pistrino.* Vnde per carcerem hîc ergastulum,
 vel pistrinum intellige, in quo pindebant olim, hoc est, frumentum commolebant, & in farinam redigebant.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A** *Tilla, &c.* Vt tonsor melius posset radere eum, A
 quam si in lecto iaceret.

Et rasit septem crines eius, &c. In Hebr. habetur septem
 floccellos, qui rasit rotam casariam septem floccellis di-
 stinctam, vt prædictum est.

Statim enim ab eo. Cuius causa prædicta est.

ESTIVS. *Et rasit septem crines eius.* Per septem crines intelligun-
 tur septem cincinni crinium, quos floccellos vocant: quod
 inde patet, quia dixerat Samson, quasi de toto suo cap-
 illitio, *si rasum fuerit caput meum.* Vnde intelligi datur
 totum capillitium seu comam eius, quæ diuisa fuit in se-
 ptem floccellos, rasam fuisse. Et simile est illud Cant. 4.
Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui.

Statim enim fortitudo ab illo recessit. Quæritur tum de
 hoc quod Samson secretum suæ consecrationis Dalilæ in-
 dicauerit, tum de eo quod ad mulierem meretricem in-
 gressus sit, tum denique quod semetipsum cum Philisthæis
 occiderit, an peccarit Samson? Respondetur quod ad
 priora, inter quæ est, quod etiam toties mentitus est, om-
 nino non videtur excusari posse, sed quod in iis grauitet
 deliquit. Ea enim fecit, non spiritu Dei instigatus, sed
 deceptus humana cupiditate, & illecebris muliebribus; At
 verò postremum, quod semetipsum occiderit vna cum
 Philisthæis, sic interpretatur D. August. lib. 1. de Ciuitate
 Dei cap. 21. & 26. vt dicat eum seipsum vnâ cum Philisthæis
 ruina domus oppressisse, spiritu latenter hoc iubente, qui
 per eum miracula faciebat: Nec fas esse nobis aliter cre-
 dere: Nam ad id faciendum diuinitus ei reddita fuit amif-
 sa fortitudo. Sic enim ait; *Domine Deus memento mei, &
 redde mihi fortitudinem pristinam, vt ulciscar me de hosti-
 bus meis.* Hanc responsonem plerique etiam alij sequun-
 tur, & rectè. Nec obstat, quod dicit, *vt ulciscar me de ho-
 stibus meis,* quasi priuatam iniuriam ulciscendi cupidus.
 Nam iniuria Samsonis iniuria publica erat, vt qui Iudex
 esset populi. Irrisio quoque eius, irrisio Dei Israël erat, in
 cuius contumeliam Philisthæi pro capto Samfone Diis suis
 solemnes in templo gratias agebant.

His accedit testimonium Apostoli ad Hebr. 11. vbi Sam-
 sonem adnumerat iis, qui per fidem operati iustitiam, mer-
 cedis consummationem expectant: quod de eo omnino
 dici non posset, si contra Dei voluntatem semetipsum oc-
 cidisset. Denique, cum videamus illum inter iustos com-
 putari ab Apostolo, dicimus ipsius priora illa peccata fu-

perius commemorata, per pœnitentiam & oculorum or-
 bitatem, & carceris afflictionem, ipsamque mortem, quam
 pro Dei gloria sustinuit, fuisse expiata. Vide Comment. no-
 strum ad dictum cap. Hebr. 11.

Dormire eum fecit super, &c. propinata fortassis sopo-
 rîfera aliqua potione, quæ rationis sensum auferret, quod
 etiam aliis experimentis à Dalila captis, factum fuisse pro-
 babile est.

Septem crines eius. Septem illos crinium cincinnos, de
 quibus dictum est num. 3. Totum scilicet caput, abrasit
 capillis omnibus.

Septem crines, id est, septem cincinnos, quibus consta-
 bat, & in quos distincta erat vniuersa Samsonis casar-
 ies, *Rasit Dalila,* sed manu *tonsoris.* Narrat Herodotus,
 manu vnius rasas multorum vnâ dormientium maxillas:
 quanto facilius radi poruit vnius in septem quasi catenu-
 las collectus capillus? Et fortè in cibis papauerea & sopo-
 rîfera quædam ei miscuit perfidum scortum, vel alia caro-
 tica & somnifica abhibuit; vt sæpè ab eiusmodi muliercu-
 lis factitatum, ex Apuleio, Virgilio, Casario, & aliis de-
 monstrat Martinus Delrio.

Dixitque. Volebat enim experiri sicut priùs, vtrum for-
 titudo discessisset ab eo.

Egrediar. Scilicet à vinculis, ipsa enim ligauerat ipsum
 ad experendum certitudinaliter, si raso capite posset vin-
 cula rumpere, quod cum non posset, Philisthæi inuase-
 runt eum securi.

Nesciens quod recessisset ab eo Dominus. Quo ad gratiæ
 gratis datæ effectum, robur scilicet, ac fortitudinem.

Quem. Hic consequenter describitur Samsonis com-
 prehensio, vbi primo describitur eius incarcerationio: secun-
 do illusio, ibi: *Iamque capilli.* Tertio mors & consumma-
 tio, ibi: *Qui dixit puero.* Circa primum dicitur, *Quem,*
 dono fortitudinis destitutum,

Statim eruerunt. Ne si fortè inuaderet, damna eis infer-
 ret. *Et clausum in carcere molere fecerunt.* Id est, grauitet
 laborare, ne gratis panem comederet. Aliqui autem ex-
 ponunt molere, id est, coitare, vel coire cum magnis mu-
 lieribus, quas adducebant Philisthæi, vt de illis magni ho-
 mines & robusti nascerentur apti ad prælium.

Molere fecerunt. Molam versare trusatilem ac manua-
 riam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 26.

V *Vlg.* Iamque capilli eius renasci cœperant.

Pag. Cœpit capillus capitis eius germinare, post-
 quam tonsus est.

Vulg. Et principes Philistinorum conuenerunt in vnum, vt
 immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epu-
 larentur, dicentes: Tradidit Deus noster inimicum
 nostrum Samson in manus nostras.

Pag. Sarrapæ congregati sunt, vt sacrificarent sacrificium
 magnum ad lætitiã.

Malu. Collecti facere ad sacrificare Dagoni Diis eorum,
 & lætitiæ.

Vulg. Quod etiam populus videns laudabat Deum suum,
 Tom. IV.

eademque dicebat: Tradidit Deus noster aduersarium
 nostrum in manus nostras, qui deleuit terram nostram,
 & occidit plurimos.

Pag. Et qui multiplicauit occisos nostros.

Vulg. Lætantesque per conuiuia, sumptis iam epulis, præ-
 ceperunt vt vocaretur Samson, & ante eos luderet.
 Qui adductus de carcere, ludebat ante eos, fecerunt-
 que eum stare inter duas columnas.

Pag. Et fuit cum iocundum esset cor eorum, &c. corri-
 deat nobis.

Caiet. Faciat ridere nos.

Vatab. Cum exhilaratum esset cor eorum.]

Malu. Lufit faciebus eorum.
Reg. Basil. Illudebant ei.
Ioseph. Contumeliis affecerunt eum.
Sept. Ludebat, & alapis percutiebant.
Vulg. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, & tangam columnas, quibus omnis imminet domus, &

recliner super eas, & paululum requiescam.
Pag. Qui tenebat manum eius, &c. ut palpem columnas, quibus formatur, & innitar.
Malu. Dixit ad excussum, obtinentem in manu eius.
Sept. Rom. Statuerunt eum, &c. In medio duarum columnarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Capilli renasci cœperunt; Alij, Cœpit capillus capitis germinare, postquam rarus est, sed paucioribus verbis idem explicat Interpres. *Et epularentur;* Alij, *Ad letandum.* Scripturæ mos vnum pro alio sumere, *Latantes per conuiuia. Sumptis iam epulis;* Alij, *Et fuit cum incundum esset cor eorum ex nimio esu, & potu,* sed enim *Cald.* *Cum edissent, & bibissent.* *Ludebat ante eos,* Alij, *Corridebat.* Sed addiderunt. *Et alapis percutiebant;* Alij, *Illudebant:* Unde lusus ille nihil aliud fuit, quam dedisse materiam illis ridendi, vel potius irridendi, illudendi, variis probris, dictis, imò alapis, est enim *ענין*, virga vel baculo percutere, imò & alapam infligere. Hunc ludum agnouit hîc August. serm. enim 107. Adduxerunt eum inimici, ut illudrent ei.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Iamque capilli, &c.* Hic consequenter describitur ipsius A
 V. 22. *Illusio in festo Philistinorum, cum dicitur.*
MEN OC. *Iamque capilli eius renasci cœperant.* In Hebræo est:
 & cœpit capillus capitis eius germinare, sicut cum tondeba-
 tur, vel, sicut cum tonsus est. Per aliquot ergo menses,
 tres nimirum, aut quatuor fuit in carcere, neque enim
 citius ita renasci potuerunt capilli, ut diffusioris, & pro-
 lixioris Nazaræorum comæ speciem præ se ferrent. Porro
 interim dum carcere clauderetur Samson, oculis orba-
 tus, pœnitentia culpas suas eluit, ut passim tradunt Inter-
 pretes.
- LYRAN.** *Conuenerunt.* Gratias reddentes idolo suo de captione
 V. 23. *Samsonis, quam attribuebant idolo.*
MEN OC. *Dagon Deo suo.* Putant aliqui dictum esse Deum hunc
 à דגן *dagan*, quod frumentum significat, quare illum B
 Eusebius libro primo Euangel. præparationis appellat *דגן*
ægeion, Ionem aratrium, siue aratorium. Alij deducunt à
 דג *dag*, quæ vox piscem significat, quod piscis forma effin-
 geretur.
- Tradidit Deus noster, &c.* Ex quo patet sacrificium, &
 epulum Eucharisticum fuisse pro Samson capto.
- LYRAN.** *Qui delenuit terram nostram.* Per incendium terræ nas-
 V. 24. centium, ut supra dictum est cap. 15.
- Præceperunt.* Id est, materiam risus eis præberet, quia
 cæcus erat, & ideo impingebat aliquando ad parietem,
 aliquando ad columnam, & aliquando cadebat, ex qui-
 bus ridebant Philistæi.
Ante eos ludebat. Arias putat saltasse eum ridiculè, & tur-
 piter. Lyranus ait, eum, cæcorum more, huc illum impigisse
 in parietes, & columnas, interdumque cecidisse, sicque ri-
 sum excitasse. Serarius putat Philistæos Samsonem ludum
 suum fecisse eum, variis modis vexando, & percutiendo,
 quod indicant Septuaginta, qui licet dicant, ut in vulgata
 nostra, *ludebat ante eos,* addunt tamen, *εἰς ἑπάμφορον αὐτῶν,*
colaphis cadebant, alapas ei dabant.
Qui. Hic describitur mors eius & consummatio, ibi: *Di-* LYR
mitte me. Tum quia ex collisionibus prædictis erat fati- LYR
 gatus ut requiesceret, tum ut per earum impulsu cum
 Dei adiutorio de quo sperabat, domum cadere faceret:
 Ideo subditur.
Columnas quibus omnis imminet domus. Ipsum scilicet
 Dagonis templum. Solebant enim idololatræ illi in ipsis
 templis epulas instruere. Sic in fano Dei Berith inter
 epulas & pocula maledicebant Abimelech Sichimitæ su-
 præ cap. 9. v. 27.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 27. ad 31.

- V**ulg. Domus autem erat plena virorum, ac mulie-
 rum, & erant ibi omnes principes Philistinorum,
 ac de tecto, & solario, trîa millia vtriusque sexus spe-
 ctantes ludentem Samson.
- Arias.* Et satrapæ Philistiim, &c. videntium in ludendo
 Samson.
- Sept.* Et in solario circiter ter mille viri.
Cald. Omnes tyranni.
Syr. Arab. Videntium saltantem Samson.
Vulg. At ille inuocato Domino, ait: Domine Deus, me-
 mento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam
 Deus meus, ut vlciscar me de hostibus meis, &
 pro amissione duorum luminum vnam vltionem reci-
 piam.
- Pag.* Fortifica me obsecro tantum vice hâc, & vlciscar vl-
 tione vnâ de duobus oculis.
- Malu.* Obtine me obsecro tantummodo ictu isto, & vin-
 dicatus fui vindictam vnus.
- Sept.* Retribuam retributionem vnam alienigenis.
Cald. Orauit Samson ante Dominum, intret memoria
 mei nunc ante te.
- Vulg.* Et apprehendens ambas columnas, quibus inni-
 tebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram
 læua tenens.
- Pag.* Columnas medias super quas domus firma erat, &
 innixus est eis. Vna erat à dextera eius, & altera à fini-
 stra.
- Arias.* Inclinauit columnas medij.
- Malu.* Perculit duas statuas, quibus domus stabilita fuit
 super eas, & sustentus fuit super eas.
- Vulg.* Ait: Moriatur anima mea cum Philistiim, concus-
 sique fortiter columnis, cecidit domus super om-
 nes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi
 erat, multoque plures interfecit mortuus, quam ante
 viuus occiderat.
- Arias.* Inclinauit se in robore.
- Malu.* Extendit se in virtute.
- Sept. Rom.* Sustulit in fortitudine, & fuerunt mortui,
 quos mortificauit Samson in morte sua, quam quos
 mortificauit in vita sua.
- Reg.* Et fuerunt mortui quos occiderat Samson.
- Cald.* Traxit in virtute.
- Vulg.* Descendentes autem fratres eius, & vniuersa co-
 gnatio, tulerunt corpus eius, & sepelierunt inter Saraa,
 & Esthaol, in sepulchro patris sui Manue: iudicauit-
 que Israël viginti annis.
- Pag.* Et omnis domus patris eius.
- Malu.* Et leuauerunt eum.
- Arab.* Is autem iudicauerat causas Israëlitarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Apprehendens duas columnas; Alij, Inclinauit columnas medijs. Verbum נחל variè redditur. Inclinauit, complexus fuit, apprehendit, scilicet concussione. Alteram earum dextera, & alteram laua tenens; Alij, innixus est illis, &c. Verbum נחל samak, etiam inuenitur, pro innixus est, fultus, sustinebatur super illis, quasi illis cohæserit cum vi. Concussisque fortiter columnis; Alij, Extendit, declinauit in robore, id est, loco mouit, concussit columnas toto suo nisu, & fortitudine.

ANNOTATIONES.

- ME NOC.**
ψ. 27. **D**e tecto & solario circiter tria millia. Amplum admodum oportet fuisse templum hoc, è cuius tecto tria spectatorum millia ludum Samsonis spectare potuerunt: quanto plures caperet reliqua tecti planities, ex qua in inferiorem aream prospectus non erat? Quot in inferioribus contignationibus, quot in subiecta area erant Philisthæi? Porrò tecta in Palæstina plana erant, vt in illis commodè consistere, & ambulare liceret. Vide dicta lib. Iosue cap. 2. num. 4.
- LYRAN.**
ψ. 28. **A**t ille. Quia videbat quoddam eius illusio reuertebatur in opprobrium diuinum, eò quoddam captio Samsonis attribuebatur Idolis, & de hoc Idola laudabantur ab Idololatriis.
Vt ulciscar me de hostibus. Hoc enim dixit non liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ, & honoris diuini nominis. Ita quoddam Philisthæi Deum blasphemabant, idola laudando, ideo non peccauit, Philisthæos occidendo, nec etiam occidendo se cum ipsis, prout subditur.
- LYRAN.**
ψ. 30. **M**oriatur. Et accipitur hinc anima pro toto composito, quod est corruptibile, licet anima sit immortalis. Non enim Samson intendebat se occidere per se, sed tantum per accidens, quia non poterat blasphematores diuini nominis occidere, nisi seipsum cum eis occidendo. Præterea voluntas Domini erat, quod hoc fieret, quod patet per hoc quod fortitudinem miraculosè sibi reddidit ad hoc faciendum. Quilibet autem debitor est mortis ipsi Deo, & hoc debitum potest repetere quando vult, & quomodo vult: Et ideo Samson non peccauit, se cum alijs occidendo ex Dei voluntate & instinctu diuino. Credendum est etiam quoddam de peccatis prius perpetratis penituit, & quoddam illa mors pœna peccatorum suorum fuit, quam non solum acceptauit, sed etiam pro ea Dominum rogauit, & ideo computatur in catalogo sanctorum ad Hebr. 11.
- MENOC.** **M**oriatur anima mea cum Philisthim. Non peccauit Samson se communi illi ruinæ exponendo, sibi que modo illo mortem consciscendo, peculiari enim Dei afflatu, vt ita faceret, excitatus est. Nec Samson directè, primariò, ac per se suam ipsius mortem spectauit, sed hostium suorum & populi Israëliti, itaque mortem suam indirectè tantum voluit, qua ratione eum excusant Caiet. Abulensis qu. 54. Serar. qu. 31. & alij.
- TIRINVS.** **M**oriatur anima mea cum Philisthim.] Oratio hæc partim votiuu est, partim concessiuu. Nam vouet, moriantur Philisthæi qui è portibus & tecto seu solario templi prospectabant. Concedit autem, vt ipse eadem cum ipsis ruina templi obruatur: quasi dicat. Opto & rogo Philisthæos obrui ruina templi: & hoc vt fiat, non recuso; quin & ego cum iis simul obruar: *Quemadmodum princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit,* vt inquit Caietanus. Vnde patet, non peccasse hic Samsonem; sed egregium heroicæ fortitudinis actum exercuisse: & hoc nomine meritò laudari à san-
- A**to Paulo ad Hebræos 11. Neque etiam propriè aut directè sese occidit: sed solùm indirectè & permissiuè; eadem clade, quam iustè inferebat hostibus, & ipse euadere non poterat, sese inuolui permittendo. Ita Caietanus, Lyranus, à Victoria, Soto, Lessius, Serarius & alij Doctores. Addit S. Augustinus, ipsum speciali Dei instinctu id fecisse: vt colligitur ex pristino supernaturali robore hunc in finem illi iam penitenti calitus restituto. Quin & Martyrem facit sanctus & vetus author Bachiarius. Quoddam verò collisu duarum tantummodò medianarum columnarum prostrati potuerit tam vastum templum, nulli mirum videretur, qui meminerit theatri Curionis vni solummodo nixi columnæ, & alterius amphitheatri non nisi duabus suffulti: de quo Plinius: *Quid enim, ait, miretur quisquam in hoc primum? Inuentorem, an inuentum? Artificem, an authorem? Ausum aliquem hoc excogitare & inbere, an suscipere & parare? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. Ecce populus vniuersus binis cardinibus sustinetur, periturus momento laxatis machinis.* Hæc Plinius. Et viderat sæpius olim Samson formam illius templi, notaratque columnarum, & crassitiem, & interuallum. Et iustus erat prætextus quo à famulo peteret, illis potius crassioribus columnis, quam alijs tenuioribus innitit: nam homini fesso, quo crassius, in quod recumbat, fulcrum occurrit, eò gratius, & ad quietem aptius est.
- C** Allegoricè Samsonem in ortu, in pueritia, nuptiis suis, leone, apibus, asini maxilla, & fonte ex ea prognato, Gazæis portis, coma detonsa, pistrino, templi Dagon euerfione, & omnibus vitæ suæ gestis, & maxime vltronea stupendaque morte Christum præfigurasse, notius est quàm vt debeam commemorare. Sed fusè commemorat Serarius ex sancto Augustino, Ruperto, Beda & alijs sanctis Patribus. Idem ex eodem S. Augustino, Eusebio Philastro & alijs, docet, *Herculem*, de quo tam multa; tam stupenda apud Gentiles, non alium fuisse, quàm nostrum Samsonem. Sanè tempus quo fuisse Herculem Plutarchus, Apollodorus, Diodorus Siculus, & penè omnes Græci affirmant, item rerum gestarum similitudo, vt alia omittam, illi sententiæ valde fauent. Vide etiam Pererium in Gen. 49. vbi etiam exponit qua ratione Samson ex vaticinio Patriarchæ Iacob, Philisthæis fuerit *coluber in via, cerastes in semita, &c.* vt ibidem explicui.
- D** *Descendentes autem fratres eius, &c.* Si fratres intelliguntur germani, aut vterini, discimus ex hoc loco matrem Samsonis ita ex sterili factam fuisse fecundam, vt post eum etiam alios genuerit liberos, sicut & de Anna Samuelis matre legitur 1. Reg. 2. Sed nihil vetat intelligi fratres patrueles, aut consobrinos, quomodo in Euangelio aliquoties vocantur fratres Christi, & Abraham ad Loth nepotem suum dicit Gen. 13. *Fratres enim sumus.*

ESTIVS.
 ψ. 31.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS.

Mater Michæ conflat filio idolum: cui ille primò filium suum, deinde Leuitem Bethlemiticum praeficit sacerdotem.



Vit eo tempore vir quidam de monte Ephraim, nomine Michas, 2. qui dixit matri suæ: Mille & centum argenteos, quos separaueras tibi, & super quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino. 3. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecraui & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile atque conflatile: & nunc trado illud tibi. 4. Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. 5. Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit Ephod, & Theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola: impleuitque vnus filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos. 6. In diebus illis non erat rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. 7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius: eratque ipse Leuites, & habitabat ibi. 8. Egressusque de ciuitate Bethlehem, peregrinari voluit vbicumque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens: & declinasset parumper in domum Michæ, 9. interrogatus est ab eo vnde venisset. Qui respondit: Leuita sum de Bethlehem Iuda, & vado vt habitem vbi potuero, & vtile mihi perspexero. 10. Dixitque Michas: Mane apud me, & esto mihi parens ac sacerdos: daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria. 11. Acquieuit, & mansit apud hominem, fuitque illi quasi vnus de filiis. 12. Impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se. 13. Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus, habenti Leuitici generis sacerdotem.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim, nomine Michas.

Pag. Fuit autem vir, &c. nomen eius Michaëhu.

Sept. Michæas.

Syr. Micha.

Vulg. Qui dixit matri suæ: Mille & centum argenteos, quos separaueras tibi, & super quibus, me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino.

Pag. Mille & centum argentei, qui ablati fuerunt à te, & maledixisti, & dixisti in auribus meis, ecce argentum meum est, & accepi illud, & dixit: Benedictus fili mi à

Domino.

Arias. Mille & centum argentum quod cæptum est tibi, & tu adiurasti.

Caiet. Et tu iurasti maledicendo.

Tigur. Et tu diris deuouebas te & loquebaris me audiente, en ea pecunia mecum est, ego surripui eam.

Sept. Rom. Mille & centum quos accepi argenti tibi ipsi, & me maledictis adiurasti.

Reg. Mille & centum argenteos sublatos tibi, & adiurasti, ecce argentum apud me,

Cald. Mille & centum Zzileghin.

Arab. Sici.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fuit eo tempore vir; Alij, Fuit vir, nulla temporis factâ mentione, & sic de quo tempore hîc agitur, dubium est. Quos separaueras tibi; Alij, Qui surrepti sunt tibi. Quos furto amiseras, sed versio Interp. est clarior, imò & Sept. & Hebr. conformior, cuius sensus est, quos separaueras vel in certos vsus vel ad incertas occasiones, nulla facta mentione alicuius furti. Imò & ex Hebr. est, mille & centum argenti, quod acceptum est tibi, seu qui accepti sunt tibi; quæ verba rectè explicari possunt, ita vt illud quod acceptum est tibi, reddatur, quod à te sumptum est, & in tuos vsus sepositum. Et super quibus me audiente iuraueras; Alij, Et maledixisti. & iurasti in auribus meis, me maledictis adiurasti, quorum verborum, licet non idem sit sensus, sed verior mihi videtur esse, quòd hæc mulier seposuerat argenteos ad suos vsus, quos filius inueniens accepit, non animo eos furandi, sed seruandi, & postea restituendi. Mater non inueniens, adiurauit filium vt diceret, numquid de argenteis sciret, filius ingenuè fatetur se eos inuenisse, & apud se habere, vnde hîc iurare, idem est, quod adiurare, seu per adiurationem, quæ etiam cum aliqua execratione coniuncta sit, veritatis confessionem exprimere.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. I.

Fuit eo tempore vir. Hæc est vltima pars principalis huius libri in qua agitur de quibusdam casibus tempore Iudicum accidentibus. Et sunt tres casus. Secundus ponitur cap. 19. tertius ponitur in libro Ruth, qui secundum Hebræos antiquos non est liber distinctus à libro Iudicum: vt patet per Hieronymum in prologo

A galeato. Circa primum dubitatur quo tempore accidit casus Michæ. Et dicunt expositores nostri communiter, quod accidit post mortem Iosué antequam surgerent iudices, & ad hoc probandum inducunt quod hîc bis dicitur. In diebus illis non erat rex in Israël, &c. quia tunc non erat rex vel iudex qui errata corrigeret. Dicunt etiam quod hæc

historia hic describitur ad ostendendum necessitatem dandi iudices Israël ad corrigendam errata. Sed istud dictum non videtur multum valere. Tum quia sicut dictum est, plures iudices præerant per modum directionis & consilij, non per modum dominij: propter quod non habebant efficaciam corrigendi: sed reges eis succedentes habuerunt auctoritatem & potestatem subditos coercendi. Causa etiam suscitandi iudices inducta non habetur præcedentibus, quia ubicunque scriptura dicit: *Suscitavit eis Dominus talem*, vel talem iudicem, præmittitur pro causa eius suscitationis tribulatio in qua erat populus Israël: ut per iudicem suscitatum liberaretur. Hebræi verò dicunt, quòd factum Michæ contigit sub Othoniel, qui successit Iosué. Et ad hoc probandum inducunt quod scribitur in fine cap. 18. *Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo.* Hoc tempus incepit ante mortem Iosué: ut habetur Iosué 18. Tempore autem Iosué non declinaverunt ad idololatriam, ut habetur supra cap. 2. Et ideò dicunt quòd hoc accidit in principio temporis Othoniel, quod fuit propinquius positioni tabernaculi in Silo post tempus Iosué. Igitur circa historiam Michæ sic proceditur: quia primò describitur idololatriæ perpetratio. Secundo idololatriæ spoliatio, cap. 18. Circa primum præmittitur fabricatio idoli. Secundo subditur abusus sacerdotij, ibi: *Implevitque.* Circa primum, quia litera est intricata, considerandum, quòd mater Michæ consecraverat summam pecuniæ pro fabricatione idoli. Michas autem volens illam in alios usus expendere, subtraxit illam occultè: postea verò pœnitens: tum quia & ipse idololatra erat, tum quia maledictionem matris timebat, quæ illi qui pecuniam subtraxerat frequenter maledicebat: dictam pecuniam matri restituit: ut inde fieret quod ipsa promiserat. Et hoc est quod dicitur.

Fuitque eo tempore vir. Hoc non refertur ad tempus Samsonis de quo immediatè supra dictum est: quia factum istud accidit longè antè, scilicet immediatè post mortem Iosué, ut prædictum est, sed refertur in generali ad tempus Iudicum: tamen intelligitur pro prima parte illius temporis.

EST IVS. *Fuit eo tempore vir quidam.* Quidam dicunt historiam hanc accidisse mortuo Samsonè, dum interregnum esset. Sed non apparet. Si enim usque ad ætatem Samsonis tribus Dan sortem suam plenam non accepisset, ut narratur capite proximo, certè sub Samsonè homine suæ tribus, eoque iudice populi, ac viro fortissimo, curasset sibi suppleri quod deerat; neque tum demum cum ipse mortuus esset.

Deinde constat hæc acta esse tempore Jonathan filij Gersam, filij Moyfi: is enim fuit Leuites ille, quem sibi Michas fecit sacerdotem, ut liquet ex proximo capite. Idem ille Jonathan semel & iterum vocatur puer, id est, adolescens. Quare melius sentiunt, qui dicunt hanc historiam accidisse ante vel post tempora Othonielis, de quo capite tertio huius libri. Non constat autem satis, vtrum hæc prior sit ea historia quæ narratur capite decimo nono & vigesimo, an posterior, de quo vide ad caput vigesimum.

MENOC. *De monte Ephraim.* Mons dicitur non pro montosa regione, seu pro parte illa tribus Ephraim, quæ montibus pluribus constabat. Adrichomius in Ephraim numero 39. montana hæc novem millia passuum circiter tenuisse affirmat.

TIRINVS. *Eo tempore.* Scilicet quo aliquid horum contigit quæ toto libro Iudicum recensentur. Nam secundum Iosephum, Lyranum, Abulensem, Masium & Riberam hæc Michæ historia contigit paulo post mortem Iosué, ante primum iudicem Othonielem, & colligitur ex capite sequenti versu trigesimo. Et hoc verisimilius est, quàm quod Arias, & Gramaye, & Serarius cum plerisque Notatoribus volunt, accidisse post mortem Samsonis, eodem ordine quo hic recensetur. Est verò hæc historia. Vidua quædam dives, sed superstitiosa & idololatræ, certo domus loco seposuerat, vel (ut Serarius putat veriti posse) filio in depositum tradiderat mille & centum

Tom. IV.

A siclos argenteos, seu florenos Belgicos, qui faciunt scuta Italica vulgatæ monetæ 440. Hanc pecuniam filius eius Michas vel clam surripuerat, vel depositam apud se nolebat matri reposcenti reddere. Mater in furem acrius inuecta, iurat, id est, diris deuouet furem, mille capitum ipsius pestes, ærumnas, mortes ac gehennas imprecando. Michas his territus, matri nummos redhibet: sed mox ipsa iubente, curat inde confici *sculptile atque conflatile.* Hoc est, statuas duas argenteas, vnam sculptam & dolatam: alteram opere fusili conflata. Curat item *Ephod*, id est, vestem sacerdotalem, sub qua comprehenduntur omnes aliæ vestes sacræ & suppellectilia ad sacrificiump necessaria. Atque ita fecit sibi *theraphim*, id est, idola è quibus diuinitio & futurorum prænotio petebatur. Colligitur ex v. s. capitis sequentis & Ezech. 21. v. 21. Zach. 10. v. 2. Et Rabbinæ passim explicant, *theraphim*, esse *imagines futura prænuntiantes.* Ita Serarius.

B Porro ad sacrificia his idolis offerenda, Michas duorum dicitur hic *impleuisse manus*, id est duos creasse sacerdotes. Nam ut ex Leuitico colligitur, ut quis sacerdotio initiaretur, opus erat duplici manus impletione, vna *oleo sacro*, quo manus inungebantur; altera *sacrificio* seu victima, quam manu tenebat, & Deo offerebat qui sacerdos initiabatur.

C Porro primo loco in sacerdotem delegit Michas *unum*, seu primum *filiorum suorum*, id est primogenitum suum, cui iure naturæ deberi videbatur hæc prærogatiua. Secundo, ad idem munus pretio conduxit Leuitam quendam nomine Ionatham habitatione Bethlemitam, ex cognatione Iuda, ut est hic in Hebræo; nam maternum genus trahebatur ex tribu Iuda, conformiter iis quæ dixi cap. vlt. libri Numerorum. Eratque hic Ionatham (quod magis mire) nepos Moyfi, filius Gersam, vel, ut iam Hebræa & Chaldæa legunt, Gersom, primogeniti filij Moyfi, ut patet Exodi secundo, versu vigesimo secundo, nobilissimi ac sanctissimi ducis impius & degener nepos: ut solent summorum quandoque virorum filij aut nepotes euadere perditissimi. exempla vidimus in Cain, Ismaele, in filiis Heli, Samuelis, & aliis. Vide Lampridium. Porro cum sacrificus hic idololatra nepos Moyfi dicatur fuisse tum *adolescens* cum hæc acciderent; colligi inde videtur, hæc non diu post mortem Iosue contigisse, ut Iosephus & alij supra citati contendunt.

Mille & centum argenteos. Ex hoc dixerunt aliqui, quòd **LYRANVS.** ista mater Michæ fuit Dalila, & quod ista pecunia fuit illa quam recepit pro prodicione Samsonis, ut dictum est cap. præced. sed hoc patet falsum, tum quia istud factum contigit diu ante tempus Samsonis & Dalilæ: ut iam dictum est: tum quia summa pecuniæ non est eadem hic & ibi: quia ipsi Dalilæ dederunt satrapæ Philistinorum singuli mille & centum argenteos: erant autem quinque, & sic summa illius pecuniæ ascendit ad quinque millia & quingentos argenteos: hic autem ponuntur tantum mille centum argentei.

Quos separauerat. Scilicet, à communibus vsibus idolo dedicandos.

Et super. Id est, voto & iuramento promiserat, secundum expositores nostros. In Hebræo autem habetur: *Me audiente maledixerat*, scilicet, ei qui pecuniam abstulerat.

At illa. Quia videbat quod eius delusio reuertebatur in **EST IVS.** opprobrium.

E *Benedictus filius meus Domino:* Et mox versu tertio, *Consecraui & voti hoc argentum Domino.* Vtque loco in Hebræo est nomen Dei tetragrammaton seu *Iehouah.* Putat quidem Ribera super Malach. secundum illud etiam aliquando tributum idolo. Sed Origenes homilia decima quarta in Numeros dicit, ubicunque ponitur nomen Iehouah, nullam esse dubitationem, quin de Deo vero agatur. Erat itaque hæc mulier cultrix veri Dei, sed tamen simul colebat idola, id est, sculptile & conflatile. Quomodo & populus Israël, postquam à regno David fuit separatus, ita mansit in cultu veri Dei, quem Iehouah appellabant, ut simul coleret vitulos aureos à Ieroboam erectos.

MENOC.

Qui dedit matri suæ. Nullus hîc mulieris huius maritus proditur, itaque vidua fuisse videtur, & etiam anus, quippe quæ ex filio nepotes habuit, quorum vnus sacerdos domesticus constitui potuit.

Mille & centum argenteos. Siclos scilicet, qui ferè quingentos efficiunt coronatos, vt notat Salianus.

Quos separaueras sibi. Seposueras, vel in vsum incertum si quis casus incidere, vel certum & definitum, ad idolorum scilicet fabricam.

Me audiente iuraueras. Illos numini addicens addita

A iurandi religione.

Ecce ego habeo. Apud me depositi sunt. Tu quid ex illis fieri velis, statue.

Benedictus filius meus Domino. Propterea filio benedicit, quod pecuniam repræsentet fideliter, quod verò dicitur in vulgata, *Domino*, in Hebræo est, *Iehonab*, quæ vox licet sit veri Dei nomen, ea tamen superstitiosa mulier abutebatur ad falsos Deos honorandos, quibus erat addicta.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 3. 4. & 5.*

Vulg. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecraui & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile atque conflatile: & nunc trado illud tibi.

Pag. Sanctificando sanctificaui argentum de manu mea, filio meo, &c. nunc restituam illud tibi.

Tigur. Sculptile & fusile.

Malu. Reuertere fecit mille, &c. ad facere dedolatum, & fusionem.

Sept. Reg. Sanctificationem sanctificaui.

Cald. Ad faciendum symulachrum & fusum.

Arab. Vt faciam idolum fusile, sculptile, nec conuertam illud in vsum meum.

Vulg. Reddidit igitur eos matri suæ, quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

Malu. Reuertere fecit argentum matri suæ, &c. & dedit illud vrenti, & fecit illud dedolatum, & fusionem.

Sept. Sumpsit mater eius ducentos argenti.

Reg. Ex argento, & dedit id ei qui conflavit.

Cald. Dedit illud redemptori, & fecit illud symulachrum & fusum.

Arab. Qui fabricauit ei Idolum, fusum, sculptum, & statutum fuit idolum illud in domo Michæ.

Vulg. Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit Ephod & Theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola, impleuitque vnus filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos.

Pag. Viro autem Michali fuit domus Dei, &c. & consecrauit manum vnus de filiis suis.

Arias. Et vir Michah ei domus deorum, fecitque superhumeralale.

Sept. Rom. Et domus Michæ ipsi domus Dei.

Cald. Domus erroris, fecit Ephod, & similitudines, & obtulit oblationem vnus.

Syr. Vir iste habebat fanum deorum, fecit Ephod & Pallium, & consecrauerat vnum, &c.

Arab. Et vero Micha destinauerat in domicilio suo, fecerat ædem Deo, feceratque tunicam, ac thoracem, quibus induuntur sacerdotes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Faciat sculptile atque conflatile; Alij, *Symulachrum & fusum.* Aliqui arbitrantur vnum idemque esse sculptile, atque conflatile, sed alij verius duo esse distincta asserunt. Aliud enim est conflatile, quod fusorio opere fit, aliud sculptile, quod incisivè fit. *Nunc trado illud tibi;* Alij, *Restituam:* sic enim in Hebr. & Sept. in futuro: Vnde illud trado, id est tradam cum restitueris. *Qui ædiculam Deo separauit;* Alij, *Habebat fanum deorum:* est enim hîc Elohim, quod non tantum Deo vero, sed etiam Idolis, aut falsis diis, aut creaturis etiam aliis tribuitur, vnde etiam cum in ea domo non fuerit vnicum Idolum, sed plura, fanum deorum potuit nuncupari. *Fecit Ephod;* Alij, *Superhumeralale.* Vide Concord. vers. 6. cap. 26. Exodi. *Et Theraphim;* Alij, *Similitudines.* Vide Concord. vers. 19. cap. 31. Genes. & alibi. *Impleuitque vnus filiorum suorum manum;* Alij, *Consecrauit manum, &c.* Vide Concord. vers. 41. cap. 28. Exodi.

ANNOTATIONES:

LYRAN.
v. 3.

Reddidit ergo. Id est, reddere promisit, quia de redditione actuali postea agitur.

Quæ dixerat. Scilicet antequam confiteretur pecuniam se habere: secundum istam literam, in Hebr. habetur: *Et dixit ei;* scilicet post confessionem pecuniæ.

Consecraui. Dominum vocat falsum Deum quem colebat.

Vt de manu. In hoc explicat modum voti sui, sic enim vouerat quod de manu sua argentum traderet filio, vt inde faceret fieri idolum.

Et nunc. Id est, statim cum mihi reddideris pecuniam secundum formam voti mei, statim tradam eam tibi ad faciendum quod voui.

MENOC.

Faciat sculptile atque conflatile. Duplex idolum, alterum sculptum ex marmore, alterum ex argento arte fusoria.

Et nunc trado illud tibi. Volunt aliqui esse verba filij restituentis matri nummos, quia sequitur. *Reddit igitur eos matri suæ.* Alij malunt esse verba matris, vt sensus sit, *Trado tibi, Dono tibi: Retine, si eos haberem iam tibi redderem, vel eos tamen tibi reddam, & sic Septuaginta qui habent *Trado tibi restituam.**

LYRAN.
v. 4.

Reddidit igitur. Scilicet ipse Michas.

Matri. Redditione actuali.

Quæ tulit. Residuum autem pecuniæ fuit consumptum

in aliis quæ pertinebant ad cultum illius idololatriæ vt pote in ædícula, Ephod, & consimilibus, de quibus postea subditur.

Et dedit. Non per manum propriam, sed per manum filij sui secundum formam voti prædictam.

Vt faceret ex eis sculptile, &c. Dicunt aliqui quòd fuit vnum idolum, quod vocatur hîc sculptile & conflatile, id est, factum per fusionem & conflationem, quia metallâ prius calefiunt in igne & postea malleo tunduntur: vt ex eis aliquid facilius formetur. Alij autem dicunt, quod fuit duplex idolum: vnum per sculpturam, quod notatur cum dicitur hîc, sculptile: Aliud per staturam, quod notatur per hoc quod dicit, conflatile.

C *Quæ tulit ducentos argenteos.* Reliqua pecuniæ summa in ædícula construenda, Ephod, reliquoque idolo sacro instrumento videtur insumpta. MENOC.

Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit Ephod, & Theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola: impleuitque vnus filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos. Idolo dedicando & ab aliis vibus separando & vocatur hîc idolum Deus. Et in tota historia hoc nomen Deus vel Dominus pro Deo falso accipitur Excepto quod in fine dicitur: *Omni tempore quo fuit domus Dei in Silo; hîc enim accipitur pro vero Deo.* LYRAN.
v. 5.

Et fecit Ephod & Theraphim. Quod autem sequitur. *Id est, vestem sacerdotalem, & idola.* Non est in Hebræo: sed appositum fuit à translatore ad exprimendum interpretationem Ephod & Theraphim. Ephod enim est idem quod superhumeralis, vt habetur Exod. 28. Et est vestis principalis summi sacerdotis, & per ipsam intelliguntur hinc alia vestimenta sacerdotalia, quæ fecit Michas, vt dicunt expositores communiter. Si autem per Theraphim hinc intelliguntur idola in plurali, nescio. Dicunt tamen Hebræi quod Theraphim est caput pueri primogeniti dæmoni immolati, quod aromatibus conditur, vt possit diu permanere sine putrefactione, & super linguam eius in lamina aurea parua ponitur nomen dæmonis, & sic dat responsa, prout dictum est diffusus Gen. 3. Et huic dicto videtur concordare illud quod habetur seq. cap. Nostis quod in domibus istis sit Ephod, & Theraphim, & sculptile, atque conflatile. Ita quod Theraphim, videtur esse aliud à duobus idolis prædictis, quorum vnum fuit factum per fufuram, aliud per sculpturam, vel aliud ab vno duobus modis factum, vt prædictum est.

Impleuitque. Hinc consequenter describitur abusus sacerdotij duplex: Primò, quia fecit sibi sacerdotem vnum de filiis suis, quod notatur, cum dicitur. *Impleuitque.* Id est, obtulit ad manum eius oblationem, vel sacrificium per eum offerendum tanquam per sacerdotem. Ideo subditur.

Et factus. Cum tamen nullus esset promouendus ad sacerdotium, nisi de filiis Aaron. Michas autem non erat de illa, sed de tribu Ephraim: secundò, quia fecit sibi sacerdotem de tribu Leui, sed non de filiis Aaron, quod nota-

tur, cum dicitur.

Impleuitque vnus filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos. Et similiter in fine capitis. *Et impleuit Michas manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se.* Quid sit implere manum, vide explicatum Exodi 29. Quod autem puerum dicit, quem antea dixerat adolescentem, (quamuis in vtroque loco Hebræicè est puer) per puerum intelligit adolescentem, quomodo & Dauid puer dictus est, quando pugnavit contra Goliath, & Salomon quando iniuit regnum. Sacerdotem autem vocat Michas, non quod verè fuerit sacerdos (erat enim nepos Moyfi, vt patet cap. seq. v. 30. & proinde Leuita tantum, non etiam sacerdos) sed quia Michas eo vsus est vt sacerdote. Quod quidem eo fecit libentius, quod intelligeret eum Leuitam esse, hoc est, saltem de tribu, etsi non de stirpe sacerdotali, cum prius sacerdote vsus fuisset ne quidem Leuita: quod declarant hæc eius sequentia verba. *Nunc scio, quod benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis sacerdotem.*

Ephod. Vide dicta supra cap. 8. Num. 27.

Theraphim. Idola. Septuaginta vocem Hebraicam modo vertunt ἰδωλα idola, modo γλυπτῶν, sculptilia.

Impleuitque vnus filiorum suorum manum. Implere manum, est sacerdotio intiare: Implentur autem vel oleo quo consecrantur, vel victima, aut re oblata, quam dum manu apprehendebant, Deoque offerebant, sacerdotes fiebant.

Factus est ei sacerdos. Vt superstitiosus erat ille cultus, & idololatricus: sic sacerdos malè, & non legitime promotus.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad 13.

Vulg. In diebus illis non erat rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Malu. Vir rectum in oculis suis faciet. *Sic Cald.*

Arab. Quilibet eorum faciebat quod libebat.

Vulg. Fuit quoque alter adolescens de Bethleem Iuda, ex cognatione eius, eratque ipse Leuites, & habitabat ibi.

Pag. De familia Iehuda, & ipse peregrinabatur ibi.

Malu. Et fuit excussus, &c. & ipse Leuita ibi.

Sep. Et hic incolebat ibi.

Cald. De prosapia Iehuda, & ipse hospes ibi.

Syr. & Arab. Cuius nomen Leui, quique degebat in Bethleem.

Vulg. Egressusque de ciuitate Bethleem, peregrinare voluit, vbicumque commodum reperisset, cumque venisset in montem Ephraim iter faciens, & declinasset parumper in domum Michæ,

Pag. Ad faciendum iter suum.

Malu. Et ambulauit vir de vrbe, detrahente, secundum quod inueniet, &c. ad facere viam suam.

Cald. Ad hospitandum in loco, quem inueniet.

Syr. Vsque ad domum Michæ animo conficiendi iter suum veniet, &c. ad facere viam suam.

Arab. Recepit se domum Michæ scopum itineris sui.

Vulg. Interrogatus est ab eo, vnde venisset, qui respondit, Leuita sum de Bethleem Iuda, & vado vt habitem vbi potero, & vtile mihi esse perspexero.

Pag. Vado ad peregrinandum vbicumque inuenero.

Malu. Ego ambulans ad trahere in quo inueniam.

Sep. Ad incolendum.

Cald. Ego ambulans ad hospitandum.

Vulg. Dixitque Michas: Manè apud me, & esto mi-

hi parens ac sacerdos, daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria.

Pag. Esto mihi pro patre, & sacerdote, &c. & annuatim & ordinem vestimentorum, & victum tuum, & perrexit Leuita.

Tigur. Decem argenteos cum fuerit opus, & demensum vestimentorum tuorum, & alimoniam tuam.

Malu. Dabo tibi decem argenti diebus, & ordinem vestium, & viuificationem tuam.

Sept. Rom. In diem & stolam vestimentorum.

Reg. In dies, & par vestium.

Arab. Impendas quotidie decem siclos, & vestitum, &c. tibi præbebo.

Vulg. Acquieuit, & mansit apud hominem, fuitque illi quasi vnus de filiis.

Arias. Et voluit Leuita manere cum eo, & fuit puer.

Malu. Et resoluit Leuita ad habitare ad virum, & fuit excussus eius.

Septuag. Et iuit Leuita, & cæpit incolere apud virum.

Cald. Et voluit ad sedendum cum viro.

Vulg. Impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se.

Pag. Obtulit oblationem Leuitæ.

Malu. Et fuit ei excussus sacerdoti.

Cald. Obtulit oblationem Leuitæ.

Syr. Tunc perfectam reddidit manum.

Arab. Perfecit manus officio sacerdotali.

Vulg. Nunc scio dicens quod benefaciet mihi Deus, habenti Leuitici generis sacerdotem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

EX cognatione eius, Alij, De Bethleem Iuda, de familia Iuda. Scilicet quoad maternum genus, nam secundum paternum, erat ex tribu Leui, cum dicatur Leuites. Per annos singulos, Alij, Diebus, in diem, quotidie, quod contrarium videtur esse Vulg. habenti per annos singulos, vel vt Pag. *Annuatim.* Sed apud Heb. frequens est, vt dies plurali uumero pro anno ponantur, vnde illud in dies, rectè vertit per annos. Et si dicas Sept. Rom. habere in diem, non in dies, & Arab. quotidie, dicendum est suspensionem esse de mendo in Sep. Rom. cum in alijs Codicibus Græcis non sit *ἰς ἡμέρας*, sed *ἑμέρας*. Arab. autem non rectè, nisi per illud quotidie velit intelligere in dies, vt habet Arab. *Et vestem*

duplicem, Alij, Ordinem, ordinationem vestium. Sed ordo est inter plura, minimum duo. Rectè autem Vulg. hunc ordinem definit. Sic Cald. Sic Sep. Reg. *Par vestium:* Neque aridet illud apud Sep. Rom. *στολιῶν ἱματίων, Stolum vestimentorum.*

ANNOTATIONES.

MENOC.
V. 6.

IN diebus illis non erat rex in Israël, &c. Hæc accidisse putat Serarius quæstione 14. in hoc caput, post Samsonis mortem, antequam Heli ad Reipub. gubernationem esset admotus. Salius verò hæc refert in tempus, quod Iosué mortem consecutum est, quæ opinio est etiam Lyranii, Abulensis, Masij, & Riberæ, quos citat Serarius loco indicato.

Vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quod propterea dicitur, vt intelligatur mirum non fuisse, si anarchiæ tempore inuenti sint qui talia impunè auderent.

LYRAN.
V. 7.

Fuit quoque. Hoc dicitur ad differentiam alterius Bethleem, quæ erat in tribu Zabulon, vt habetur Iosué 19.

Ex cognatione. Scilicet ipsius Michæ, vt dicunt aliqui. Sed hoc est falsum, quia in Heb. habetur, *Ex cognatione Iuda.* Mulieres enim quæ non succedebant in hæreditate paterna, poterant contrahere cum viris alterius tribus, vt dictum fuit Num. vlt. Et ideo mater istius Leuitæ fuit de tribu Iuda, pater autem de tribu Leui. Dicitur etiam de Bethleem Iuda, quia tribus Leui, per omnes tribus erat dispersa, vt dictum fuit Iosué 21.

MENOC.

Alter adolescens. Dicitur alter, propter adolescentem Michæ filium sacerdotem, cuius paulo ante facta est mentio, num. scilicet 5. Is vero, de quo hîc agitur, non hoc tantum loco, sed etiam cap. seq. num. 3. & 15. adolescens dicitur, & à LXX. hoc quidem loco *uarias*, sequenti vero *uarias*, quæ voces iuuenem significant. Videtur fuisse cælebs, quia cum de stipendio ipsius agitur numero 10. eius tantum sustentationis, ac vestitus mentio fit, non autem vxoris, aut filiorum. Postea vero apud Danitas vxorem duxit, filiosque procreauit cap. 13. num. 30.

De Bethleem Iuda ex cognatione eius. In Hebræo est. *De Bethleem Iuda de cognatione, seu familia Iuda,* de ea nimirum Bethleem, quæ est in cognatione, familia, seu tribu Iuda. Alia enim Bethleem est in tribu Zabulon, Iosué 19. 15.

Eratque ipse Leuites. Imo Mosis ipsius nepos, quippe

A filius Gersan filij Mosis, vt patet ex cap. 18. seq. Num. 30. nomenpe illi erat Ionathan.

Egressusque. Quia filij Israël iam declinauerant ad idololatriam, nec reddebant decimas, ad sustentationes Leuitarum, vt tenebantur: & ideo Leuitæ cogebantur quærere victum per alium modum. Cætera patent vsque ibi.

Peregrinari voluit. Pauper erat, quia cum Leuitis nulli essent agri, & populi pietas ac religio in Deum refraxisset, pauci etiam erant redditus, quibus sustentarentur Leuitæ, qui alioqui vigente pietate non sufficientes tantum erant, sed abundantes. Ingenio etiam Leui, & inconstanti, & quod deterius est, à suorum pietate ac religione degenerante Leuites hic fuit.

Esto mihi parens, ac sacerdos. Leuita isto senior erat Michas, cum tamen parentem vocat honoris causa, sic religiosi sacerdotes patres appellantur.

Decem argenteos. Siclos nimirum. Non semel dixi siclum vnum argenteum, quatuor argenteis regalibus Hispanicis æquiuale.

Vestem duplicem. Quarum altera hyemali tempori, altera æstiuo conueniens sit, vel quarum altera domi vtaris, altera cum domo est prodeundum, præsertim diebus festiuis, ac proinde elegantior, & pretiosior.

Fuitque illi quasi. Tenebat enim eum in domo sua honorificè, nec occupabat illum operibus seruilibus.

Impleuitque. Exponatur sicut prius.

Nunc scio. Licet enim esset idololatra iste Michas, & coleret Deum falsum, utpote dæmonem in idolo, tamen credebat quod obsequium sacerdotis de stirpe Leui, esset ei magis placitum, quam de altera tribu.

Nunc scio quod benefaciet mihi Deus, &c. Contrarium potius timendum, peccata sua, si saperet, reputanti, nam erat idololatria, sacerdotem filium nullo iure, imò contra leges constituere: Leuitam inuitauerat vt sibi esset sacerdos, quod fas non erat, cum non esset de filiis Aaron, sed Mosis: Tandem Leuitam hunc ad idola colenda, dato pretio, traduxerat, quæ omnia grauissima erant crimina, & quæ diuinam vindictam prouocarent.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Sexcenti viri de tribu Dan, dum sua dilatatum eunt pomeria, ex itinere suum Michæ idolum cum sacerdote eripiunt, & in captam recens urbem Lais transferunt.



1. **I**N diebus illis non erat rex in Israël, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea: vsque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat. 2. Miserunt ego filij Dan, stirpis & familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa & Esthaol, vt explorarent terram, & diligenter inspicerent: dixeruntque eis: Ite, & considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, & intrassent domum Michæ, requieuerunt ibi: 3. & agnoscetes vocem adolescentis Leuitæ, vtentesque illius diuersorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? Quid hîc agis? Quam ob causam huc venire voluisti? 4. Qui respondit eis: Hæc & hæc præstitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt sim ei sacerdos. 5. Rogauerunt autem eum, vt consuleret Dominum, vt scire possent an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum. 6. Qui respondit eis: Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, & iter quo pergitis. 7. Eunt igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea absque vlllo timore, iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum & quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, & procul à Sidone atque à cunctis hominibus separatum. 8. Reuersique ad fratres suos in Saraa & Esthaol, & quid egissent sciscitantibus responderunt: 9. Surgite, ascendamus ad eos: vi-

dimus enim terram valde opulentam, & vberem: nolite negligere, nolite cessare: & possideamus eam, nullus erit labor. 10. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, traderque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum quæ gignuntur in terra. 11. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa & Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis, 12. ascendentesque manserunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus, ex eo tempore, Castrorum Dan, nomen accepit, & est post tergum Cariathiarim. 13. Inde transferunt in monte Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ, 14. dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit Ephod, & Theraphim, & sculptrile, atque conflatile: videte quid vobis placeat. 15. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Leuitæ, qui erat in domo Michæ: salutaueruntque eum verbis pacificis. 16. Sexcenti autem viri ita vt erant armati, stabant ante ostium. 17. At illi qui ingressi fuerant domum iuuenis, sculptrile, & Ephod, & Theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul expectantibus. 18. Tulerunt igitur qui intrauerant, sculptrile, Ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis? 19. Cui responderunt: Tace, & pone digitum super os tuum: venique nobiscum, vt habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, vt sis sacerdos in domo vnus viri, an in vna tribu, & familia in Israël? 20. Quod cum audisset, acquieuit sermonibus eorum, & tulit Ephod, & idola, ac sculptrile, & profectus est cum eis. 21. Qui cum pergerent, & ante se ire fecissent paruulos ac iumenta, & omne quod erat pretiosum, 22. & iam à domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes secuti sunt, 23. & post tergum clamare ceperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? Cur clamas? 24. Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis: Quid tibi est? 25. Dixeruntque ei filij Dan: Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum omni domo tua pereas. 26. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reuersus est in domum suam. 27. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, & quæ supra diximus: veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij: urbemque incendio tradiderunt, 28. nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotij. Erat autem ciuitas sita in regione Rohob: quam rursus extruentes habitauerunt in ea, 29. vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israël, quæ prius Lais dicebatur. 30. Posueruntque sibi sculptrile, & Ionatham filium Gersam filij Moyfi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan, vsque ad diem captiuitatis suæ. 31. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quod fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat rex Israël.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 4.

Vulg. In diebus illis, non erat rex in Israël, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea: vsque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat.

Pag. Non enim ceciderat sibi in medio tribus hæreditas.

Malu. Baculus Danitæ quærens sibi hæreditatem.

Cald. Quia non diuisa est in possessione.

Arab. Gens familiæ Dan quærebat sibi possessionem ampliolem, eò quod nondum distributæ fuissent vsque ad hunc diem hæreditates tribus filiorum Israël.

Vulg. Miserunt ergo filij Dan, stirpis & familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa & Esthaol, vt explorarent terram, & diligenter inspicerent: dixeruntque eis: Ite, & considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, & intrassent domum Michæ, requieverunt ibi.

Pag. Manserunt ibi.

Arias. De finibus suis viros virtutis.

Malu. De extremitatibus viros strenuitatis, pedare fecerunt, & ad perferuari eam, & pernoctarunt ibi.

Sept. Rom. Viros filios virtutis.

Reg. De parte sua viros filios potentia.

Cald. Ad rimandam eam.

Vulg. Et agnoscentes vocem adolescentis Leuitæ, vtentesque illius diuersorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? Quid hîc agis? Quam ob causam huc venire voluisti?

Pag. Declinauerunt illuc.

Malu. Quid tu faciens in hoc, & quid tibi hic?

Sep. Quis attulit te illuc?

Reg. Duxit.

Vulg. Qui respondit eis: Hæc & hæc præstitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt sim ei sacerdos.

Malu. Secundum istum, & secundum istum fecit mihi.

Sep. Sic & sic fecit mihi.

Syr. Fecit mihi officium quod videtis, contulit mihi beneficium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quærebat possessionem sibi. Arab. addit, *Ampliolem*. Et benè, nam nondum sibi totam sortem assignatam occupare potuerant, siue Philistinis eos grauius impugnantibus, siue Amorrhæis eos coarctantibus. *Quinque viros*. Hebr. addit, *De extremitatibus suis, de finibus suis*. Quod explicant de primoribus suis. *Requieverunt ibi*, Hebr. *Pernoctauerunt*. Id est, in eo loco vbi Michas locum habebat.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. I.** **I**N diebus illis. Hic consequenter describitur idololatriæ spoliatio: vbi primò describitur spoliandi occasio, secundò spoliatorum occupatio, ibi: *Profectique*. Tertio spoliati conquestio, ibi: *Cumque iam*. Quarto spoliantium abusus, ibi: *Posuerunt*. Circa primum, sciendum: quod occasio spoliationis Michæ fuit missio exploratorum filijs Dan: qui eundo ad locum explorandum diuerterunt in domum Michæ ad hospitandum ibi, quia erat homo potens, & diues, & de filiis Israël, & hoc est quod dicitur.
- Tribus Dan*. Licet enim accepissent sortem possessionis sua ab ipso Iosué: vt habetur Iosué 19. sicut & aliarum tribus: tamen in sorte cuiuslibet tribus adhuc manebant Gentes, qui non erant adhuc deleti, nec expulsi per filios Israël: & maximè in sorte Dan: quia Amorrhæus arctat filios Dan in monte: nec dedit eis locum vt ad planiora descenderent vt habetur supra cap. 1. & sic intelligendum est quod subditur.
- Vsq̄ ad illum*. Scilicet sufficientem pro tanta multitudine: ideo subditur.
- ESTIVS.** *Vsq̄ ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat*. Scilicet sorte non fuerat ei assignata tanta portio, quanta pro magnitudine tribus, ei opus erat. Vnde pars eius tribus compulsâ fuit quarere sibi sedes alias, extra sortem initio acceptam. Vide de his plenius ad cap. 19. Iosué.
- MENOC.** *Non erat rex in Israël*. Vide dicta cap. superiore numer. 6.
- Sortem non acceperant*. Hoc est, non satis amplam, tan-
- A** tæque multitudini capiendæ parem. Vel certè non existimabant Danitæ eam satis amplam, & idoneam esse.
- Tribus Dan vsque ad illum diem non acceperat sortem.* Nempe satis amplam, & tantæ multitudinis capacem: nam Amorrhæi bonam partem sortis Danitæ etiam num occupabant, vt dicitur Iudicum 19. v. 40. non minus Danitas, quam reliquas tribus suam in Palæstina sortem accepisse, sed vt dixi, magna ex parte adhuc habitata ab Amorrhæis.
- Miserunt*. Scilicet ad explorandam ciuitatem Lais, quomodo possent eam capere ad habitandum ibi.
- Et intrassent*. Erat enim homo diues, & poterat eos recipere.
- Et agnoscetes*. Per loquelam enim cognouerunt quod esset de Bethleem. Licet enim omnes filij Israël haberent vnum idioma, scilicet Hebraicum, tamen aliquando aliter pronuntiabatur in diuersis partibus terræ Israël. Sicut idioma Gallicum aliter in Normandia, & aliter in Picardia.
- De Saraa & Esthaol*. Vide dicta cap. 13. Num. 7.
- Vtentesque*. Id est loco ei assignato ad manendum, ad quem diuertebat ad dormiendum, & ad alia sibi necessaria. Cætera patent vsque ibi.
- Agnoscetes vocem adolescentis*. Peregrinitatem quamdam in pronuntiatione adolescentis agnoscetes, fit enim passim vt intra eandem prouinciam, quæ eadem linguâ vitur, diuersa tamen fit vicinarum etiam ciuitatum pronuntiatione.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 7.

- Vulg.** Rogauerunt autem eum, vt consuleret Dominum, vt scire possent an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum.
- Pag.** Consule obsecro Deum, vt sciamus, an secundet viam nostram, per quam ambulamus.
- Arias.** Pete nunc in Deo, prosperabitur via nostra, in qua nos nunc ambulantes.
- Malu.** Postula obsecro in diis, & cognouimus, an perumpet via nostra.
- Sep.** Interroga nunc in Deo, & cognoscemus, si prosperabitur, &c. in qua nos imus.
- Cald.** Pura in dicto Domini.
- Syr.** Vt sciamus, num faustum sit, quod aggressuri sumus.
- Vulg.** Qui respondit eis: Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, & iter quo pergitis.
- Pagn.** Ante Dominum est via vestra, per quam ambulabitis.
- Malu.** Rectitudo Iuh via vestra.
- Cald.** Dixit sacerdos: Ambulate in pace, stabiliuit Dominus viam vestram.
- Vulg.** Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea absque vilo timore, iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum & quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, & procul à Sidone à cunctis hominibus separatam.
- Pag.** Viderunt habitantem confidenter, quiescentem, & confidentem, & non confundentem eos in aliqua terra, non possidentem regnum, & commercium non erat eis cum homine.
- Arias.** Manentem ad fiduciam iuxta iudicium Sidoniorum, &c. non calumnians verbum in terra possidens
- retentionem, longinqui ipsi à Sidoniis, & verbum non eis cum homine.
- Isidor. Clar.** Non erat qui moliretur quidquam iniuriæ inferre terræ illi, aut veluti in regni possessionem accipere, nec quicquam negotij habebant cum hominibus.
- Caiet.** Non faciens pudere verbo in terra hæres coactor.
- Guar.** Et non esset qui pudore confunderet eos in aliquo in terra, nec qui hæreditate acciperet regnum.
- Tigur.** Nec erat apud quem esset rerum summa, & erant dirempti à Sidoniis.
- Malu.** Viderunt populum qui in intimo eius, tranquillam, & non ignominia afficiens verbum in terra hæreditans præualescentiam.
- Alij** Secundum rationem Sidoniorum, nemo exprobrans verbum in terra, possidens retentionem.
- Sept. Rom.** Viderunt sedentem in spe, sicut est iudicium, &c. quiescens, & non est deterrens, vel confundens verbum, possessor exprimens thesauros, & non habebant verbum, &c.
- Reg.** Secundum consuetudinem, &c. quietis in spe, & non poterant loqui verbum in terra possessor thesauri, & sermo non erat eis cum Syria.
- Cald.** Qui quiescentes, & manentes ad confidentiam, & non est qui noceat verbum in terra possessores parui, & remoti.
- Syr.** Viderunt tranquille habitantem, iuxta legem, &c. & neminem esse in terra illa perniciosum, neque qui molestiam, aut negotiationem faceretur.
- Arab.** Ac neminem esse in terra ipsorum, qui eos laderet, nec qui affligeret, aut vexaret eos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dominus respicit viam vestram, Alij, Rectitudo Iuh, via vestra. Sed anceps hoc verbum, quod in bonum, vel malum accipi potest, vt erant ambigua Deorum oracula. Iuxta consuetudinem Sidoniorum, Alij, Iudicium, legem, id est, iuxta ea quæ obseruabant Sidonij, qui freti suis munitioibus, & opibus vim quamlibet externam non timent. Nullo eis penitus resistente, Alij, Et non calumnians verbum in terra, & non erat qui pudore confunderet, &c. Quod optimè Arab. Et nemo erat qui eos in aliquo scilicet laderet. Magnarum opum, Alij, Non possidentem re-

gnum, aut veluti in regni possessionem accipere, nec retentionem. Quorum versiones sunt satis obscuræ, quarum tamen sensus potest esse, quod nullus ambiret eorum regnum, aut domibium. Et ideo non tenebantur expendere suas opes, ad repellendos eos, qui id attentare præsumerent. Et ideo benè Vulg. *Erat multarum opum*, Concordant Sept. Reg. *Possessor thesauri*. Rom. autem legunt, *Exprimens thesauros*. At qui thesauros exprimit, eos habere necesse est. *Atque à cunctis hominibus separatam*, Alij, *Commercium non erat eis cum homine. Non erat verbum*, &c. Id est, non erat cum aliis nationibus, vel populis singulare fœdus, ita enim sibi confidebant, vt aliorum fœdera reiicerent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **R**ogauerunt. Id est, falsum Deum. Iam enim dixerat quod idola colebat, vt patebit infra. Iam enim multi de Israël declinauerant ad idololatriam.

LYRAN. **Dominus**. Dicunt aliqui quod hoc dixit eis de capite suo, volens eis loqui placentia. Alij verò dicunt, quod hoc dixit eis ex responso dæmonis loquentis in idolo, vel in Theraphim modo supradicto. Deus enim permittit aliquando dæmones dare talia responsa idololâtris, quia ex malitia sua demerentur, quod sic in erroribus nutriantur, & talia responsa aliquando sunt vera.

MENOC. **Ite in pace**: Dominus respicit viam vestram, &c. Vel idolum locutum est, aut alia ratione, dæmonis arte respondit; vel Leuita, quod illis gratum sciebat, vt illis gratificaretur, locutus est.

LYRAN. **Venerunt Lais**. Sic debet scribi. Illa enim ciuitas quæ vocatur Lachis, fuerat capta ante ab ipso Iosué, vt habetur Iosué 10. Et ista quæ vocatur hic Lais, vocatur Lesem, Iosué 19.

Videruntque. Et per consequens improuifum ad resistendum aduersariis repente superuenientibus.

Iuxta. Quia Sidon erat ciuitas fortis, & munita, & ideo habitatores eius non timebant ab extraneis: ita nec isti de Lais, quamuis non haberent ciuitatem ita fortem.

Et procul. Ita quod non poterant citò iuuari ab illa ciuitate.

Atque. Id est, non habentem fœdus societatis cum aliquibus aliis per quos succurri ei possit. Cætera patent.

MENOC. **Venerunt Lais**. Vrbs est Septemtrionem versus in extrema promissæ terræ parte ad Libani montem, quæ etiam appellata est Lesem Iosué 19. 47. & Dan postquam à Danitis occupata fuit, hîc numero 29. & Iosué loco citato.

Iuxta consuetudinem Sidoniorum. Vel quia hi Sidonio-

rum moribus, ac institutis utebantur; vel quia illis erant alta pace, ac securitate similes.

Nullus ei penitus resistente. Hebraicè est. *Et non erat pudesciens verbo in terra*. Id est, non erat, qui vlla de re pudorem, ruboremue vllum iniiceret, solo etiam verbo, adeo erat nemo, qui ei obfisteret. Sunt tamen qui ad magistratus ignauiam, morumque licentiam id referant, quasi diceretur, nullus erat magistratus, qui peccantes castigare, aut obiurgando pudescere, sicque prauis moribus resistere auderet, aut veller.

Iuxta consuetudinem Sidoniorum. Id est, Sidoniis similes quoad opes, delicias, altam pacem & securitatem, forsitan etiam moribus, & institutis Sidoniorum utebantur *Laita*. Alioqui procul à Sidone aberat *Lais*, vt pote sita ad radices Libani cis Orientalem Iordanis fontem, vbi alibi dixi: *Sidon* verò ad Occidentis latus maritimum. Et quia rerum omnium ferax erat terra, nec vicinorum indiga, ideo dicitur hîc *populus Lais à cunctis hominibus separatus* fuisse, seu nihil cum aliis populis negotij, aut commercij habuisse, cum omnibus carere posset, quod extremæ felicitatis indicium est. Porro quæ hîc vocatur *Lais*, Iosué 19. v. 47. dicitur *Lesem*: cum verò à Danitis occuparetur, ab ipsis dicta fuit *Dan*. Posterioribus temporibus, à fonte *Paneade*, vocata fuit *Paneas*: à *Philippo* Herodis Ascalonitæ filio, qui illam amplificauit, & exornauit, in *Tiberij Cesaris* honorem appellata est *Cæsarea Philippi*: paulo post à rege Agrippa, cum & ipse illius proferret pomœria, in *Neronis* honorem dicta fuit *Neronia*, & *Nerodias*, teste Iesopho, & S. Hieronymo: hodie à Turcis vocari solet *Belina* vel *Belinas*, inquit Adrichomius. Estque eadem vrbs, in qua Hamorrhoidsâ tactu fimbriæ Christi curata, Matth. 9. in eius beneficij memoriam excitata fuit Christi statua, tot postmodum nobilitata miraculis, quæ narrant Eusebius, Nicephorus & alij.

TIRINVI

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 10.

Vulg. Reuersique ad fratres suos in Saraa & Esthaol, & quid egissent sciscitantibus, responderunt.

Pag. Dixerunt eis, quid vos?

Sep. Quid vos sedetis?

Cald. Venerunt ad Szarghah, & dixerunt illis fratres eorum.

Syr. Reuersi sunt, &c. in Esthuallem, &c. vnde venitis?

Vulg. Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam & vberem: nolite negligere, nolite cessare, eamus, & possideamus eam, nullus erit labor.

Pag. Et ecce bona valde, & estis tacentes, ne sitis pigri, ad eundum, vt ingrediamini ad possidendum eam.

Mont. Surge ascendamus super eos, &c. ad veniendum, ad possidendum terram.

Caiet. Ne pigritamini ad eundum, vt ingrediamini ad hæreditandum.

Vatab. Contemplati sumus istam regionem, &c. quid vos desideratis? Ne sitis ignaui, ad occupandam terram.

Malu. Et vos silere facientes, non pigrescetis ad ambulare, ad venire, ad hæreditare.

Sept. Rom. Et vos quiescetis, ne torpeatis ire, & intrare ad hæreditatem.

Reg. Et vos tacete, ne tardetis ad eundum.

Cald. Non negligatis ad eundum.

Syr. Agite ergo, ne cunctemini, neue segnescatis ad eundum.

Arab. Vidimus esse terram fertilem, & optimam, ne timeatis.

Vulg. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria eorum quæ gignuntur in terra.

Pag. Quando intrabitis, intrabit ad populum confidentem, & terra lata locis est, &c. locum in quo non est defectus omnis rei.

Mont. Secundum vos venire, & terra lata manibus.

Vatab. Regio ipsa est spatiosa vtriusque, locus in quo nihil desideratur.

Malu. Locus qui non ibi defectus verbis.

Sep. Rom. Et quodcumque venietis, intrabit ad populum in spe.

Cald. Qui manentes ad confidentiam, & terra latitudo manuum.

Syr. In ipso ingressu vestro ingrediemini populum opimum, & regionem spatiosissimam, nullaque re deficiemini in regione illa.

Arab. Venietis ad populum vberissimum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nolite negligere, Alij, Et vos tacentes, quiescentes, cessantes. Quod aliqui affirmatiuè accipiunt: quasi diceret, Et interea vos, cessatis, negligitis, Alij, Interrogatiuè, & melius, ac si dicerent, & vos cessatis? Vel per futurum, & vos filebitis, & negligetis? In regionem latissimam, Alij, Et terra lata manibus, regio spatii amplissima. Dicitur lata terra manibus, hoc est lata finibus, terminis, locis, spatiis. Volunt aliqui hanc loquutionem inde sumptam, quòd prisci illi in limitibus suæ ditionis manus apponerent, quæ designarent eos vsque, non vterius se extendere iurisdictionem, & dominium ipsius.

ANNOTATIONES.

Auctor **Q**uid egissent, Hebr. *Quid vos.* Subaudi dicitis vel A segnes & tardi, quin itis primum ad eam expugnandam?
 v. 8. egistis, vel boni affertis?
 v. 9. Nolite negligere, Hebr. *Vos silentes.* Id est, hinc statis

VARIETAS LECTIONVM à Vers. ii. ad 14.

Vulg. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa, & Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis.

Pag. De familia Danita, &c. accincti instrumentis bellicis.

Mont. Vasis belli.

Malu. Et venerunt de ibi vir succinctus vasis cæssonis.

Sept. Rom. Et promouerunt inde de populis Dan.

Cald. Et eleuauerunt inde ex profapia Dan.

Syr. Igitur soluentes illinc.

Arab. Cuspudatis armis instructi.

Vulg. Ascendentisque manserunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus, ex eo tempore, castrorum Dan, nomen accepit, & est post tergum Cariathiarim.

Pag. Vocauerunt locum ipsum Machaueh Dan.

Malu. Et ascenderunt, & defederunt.

Syr. Et ecce situs est à tergo ciuitatis Naarin.

Arab. Ciuitatis vrnarum.

Vulg. Inde transferunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ.

Sep. Rom. Et præterierunt inde montem Ephrem.

Cald. Ad montem domus Ephraim.

Vulg. Dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit Ephod, & Theraphim, & sculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat.

Cald. Qui perrexerunt ad explorandam terram Lais, &c. & nunc scitote quid faciatis.

Mont. Ei responderunt quinque viri: Nostis, quod sit superhumeralc.

Malu. Ad pedare terram: An cognouistis quod existentia in domibus istis Ephod, &c. & dedolati, & fusionis.

Tigur. Et fusile simulachrum, deliberate ergo quid faciatis.

Sep. Et nunc intelligite.

Reg. Et nunc scite.

Cald. Num nouistis quod in domibus istis similitudines, simulachrum, & fufum?

Syr. Sciatis esse in collibus istis Ephod & pallium.

Arab. Sciatis extare in isto colle sagum, atque chlamydem, atque idolum fufum, & cælatum, consulite ergo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Accincti armis bellicis, Alij, Vasis, instrumentis. Hebr. כלי מלחמה vas sumitur pro quolibet instrumento bellico. Dixerunt quinque viri, Alij, Responderunt. Hebr. more respondere verbum idem est, atque ordiri sermonem, incipere, verba facere. Ephod & Theraphim, Alij, Similitudines. Vide quid à nobis superius dictum de Theraphim. Quod in domibus istis, Alij, In collibus, scilicet vbi erant domus, continens pro contento. Videte quid vobis placeat. Alij, Consulite, deliberate, intelligite, nimirum, si statuitis ista sacra auferre vobiscum, quid facturi estis de his.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**rofecti igitur. Hic consequenter describitur spoliantium occupatio. Sexcenti enim viri bellatores de tribu Dan, euntes ad capiendum ciuitatem Lais exploratam, dum transirent iuxta domum Michæ, abstulerunt idola, & ornamenta sacerdotalia, ducentes secum sacerdotem, de consensu tamen ipsius. Et patet littera paucis exceptis, quæ discurruntur exponendo.

Manserunt. Non in ciuitate, sed extra, vt patet ex hoc quod subdditur.

Nostis. Id est, cognoscere debetis. Ex quo patet quod

B prædictum est, scilicet quod sciebant quinque viri supra dicti idola esse in domo Michæ, per Leuitam qui eis indicauerat: aliter non aliis potuissent hoc indicasse.

Quod in domo. Capite præcedenti dictum est quid significent ista.

Videte, &c. Videlicet de ablatione idolorum, & ornamentorum ad hoc pertinentium. Et quia erant proni ad idololatriam, consenserunt quod hoc fieret.

Fratribus suis. Reliquis Danitis commilitonibus, & Meno contribulibus suis.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 15. ad 18.

Vulg. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Leuitæ, qui erat in domo Michæ: salutaueruntque eum verbis pacificis.

Mont. Et optauerunt ei pacem.

Calet. Ad domum adolescentis domum Michæ.

Tigur. Et interrogauerunt eum, num rectè se haberent omnia.

Malu. Et discesserunt inibi, & venerunt ad domum excussi Leuitæ, & postulauerunt ei pacem.

Sep. Rom. Interrogauerunt eum in pace.

Cald. Rogauerunt eum ad pacem.

Arab. Et deflectentes à via ingressi sunt, &c.

Vulg. Sexcenti autem viri, ita vt erant armati, stabant ante ostium.

Pag. Accincti armis suis.

Mont. Vasis belli suis stantes ad ostium portæ, & hi erant de filiis Dan.

Sep. Stantes ante ianuas portæ.

Reg. Ante ostium vestibuli.

Syr. Consistebant.

Arab.

Vatab. Substituerunt in introitu ad ianuam porticus.

Vulg. At illi qui ingressi fuerant domum iuuenis, sculptile, & Ephod, & Theraphim, atque conflatile, tollere nitebantur, & sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul expectantibus.

Pag. Ascenderunt autem quinque viri, qui perrexerant ad explorandam terram, & ingressi sunt illuc, tulerunt.

Mont. Acceperunt sculptile, superhumerali.

Malu. Et ascenderunt quinque hominum ambulantium ad pedare terram, venerunt ibi, acceperunt dedolatum, &c. & fusionem, & sexcenti vir succinctus vas castionis.

Sept. Qui iuerant considerare terram, & intrauerunt illuc in domum Michæ, & sacerdos stans.

Reg. Qui sacerdos stans ante ostium vestibuli, & sexcenti viri accincti armis bellicis.

Cald. Tulerunt simulachrum, & Ephod, & similitudines, & fufum.

Syr. Tulerunt & pallium, & aurificium.

Arab. Abstulerunt idolum, chlamydem, & sagum sacerdotis.

Vulg. Tulerunt igitur qui intrauerunt, sculptile, & Ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis?

Mont. Quid vos facientes?

Malu. Et isti venerunt domum Michah, acceperunt dedolatum Ephod, &c. & fusionem.

Arab. Acceperunt idolum aurificis arte conflatum, & sagum, atque chlamydem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITTERALIS.

Domum adolescentis, qui erat in domo Michæ; Alij, Domum adolescentis, domum Michæ. Non quod domus Michæ esset indiuisibiliter domus adolescentis, nam habebat habitationem, vel certè partem domus separatam, nempe idolorum ædiculæ coniunctam, à domo Michæ aliquo modo separatam. *Salutauerunt eum verbis patificis, Alij, Optauerunt ei in pacem, &c.* Id est precati sunt ei salutem, interrogantes qualiter se haberet. *Tulerunt, & idola.* Eo quod antecedente versu dixerat *Vulg.* Theraphim, ecce nunc nominat idola: Erant enim Theraphim idola sculpta vel conflata, ex auro vel argento, aut ære: aliquando etiam erant picta, aut argilla à figulo facta.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *¶. 16.* **S**excenti. Parati iuuare illos qui ingressi fuerant ad A vsque ibi. Stollendum predicta, si indigerent. Cetera patent

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 21.

V*Vulg.* Cui responderunt: Tace, & pone digitum super os tuum: venique nobiscum, vt habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, vt sis sacerdos in domo vnus viri, an in vna tribu, & familia in Israël?

Pag. Esto nobis pro patre, & sacerdote: An bonum te esse sacerdotem baculo, & familiaris in Israël?

Sept. Rom. In populo Israël.

Reg. Quam esse te sacerdotem tribus, & cognationis Israël.

Cald. Nunc bonum, quod sis ministrans domui viri vnus, vel sis ministrans profapia Israël.

Syr. Verum consultius tibi est.

Arab. Vtra rerum tibi charior ac melior?

Vulg. Quod cum audisset, acquieuit sermonibus eorum, & tulit Ephod, & idola, ac sculptile, & profectus est cum eis.

Pagn. Et iucundum fuit cor sacerdotis, &c. & ingressus est medium populi.

Mont. Et bonum fuit cor.

Tigur. Collibuit ergo animo sacerdotis.

Sep. Et latatum est cor sacerdotis.

Cald. Et pulchrum fuit, &c. & intrauit in medio populi.

Arab. Bono itaque animo factus sacerdos.

Vulg. Qui cum pergerent, & ante se ire fecissent paruulos ac iumenta, & omne quod erat pretiosum,

Pagn. Et verterunt se & abierunt, posueruntque, & prætiosa ante se.

Mont. Posueruntque & pubem, & acquisitionem.

Tigur. Ordinarunt, &c. & pecora, & impedimenta ante se.

Malu. Et aspexerunt, & ambulauerunt, & posuerunt paruulum, &c. & grauitatem facibus suis.

Alj. Et reliquam substantiam, vt prouiderent ante facies suas.

Sep. Rom. Posuerunt filios, & possessionem, & quod prætiosum.

Reg. Et possessionem eorum prætiosam.

Syr. Oues, & armenta, & iumenta apud se abducentes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tibi melius est, Alij, Consultius tibi est, res tibi charior. Id est, tibi optabilius esse debet, vt sis sacerdos in vna tribu, quam in domo vnus viri. *Acquieuit sermonibus eorum.* Alij, Pulchrum, bonum, latatum est cor sacerdotis; quo indicatur non ægrè id tulisse, sed hilari animo fuisse. *Et omne quod erat prætiosum,* Alij, Substantiam, impedimentum, grauitatem. Heb. כבודו suppellex est, onus, & sarcina, aut res, de qua homines gloriantur.

ANNOTATIONES.

MENOC. *¶. 19.* **Q**uid tibi melius est, &c. Argumentis ab lucro, & B illi qui cum eo erant sequentes, talia raperent, vel paruulis nocerent, qui defendere se non possent.

LYRAN. *¶. 21.* **Q**ui cum. Bellatores enim ita fecerunt, ne Michas, &

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 25.

V*Vulg.* Et iam à domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes secuti sunt.

Pag. Ipsi erant longè à domo Michab, & viri, qui erant in domibus, qui erant apud domum Micham, congregati sunt, & secuti sunt filios Dan.

Mont. Acciti sunt, & secuti sunt.

Tom. IV.

Malu. Et longinquauerunt de Michab, conclamati fuerunt, & agglutinare fecerunt.

Sep. Asssecuti sunt.

Reg. Et ceperunt filios Dan.

Syr. Vir quidam existens in domo sita ad latus domus Michæ, exclamans, persecutus est filios Dan.

Arab. Exclamauit homo quidam qui erat in domo Mi-

chæ ad latus domus eius, & indicauit ei, quod acciderat, significauitque Micha filiis suis, & cucurrerunt ad querendum filios Dan.

Vulg. Et post tergum clamare ceperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? Cur clamas?

Pag. Clamauerunt ad filios Dan, & viderunt facies suas, &c. Quid tibi, quia congregatus es?

Mont. Quid tibi, quia accitus es?

Tigur. Quid habes, quod sic queritaris?

Malu. Quia conclamatus fuisti?

Sept. Quid est tibi, quia acclamasti?

Reg. Quod clamasti?

Arab. Qui vociferantes dixerunt ad Micham, quid rei est, cur clamites?

Vulg. Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotes, & omnia quæ habeo, & dicitis: Quid tibi est?

Pag. Et quid mihi ultra? Et cur hæc dicitis mihi, quid tibi?

Malu. Et quid mihi adhuc? Quid istud dicitis ad me, quid tibi?

Isidor. Cla. Et quid est mihi amplius?

Sep. Rom. Sculptile meum, quod feci, tulistis.

Reg. Quid hoc clamas?

Cald. Timorem meum, quem feci, accepistis, & ambulastis, quid mihi adhuc?

Arab. Abstulistis Deum, quem comparaueram, &c. quid superest, ut dicatis, quid tibi rei est?

Vulg. Dixeruntque ei filij Dan: Caue ne ultra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum omni domo tua pereas.

Pag. Ne audire facias tuam vocem nobiscum, ne forte attingant vos viri amari animo, & perdas animam tuam, & animam domus tuæ.

Aras. Et recolligas animam tuam.

Tigur. Ne forte milites, qui sunt animo amarulento, irruant in vos.

Vatab. Et colligas animam tuam.

Malu. Nequando incurrent in vobis homines, hi nobis amari animæ.

Sep. Rom. Et apponent animam tuam.

Reg. Et appones animam tuam.

Cald. Fortasse potestatem coërcebunt in vobis viri amari animabus, & finiet anima tua, & anima hominis domus tuæ.

Arab. Ne clamites post nos, ne forte audiant te quidam ex nobis, in quibus zelus, & amaritudo animi, perdasque animam tuam, & animas filiorum tuorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Conclamantes secuti sunt, Alij, Persecuti, affecuti. Verbum דָּבַק in hiphil, significat, insequutus, attingit, apprehendit. Cur clamas? Alij, Quid queritaris? Clamor enim ille plenus erat quærimonia. Conclamantes, Alij, Congregati sunt. Heb. נִזְחַקְנִי nizhakini, quo verbo significatur ad clamorem excitari: sic enim colliguntur homines, cum vndique auditur clamor. Et omnia quæ habeo, Alij, Et quid mihi ultra? Non conqueritur, quod Danitæ acceperint omnia, quæ habebat, sed quod omnia quæ acceperant (videlicet Deos suos, & sacerdotem) tamen perdebat, ut illis perditis, nihil sibi superesse videretur. Animo concitati, Alij, Animo amaro. Hoc est prompti ad iram, homines biliosi. Et ipse cum omni domo tua pereas, Alij, Perdas, recolligas, colligas, id est, ne sis author, ut Deus reuocet, & recipiat ad se animam tuam, ac domesticorum tuorum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Amque.* Hic consequenter describitur spoliati conquestio; & patet litera vsque ibi.

LYRAN. *Deos.* In Hebræo habetur: Et quid mihi amplius? Quasi diceret, illa quæ tulistis, ista prætiosa erant mihi, quod parum, aut nihil appetior residuum: & sic intelligenda est translatio nostra quæ habet: Et omnia quæ habeo. Non enim abstulerunt bona Michæ alia, cum esset de filiis Israël, quos spoliare nolebant, sed tantum acceperunt

illa, quæ erant ad cultum idolorum pertinentia: quod credebant ad religionem pertinere, non ad furtum. Et hoc est quod subditur.

Omnia quæ habeo. Heb. Et quid mihi adhuc, vel ultra. Mem videtur cætera præ idolis suis contemnere.

Procul à Sidone. Cui fortasse Lais subdita erat.

Caue ne ultra, &c. Id est, cum familia tua, & bonis Lyrantuis. Cætera patent ex supradictis vsque ibi.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 26. 27. & 28.

Vulg. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reuersus est in domum suam.

Pag. Et abierunt viri Dan viam suam, &c. & vertit se, & reuersus est.

Malu. Ambulauerunt filij Dan viæ suæ, & vidit Michah, quia obtenti ij ab eo.

Sep. Quia potentiores sunt super ipsum.

Arab. Cumque Micha videret haud vires se pares habere.

Vulg. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, & quæ supra diximus: veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij: urbemque incendio tradiderunt.

Pag. Ad populum confidentem.

Malu. Tranquillantem.

Sep. Confidentem in spe.

Cald. Ad populum qui quiescentes, & manentes ad confidentiam, percusserunt eos ad verbum gladij.

Syr. Contra populum optimum, ac tranquillum.

Arab. Fœcundum, & securè habitantem.

Vulg. Nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul

habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotij. Erat autem ciuitas sita in regione Rohob: quam rursus exstruentes habitauerunt in ea.

Pag. Et non fuit liberator, quia longinqua erat à Sidon, & commercium non erat eis cum homine: erat autem in valle, quæ erat in Bethrechoh.

Mont. Et non eruens, &c. Et verbum non eis cum homine.

Tigur. Nec fuit eis negotium cum quocumque hominum, & instaurantes ciuitatem habitauerunt in ea.

Malu. Et non eripiens, &c.

Sep. Et non fuit qui euerreret, &c. & ipsa in villa domus Rhaab.

Reg. Et non est qui liberet, &c. & hæc in valle, quæ est domus Roab.

Cald. Quoniam distantes illi à Sidoniis, &c. & sederunt in ea.

Arab. Nec vllus intererat inter eos, & inter quemquam sermo, aut negotium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Erat autem ciuitas sita in regione Rohob, Alij, Et ipsa in valle, quæ ipsi Bethrechob. Licet noſtet mentionem non fecerit vallis, volunt tamen plures ipsam eſſe in conualle quæ adiacet regioni Rechobi, ſignificat autem Betrechob domum Rechob, ſeu Rohob, vt aliqui legunt, pro quo noſter Interpr. vertit in regione Rohob. Significat enim בית beth, domum, vel quemlibet locum habitatum, atque adeo de vrbe, & regione habitata dici poteſt. Hæc vrbs apud Sept. in Codice Rom. *paal*, in Reg. *paal*. Vt autem refert ſcholæſtes *paal*, vt apud Theodoretum: admodum mendose legitur Rechas, vel Rhoal.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 28.* **E**rat autem ciuitas. In Hebr. habetur. In torrente Rohob. **A** In regione Rohob. Quæ erat pars Syriæ Trachonitidis, MENO C. vt patet ex lib. 2. Reg. cap. 10. num. 8. & 9.

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. 29. ad 31.

Vulg. Vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſraël, quæ prius Lais dicebatur.

Malu. Et quidem Lais nomen vrbs prioritate.

Sept. Rom. Et erat vlam Lais nomen ciuitatis antea.

Reg. Et fuit Lais.

Cald. Ab antiquo.

Vulg. Poſueruntque ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſam filij Moyſi, ac filios eius ſacerdotes in tribu Dan, vſque ad diem captiuitatis ſuæ.

Pagn. Ionathan autem filius Gerſom, filij Menaffe ipſe.

Ita & alij hebraizantes.

Figur. Exerunt ſibi ſimulachrum, ſculptile.

Malu. Surgere fecerunt dedolatum, &c. fecerunt ſacerdotes baculo Danitæ, vſque ad diem tranſmigrationis terræ.

Cald. Ipſe, & filij eius fuerunt choramim tribu filiorum Dan.

Syr. Arab. Exerunt idolum illud.

Vulg. Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat rex in Iſraël.

Pagn. Et poſuerunt ſibi ſculptile ipſius Michab, quod fecerat.

Cald. Omnibus diebus, quibus fuit ſtans domus Sanctuarij Domini in Silo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Que prius Lais dicebatur. Sept. Rom. *Vlam Lais*. In quo nomine duæ voces coniunguntur, quæ in Hebr. ſunt, *Vlam*, id eſt *Olim* & *Lais*, quaſi foret *ולאם לאיס*, ſed emendant id libri quidam, & ſcribunt, *ולאם לאיס*. Ita Reg. Codex & Baſil. *Ionatham filium Gerſam*, *Pagn. Gerſon*. Sed non rectè, nam in Hebr. non ita habetur, ſed *גורסון* *gerſom*, quæ diuerſitas leuis eſt, cum nullo negotio apud Heb. commutentur puncta nulla in re, aut ſignificatione, facta mutatione. *Filij Moyſi*, *Alij*, *Filij Manaffe*. Aduerte litteram *נ* in medio dictionis, extra aliarum litterarum ſeriem alius collocare, & apponere notam, qua ſignificetur aliter legendum, quam ſcribatur; quibus duobus ſatis indicant *משה* *Moſe*, legendum eſſe, licet aliter ſcribatur ſi enim iſtam litteram *נ* detrahas, quam indicant detrahendam, extra aliarum ſeriem eam ponendo ſepoſitis alijs punctis, remanebit *משה*; ſed cur ita verſum? Vt Hebræi conſulerent honori Moyſi, ne infamia tam grauis à nepote Ionathan, utpote ſacerdote idolorum, illi quaſi auo inureretur: Ad marginem Moyſi poſuerunt Manaffe, addentes litteram *נ* quaſi ſignificantes quod Ionathan, qui erat natura filius, id eſt, nepos Moyſis, tanto, & ſancto Patre, hoc eſt, auo indignus potius eſſet dicendus filius Manaffe regis idololatræ, filius, inquam, non natura, ſed imitatione, aut potius impietatis ſimilitudine; nam alioqui Ionathan hic aliquot ſæculis præceſſit Manaffen, quæ lectio marginalis tandem in textum Hebræum irrepſit, ſed ita vt noſtetur circulo, & littera *נ* eleuata, & ſuſpenſa, nimirum vt alia vetus lectio, quæ habet *Moyſi*, vera, & germana eſſe indicetur. *Vſque ad diem captiuitatis ſuæ*, *Alij*, *Vſque ad diem tranſmigrationis terra*: Licet varia ſint ſententiæ, de quâ captiuitate hic ſit ſermo, verior illa mihi eſſe videtur, quæ ſic explicat. *Vſque ad tempus quo migravit è terra* (ſcilicet domus Dei è verſu ſequente) nimirum cum domus Dei Silo deducta eſt, & purus legitimusque cultus Dei inſtauratus Samuelis opera, ſacerdotesque, & Leuitæ ad ſuas ſtationes, ordines, & officia reuocati. *In diebus illis non erat rex in Iſraël*: Ita Sep. finiunt hoc caput, non autem Hebraizantes, qui ab his verbis ſubſequens caput incipiunt.

ANNOTATIONES.

MEN OC. *ψ. 29.* **I**uxta vocabulum patris ſui. Erant enim Danitæ omnes, & filij Dan.

LYRAN. *ψ. 30.* **P**oſueruntque. Hic conſequenter deſcribitur ſpoliorum abuſo, quia illis quæ abuſulerant de domo Michæ, abuſi ſunt ad idololatriam exercendam. Et hoc eſt quod dicitur. *Poſueruntque ſibi*. Per hoc intelliguntur alia ad idololatriam pertinentia, quæ ſibi poſuerunt, ſcilicet ad exercendam idololatriam, ideo ſubditur.

Et Ionathan. Iſte eſt Leuites, quem adduxerunt de domo Michæ.

Ac filios eius ſacerdotes. Prædictorum idolorum.

Vſque ad diem captiuitatis ſuæ. Quæ facta eſt per Salmanazar regem Aſſyriorum, vt habetur 4. Reg. 17. Et ſecundum hanc expoſitionem, *ly captiuitatis ſuæ* refertur ad tribum Dan. Hieron. autem ſuper librum Paralip. dicit quod refertur ad domum Domini, id eſt vſque ad captiuitatem arcæ, per Philiſtæos, quæ habetur 1. Reg. 4. quia tunc tranſlatum fuit tabernaculum de Silo. Et hoc dictum conſonat litteræ ſequenti, cum dicitur.

Tom. IV.

B Et Ionathan, filium Gerſam filij, Pro Moyſi, Hebraicè **ESTIVS.** eſt (*Manaffe*.) Sed commutatione literæ putatur mendum eſſe, & commutatum à quibusdam Hebræis, ne Moyſes haberetur huius idololatriæ occaſione, in ſuo nepote veluti minus honorabilis. Et quidem Septuaginta etiam pro *Moyſe*, habent *Manaffe*, ſed omnino legendum eſt *ſily Moyſi*, quia Michas capite præcedenti diſertis verbis dicit in fine; *Nunc ſcio, quod benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis ſacerdotem*. Vnde non ſunt hæc referenda ad aliquem ex tribu Manaffe. Denique hæc non magis derogant honori Moyſis, quam derogatum eſt Aaroni ex duobus eius filiis qui à Deo percuſſi ſunt Leu. 10.

Poſueruntque ſibi ſculptile in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ. Multi intelligunt captiuitatem decem tribuum, ſub rege Aſſyriorum. Verum non eſt veriſimile tribum Dan, tanto tempore perfeueraffe in idololatria, tum quia 1. Reg. 7. dicitur. *Quod omnis Iſraël requieſceret poſt Dominum, & ſeruiret Deo ſoli*. Et tempore Samuelis, Saulis, Davidis, & Salomonis nuſquam legitur

M ij

aliqua tribus coluisse idola, donec 3. Reg. 12. leguntur per Ieroboam erecti vituli aurei in Dan, & Bersabee. Itaque alij per diem captiuitatis, intelligunt captiuitatem arcæ per Philistæos, 1. Reg. 4. quando verisimile est multos simul Israëlitas ductos captiuos, & maximè ex tribu Dan, cuius agri vicinissimi erant Philistæis, vt patet ex historia Samsonis, & aliunde: cui sententiæ etiam fauet quod sequitur. *Mansitque.*

MENOC. *Vsq̄ ad diem captiuitatis suæ.* Hoc aliqui explicant de captiuitate Israëlitarum sub Salmanasar, cuius mentio 4. Reg. 17. Ita Lyranus. Alij de captiuitate arcæ cum capta est à Philistæis, magna edita Israëlitarum strage, 1. Reg. 4. Alij putant sermonem esse de peculiari quadam captiuitate vr̄bis Dan, quæ alibi scripta non sit. Serarius quæst. 7. secundæ explanationi subscribit, quam etiam plures alij secuti sunt.

TIRINVS *Posuerunt sibi Danitæ, sculptile Michæ in Dan, vsque ad diem captiuitatis suæ.]* Id est, vt versu sequenti dicitur, vsque ad tempus quo arca Dei Silunte educta fuit,

A & magna cum Israëlitarum strage, à Philistæis capta, & abducta. Nam tunc temporis vt cæsi, ita & capti plurimi ex omnibus tribubus, vt patet ex primi Regum quarto v. 10. & Psal. 77. v. 61. vbi de hac Israëlitarum clade loquens. *Tradidit, inquit, in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Ita Lyranus, Abulenſis, Vatablus, Arias, Ribera, Genebrardus, Moncæius, Emanuël Sa, & etiam plerique Nouatores cum Rabbiniſ.

Nota, in locum idolorum Michæ, quæ Samuëlis tempore vero similiter euerſa, & confraſta sunt, post mortem Salomonis subrogasse impium Ieroboam vitulum suum aureum, in eadem vr̄be Dan metropoli eiusdem tribus: quæ tantorum monstrorum sedes & thronus fuit.

Mansitque. Quasi diceret non amplius.

Omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. Quousque scilicet capta est à Philistæis, vt dicebamus num. præcedenti.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS.

VXor Leuitæ Ephratæi, à Gabaonitis, qui erant tribus Benjamin, prodigiosa libidine, exstincta: maritus, caduere in duodecim partes dissecto, reliquas omnes tribus euocat ad infandum facinus vlciscendum.



I. Vit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethleem Iuda: 2. Quæ reliquit eum, & reuerſa est in domum patris sui in Bethleem, mansitque apud eum quatuor mensibus. 3. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & secum reducere, habens in comitatu puerum & duos asinos: quæ suscepit eum, & introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset focer eius, eumque vidisset, occurrit ei lætus, 4. & amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo foceris tribus diebus, comedens cum eo, & bibens familiariter. 5. Die autem quarto de nocte confurgens, proficisci voluit, quem tenuit focer, & ait ad eum: Gusta prius paucillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris. 6. Sederuntque simul, ac comederunt & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæſo te vt hodie hîc maneat, pariterque lætemur. 7. At ille confurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixè eum focer tenuit, & apud se fecit manere. 8. Manè autem factò, parabat Leuites iter. Cui focer rursus. Oro te, inquit, vt paululum cibi capias, & assumptis viribus, donec increſcat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul. 9. Surrexitque adolescens, vt pergeret cum vxore sua, & puero. Cui rursus locutus est focer: Considera quod dies ad occasum decliuor sit, & propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, & due lætum diem, & cras proficisceris vt vadas in domum tuam. 10. Noluit gener acquiescere sermonibus eius: sed statim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ierusalem, ducens secum duos asinos onustos, & concubinam. 11. Iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad vr̄bem Iebusæorum, & maneamus in eâ. 12. Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israël: sed transibo vsque Gabaa: 13. Et cum illuc peruenero, manebimus in ea, aut certè in vr̄be Rama. 14. Transierunt ergo Iebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol iuxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin: 15. Diuerteruntque ad eam, vt manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio. 16. Et ecce, apparuit homo senex, reuertens de agro, & de opere suo vesperi, & qui ipse de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem regionis illius erant filij Iemini. 17. Eleuatifque oculis, vidit senex sedentem hominem cum farcinulis suis in platea ciuitatis: & dixit ad eum: Vnde venis? Et quo vadis? 18. Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethleem Iuda, & pergitimus ad locum nostrum qui est in latere montis Ephraim, vnde ieramus in Bethleem: & nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere, 19. habentes paleas, & fœnum in asinorum pabulum, & panem ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vsus, & pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio. 20. Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæſo, ne in platea maneat. 21. Introduxitque eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: ac postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium. 22. Illis epulantibus, & post laborem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri ciuitatis illius, filij Belial, id est, absq; iugo, & circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes

ad dominum domus, atq; dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam tuam, vt abutamur eo. 23. Egressusque est ad eos senex, & ait: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia: 24. Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. 25. Nolebant acquiescere sermonibus illius: quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, & eam tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam manè. 26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, vbi manebat dominus suus, & ibi corruit. 27. Manè factò, surrexit homo, & aperuit ostium, vt cceptam expleret viam: & ecce concubina eius iacebat ante ostium sparsis in limine manibus. 28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua; tulit eam, & imposuit asino, reuersusque est in domum suam. 29. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, & cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frustra concidens, misit in omnes terminos Israël. 30. Quos cum vidissent singuli, conclamabant: Nunquam res talis facta est in Israël, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, vsque in præsens tempus: ferte sententiam, & in commune decernite quid factò opus sit.

VARIETAS LECTIIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Fuit vir quidam Leuites, habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethleem Iuda.

Pag. Et fuit in diebus ipsis, rex non erat in Israël, & fuit Israël peregrinans, &c. accepit sibi vxorem concubinam.

Mont. Accepit vxorem pellicem.

Caiet. In pedibus montis Ephraim.

Sep. Rom. Incolens in femoribus montis.

Cald. In finibus montis domus Ephraim.

Syr. Ad oras montis.

Vulg. Quæ reliquit eum, & reuersa est in domum patris sui in Bethleem, mansitque apud eum quatuor mensibus.

Isidor. Clar. Fornicata est apud eum concubina eius, &c. fuitque ibi dierum quatuor mensibus.

Mont. Fuit ibi dies quatuor mensium.

Caiet. Annum quatuor menses.

Tigur. Scortata est concubina eius contra eum.

Malu. Et meretricata super eum pellex, & fuit ibi dies quatuor innouationes.

Sept. Rom. Et iuit ab eo concubina eius, & fuit ibi diebus quatuor mensium.

Reg. Irata est illi concubina eius.

Cald. Et contempfit super eum concubina eius.

Arab. Fornicata est mulier, cui nupserat.

Aliqui. Scortata est cum eo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN latere montis, Alij, In femore, pedibus, Hebr. יָרָאֵךְ *iarac*, latus, coxam, aut femur significat, & translatio- ne indicat regionem, aut tractum. Et hinc est elegans metaphora, cum de monte agatur. *Qui accepit vxorem*, Alij addunt, *Concubinam, pellicem*, Vulg. nominavit infra concubinam, plerique nomine concubinæ intelligunt, quod fuerit vxor eius, sed secundaria, videtur enim inter eos fuisse verum matrimonium, cum postea sermo sit generi & foceri. Alij autem verè pellicem, & scortum, deinde tamen propriè vxorem. *Quæ reliquit eum*, Alij, *Fornicata est apud eum, scortata contra eum*. Hæc lectio, licet sit communis apud Hebraizantes, Syr. & Arab. tamen non leue negotium facessit; cum nec in Sep. nec in Cald. paraph. reperiatur, imò apud Iosephum huius mentio nulla sit, unde suspecta potest esse lectio Hebraica; nisi dicatur, quod vox Hebr. זָנַח *zanach*, non tantum simplicem fornicationem, & adulterium significat, sed quamlibet fidei coniugalis violationem, quæ violatur etiam deserto thoro, & mariti societate: sicut cum eadem vox Heb. per metaphoram ad spirituale cum Deo coniugium transfertur, non tantum significat spirituale adulterium, & consuprationem per idololatriam, sed etiam simplicem Dei per peccatum desertionem, quamquam & in hac nonnulla cum creaturis, & demone fornicatio cenferi possit. De hac igitur desertione cum Aria Montano, potest etiam intelligi. Aduerte etiam nostrum Interpretem legisse ex Heb. זָנַח *zanach*, quod est, elongauit se, dereliquit, contempfit. Alij autem זָנַח *zanach*, id est fornicari; sed potius credendum Interpreti, alijs doctiori. *Mansit apud eum*, scilicet patrem. *Quatuor menses*, Caiet. *Annum quatuor menses*. Ita vt annum, & quatuor menses, intelligat apud patrem ipsam mansisse, sed fallitur, nam de mora per spatium quatuor mensium, & non amplius hoc intelligendum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Ψ. L.** **F**uit vir quidam. Hic ponitur casus secundus de vxore Leuitæ quæ in ciuitate Gabaa, mortua fuit ex nimia libidine abutentium ipsa. Circa quod proceditur; quia primo describitur hinc sceleris perpetratio, secundo perpetrantium vastatio 20. cap. tertio vastatorum reuastatio 21. cap. Prima pars diuiditur in tres, quia primò describitur occasio peccati. Secundò modus perpetrandi, ibi: *Illis epulantibus*. Tertio manifestatio facti, ibi: *Quam cum esset ingressus*. Occasio autem peccati fuit in hoc, quod Leuites vxorem suam quæ recesserat ab eo, reduxit per ciuitatem Gabaa, in qua erant aliqui homines pessimi, & luxuriosi nimis. Circa hoc igitur sic proceditur, quia primò describitur vxoris reconciliatio. Secundo reconciliatæ reductio, ibi: *Die autem quarto*. Tertio in Gabaa hospitatio, ibi *Occubuitque eis sol*. Circa primum dicitur.

Qui accepit. Hoc dicitur ad differentiam alterius Bethleem.

Tom. IV.

A thleem, quæ est in tribu Zabulon, vt supra dictum est cap. 17.

Fuit quidam Leuites qui accepit vxorem de Bethleem Iuda. Obseruato, quod quæ hinc vocatur vxor, postea hoc eodem cap. v. 24. vocatur concubina, ex quo manifestum est hæc duo, vxorem & concubinam, non ita esse diuersa, vt inter se pugnent, sed concubinam sæpè in scripturis vocari eam vxorem, quæ absque consuetis, & solemnibus ceremoniis in matrimonium assumitur. Vide nostra in 4. sent. dist. 33.

Montis Ephraim. Vide dicta cap. 17. num. 1.

Quæ reliquit eum. Abulensis quæstion. 5. putat significari eam matrimonij fidem fallendo, maritum reliquisse. Lyranius ait eiectam à marito flagitij compertam, aut ipsam cum adultero, marito interim totius rei ignaro, profugisse. Arias non cenfet mæchatam, sed discessisse vt suo viucret arbitratu. Iosephus ait eam ob pulchritudinem

M iij

ESTIUS.

MENOC.

dinem eximiam adamatam à marito adeo vt in eam semper esset intentus, vicissim verò illam parum virum suum dilexisse, inde ortas vtrinque suspiciones, & offensiones, quæ discessui causam dederunt. Serarius putat, illam alteri nubere voluisse marito offensam: adulterium commisisse, non facillè concedendum existimat.

LYRAN. *Quæ reliquit.* In Hebr. habetur. *Quæ fornicata est super eum.* Et sic in Heb. videtur tangi causa recessus, vt pote, quia propter fornicationem vir eius eiecit eam: vel quia ipsa ignorante viro recessit ab eo cum adultero, & postea non fuit ausa reuerti ad maritum suum: & ideo iuit ad domum patris sui.

ESTIVS. *Quæ reliquit eum.* Hebr. *Et fornicata est super eum.* Vel apud eum. Vbi nota amorem huius Leuitæ erga coniugem, qui eam etiam post admissum crimen fornicationis secutus fuerit, domumque suam reducere voluerit, non sine blanditiis. Quod quidem si fecit amore salutis eius, præclare fecit: si autem tantum impulsus amore carnali, parum præstitit. Si quæras quare non fuit lapidata

A vt adultera secundum legem? Respondeo, fortè occultum erat crimen, aut eo tempore leges non benè seruabantur, quando vt supra dictum est, quisque faciebat quod sibi rectum videbatur.

Quæ reliquit eum. Scilicet maritum, cuius zelotypiam ferre nolebat diutius, inquit Iosephus. S. Ambr. putat, familiari re aliqua, vt in matrimoniis frequenter accidit, offensam concubinam (sic enim vocari solent secundariæ vxores, vt dixi Gen. 25.) noluisse diutius illius coniugium: ac proinde paternas aedes repetiisse, vt alterum à parente maritum deposceret. Ita etiam Lyranus, Serarius & alij.

Nota ex cap. seq. v. 28. quo dicitur, *Phines filius Eleazar filij Aaron prepositus fuisse domus Dei*, seu Pontifex, tum cum hæc contingerent, certo colligi hæc contigisse paulo post mortem Iosué, ante Melopotamicam seruitutem. Ita Hebræi, & Iosephus, Genebrardus, Abulensis, Lyranus, Vincentius & Serarius.

VARIETAS LECTIONVM à Verf. 3. ad 6.

Vulg. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & secum reducere, habens in comitatu puerum, & duos asinos: quæ suscepit eum, & introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset focer eius, eumque vidisset, occurrit ei lætus.

Pag. Surrexit, perrexit post eam vt loqueretur ad cor eius, &c. & lætatus est in occursum eius.

Mont. Ad loquendum super cor eius, &c. & vidit eum pater puellæ, &c.

Tigur. Vt amicè loqueretur ad eam.

Malu. Et excussus eius cum eo, & coniugatio asinorum, & venire fecit eum domum patris sui, & vidit eum pater excussæ.

Syr. Vt consolaretur eam, &c. gauisus est de præsentia ipsius.

Arab. Duxit secum puerum quemdam seruum suum, &c. & gratulatus est ei.

Vulg. Et amplexatus est hominem, mansitque gener in domo foceri tribus diebus, comedens cum eo, & bibens familiariter.

Mont. Et apprehendit in eum, &c. comederunt, & biberunt, & pernoctarunt ibi.

Malu. Et obrinuit in eo focer eius pater excussæ.

Sep. Rom. Sedit cum eo ad tres menses.

Reg. Tres dies.

Cald. Et inualuit in eo.

Syr. Et retinuit eum.

Arab. Et hospitio suscepit eum, &c. atque pernoctauit nocte illa sua tertia.

Vulg. Die autem quarto de nocte consurgens proficisci voluit, quem tenuit focer, & ait ad eum: Gusta prius pauillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris.

Pag. Fulci cor tuum buccella panis, & postea ibitis.

Arias. Manicauerunt in mane.

Tigur. Die tertio cum surrexissent.

Sep. Rom. Firma cor tuum.

Reg. Confirma, &c. frusto panis.

Cald. Anticipauerunt in aurora.

Arab. Cum surrexisset diluculo, vt discederet.

Vulg. Sederuntque simul, ac comederunt & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæso te vt hodie hîc maneat, pariterque lætemur.

Pag. Quæso & mane, & iucundetur cor tuum.

Arias. Velis & pernocta, & bonum sit cor tuum.

Calet. Et lætetur cor tuum.

Guer. Acquiesce quæso vt pernoctes.

Tigur. Assenti.

Malu. Resolue quæso, & pernocta.

Sept. Et bonum fiet cor tuum.

Cald. Et pulchrescet.

Syr. Eritque tibi iucundum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Volens ei reconciliari, atque blandiri, Alij, Vt loqueretur ad, vel super cor eius. Vt consolaretur eam. Hæc phrasi, vt loqueretur ad cor eius, significatur eum voluisse miseram, & afflictam consolari. Vide Concordiam v. 3. cap. 34. Gen. Tribus diebus. Sept. Rom. Per tres menses. Sed mendum: in omnibus enim aliis solum fit dierum mentio, & veritas textûs id requirit. Bibens familiariter: Non est in aliis familiariter, tamen additur emphaticè, vt denotaretur eorum reconciliatio. De nocte consurgens. Benè Arab. Cum surrexisset diluculo: Quæso te, Alij, Acquiesce, assenti, est enim *יאאל* iaal, quod propriè assentiri, seu assensum præbere, ad aliquid agendum denotat. Die autem quarto consurgens. Tigur. Die tertia. Sed mendosè.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Secutusque.* Sicut frequenter contingit, quod viri scientes vxores suas malè egisse contra legem thori, adhuc eas tamen reuocant.

Habens in comitatu. Id est seruum. Cætera patent in litera.

MENOC. *Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei.* In Heb. est. Iuit post eam vt loqueretur ad cor illius, quæ dicendi formula blandè alloqui significat, aut blandiri, vt noster vertit Interpres. Si mulieris adulterium incersisset, eaque alteri viro nupsisset, iuxta Deut. legem cap. 24. 3. & 4. non fuisset fas Leuitæ, iterum illam reuocare,

B siue viuis esset posterior maritus, siue mortuus.

Suscepit eum, &c. Benè ac sapienter fecit Leuitæ vxor, quæ offensionum oblita, marito suo reconciliata est. Aliæ arrogantes, & iracundæ, quo se quæri magis, & ad reconciliationem inuitari vident, eo difficiliore, & asperiores sunt.

Die autem quarta, &c. Hîc consequenter describitur LYRAN. vxoris reconciliatæ reductio. Et patet littera vsque ibi.

De nocte consurgens. Primo scilicet diluculo, quod *manicare* scriptura dicit aliquando Luc. 5. 21. 38.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 7. 8. & 9.*

Vulg. At ille confurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixè eum focer tenuit, & apud se fecit manere.

Pag. Surrexit vir vt surgeret, & compulit eum, &c. & reuerfus est, & mansit ibi.

Mont. Vim fecit in eum focer eius, &c. & pernoctauit.

Malu. Rupit in eo vir eius.

Sept. Rom. Et sedit, & mansit ibi.

Cald. Inualuit in eum.

Arab. Insistente apud eum focero eius.

Vulg. Manè autem factò, parabat Leuites iter. Cui focer rursus. Oro te, inquit, vt paululum cibi capias, & assumptis viribus, donec increseat dies, postcà proficiscaris. Comederunt ergo simul.

Pag. Surrexitque mane die quinta vt pergeret, & dixit ei pater puellæ. Fulci quæso cor tuum, & retardauit eum, donec inclinaret dies.

Arias. Et tardauerunt vsque ad declinare diem.

Caiet. Remoratus est vsque ad inclinationem diei.

Tigur. Moram nectunt, donec inclinaret.

Guer. Inclinaretur dies.

Malu. Et manicauit in mane ad ambulare, & dixit pater excusæ, &c. & inturbabunt se vsque ad extendere diem.

Sept. Rom. Firma cor tuum, & instrue.

Reg. Confirma cor tuum pane, & præpara donec increseat dies.

Alij. Cod. Gr. Et decipiebat eum.

Cald. Et anticipauerunt in aurora.

Arab. Concede aliquid, & expecta donec illucescat tan-

tisper, cumque simul parati essent:

Vulg. Surrexitque adolescens, vt pergeret cum vxore sua & puero. Cui rursus locutus est focer: Considera quòd dies ad occasum declinior sit, & propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficisceris vt vadas in domum tuam.

Pag. Vt iret ipse, & concubina eius, &c. & nunc debilitata est dies, ad occidendum, mane te quæso, ecce mansione diei mane, & iocundetur cor tuum, & surgetis cras in viam vestram, pergesque in tabernaculum tuum.

Mont. Ad eundem vir & pellex eius, &c. ecce nunc se remisit dies ad vesperscendum, pernoctate quæso, ecce castrametari diem, pernocta hîc, & bonum sit cor tuum.

Caiet. Ecce dies ad occasum tendit.

Guar. Iam remissior facta est dies, vt occidat, &c. ecce mansio diei.

Malu. Ecce desiderare diem, pernocta hîc, & bonum fuit cor tuum, & manicabitis crastino viæ vestræ, & ambulabis tentorio vestro.

Sept. Rom. Infirmata est dies ad vesperam, & bonum fiet cor tuum.

Reg. Ecce declinauit dies.

Cald. Pulchrescet cor tuum, & anticipabis cras ad viam.

Syr. En retrocessit dies, pernocta hîc, & bene tibi succeder.

Arab. Dimidiata est iam dies, &c. oblectare nobiscum vsque ad crastinum diem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Assumptis viribus donec increseat dies. Hebr. *והיחמנו* *vehithmehnu*, quod quidam imperatiuum faciunt, Vt tardate, moramini; Alij, Præteritum singulare, cum affixo, Et tardauit eum. Plerique præteritum plurale, & tardauerunt: sed nescio, cur à lectione Vulg. & Sept. discedunt, cum hæc verba sint foceri, non scriptoris hagiographi, loquentis de iniecta mora in tertia persona. Sept. habent *prepara te*, vel *instrues*, quæ vox Græcè *εὐεργεσιον*, vel *μετῃσῆσθαι*, significat ad actionem militarem accingi, sed hîc per Metaphoram transfertur, vt idem sit, quod instrue, te, & accingere ad iter: teste scholiaste, in quibusdam codicibus Græcis habetur, *ὁ δὲ πλάνη δούτην*, & decipiebat, vel *increseat dies*; Alij, *Ad declinare diem*, quod nihil aliud est quam quod sole meridiem transgresso ad vesperam dies inclinatur. *Mane apud me etiam hodie*; Alij, *Ecce castrametari diem*, quod sic explicant, ecce sol, seu dies se recipit in sua castra, vt in tentorium suum solent milites sub finem diei castrametari. *Finem ergo diei vocat castrametationem*; Alij, *Ecce mansio diei*, id est tempus se conuertit ad hospitium: Quasi diceret, non procul abest occasus solis, vel appropinquat dies ad vesperam, quo solent homines diuertere ad hospitium, occasus solis vocat mansionem, nam sol videtur diuertere ad hospitium, quum occidit.

ANNOTATIONES.

MENOC. v. 7. **O**bnixè eum focer tenuit. Hebr. & Græcè est *coëgit* A eum, *ἐβιάσατο αὐτὸν*. Pulchrum humanitatis, amicæque hospitalitatis exemplum, quale discipulorum euntium in Emmaus, qui *coegerunt eum*, vt dicitur Luc. 24. v. 29. Christum scilicet.

Donc decreseat dies. Hebr. *inclinat dies*; scilicet astus frangat, & ad iter paulo sit aura commodior.

Considera, quod dies. Non quia esset ita prope noctem, sed quia transierat horam Meridionalem, à qua hora incipit sol declinare à sua altitudine.

MENOC. v. 8. LYRAN. v. 9.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 10. ad 15.*

Vulg. Noluit gener acquiescere sermonibus eius: sed statim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ierusalem, ducens secum duos asinos onustos, & concubinam.

Pag. Noluit vir manere.

Arias. Pernoctate, &c. & cum eo par asinorum stratorum, & pellex eius cum eo,

Malu. Et non amauit vir pernoctare, venit vsque ad recititudinem Iebus, & cum eo coniugatio asinorum superalligatorum.

Sept. Non probauit vir manere,

Syr. Peruenit ad oppositum Iebus.

Vulg. Iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem, dixitque puer ad Dominum suum, veni, obse-

Tom. IV.

cro, declinemus ad urbem Iebusæorum, & maneamus in ea.

Pag. Iphis existentibus iuxta Iebus dies descenderat valde.

Isid. Clar. Inclinata erat valde, sic Caiet.

Malu. Dixit excussus ad sustentatores suos, ambula, obsecro, & discessimus ad urbem Iebusæi istam.

Sept. Rom. Dies percusserat valde.

Reg. Declinauerat.

Arab. Cumque instabato cœsus solis.

Vulg. Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israël: sed transibō vsque Gabaa.

Mont. Non declinemus ad urbem alienigenam,

M iij

Malu. Non discedemus ad urbem nothi.
Cald. Ad urbem filiorum gentium.
Arab. Ne contingat nobis infortunium aliquod.
Vulg. Et cum illuc peruenero, manebimus in ea, aut certe in vrbe Rama.
Pag. Vade, & appropinquabimus ad vnum è locis.
Cald. Applicabimur in vno ex locis.
Vulg. Transferunt ergo Iebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol iuxta Gabaquæ est in tribu Benjamin.
Arias. Intrauit eis sol.
Malu. Et venit eis sol reseruatio Ghibghah.
Sept. Rom. Et præterierunt & inuenerunt, & occidit, &c.

Cald. Intrauit illis sol in latere collis, qui tribus Benjamin.
Vulg. Diuerteruntque ad eam, vt manerent ibi, quò cum intrassent sedebant in platea ciuitatis, & nullus voluit recipere eos hospitio.
Pag. Et non fuit vir recolligens eos ad manendum.
Malu. Et discesserunt ibi ad venire ibi, ad pernoctare in Gibghah.
Sept. Et non erat vir conducens eos in domum.
Reg. Et non erat vir congregans eos vt hospitio fruerentur.
Cald. Et non erat homo, qui congregare faciat.
Arab. Nemo introduxit eos in domicilium suum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Noluit vir acquiescere sermonibus; Alij, Non amauit vir pernoctare, non probauit. Interpres non reddidit verba, sed sensum. *Dies mutabatur in noctem;* Alij, *Dies descenderat, declinarat:* Præteritum רָדַד rad, pro רָדַד iarad, deficiente prima substantiali littera iod: Non malè ex analogia referas ad רָדַד radad. Et dies extendat, seu diduxerat, & extenuauerat, scilicet quasi in tenuissimam laminam, videlicet quasi ad summum. Nullus voluit recipere eos in hospitio; Alij, Non fuit vir recolligens eos ad manendum. Est enim מְסַפֵּחַ measeph, quod est colligens, congregans.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 10.** **E**T venit. De rationibus horum nominum & aliorum quibus nominata est hæc ciuitas secundum diuersa tempora, dictum fuit Gen. 28. Ex hoc autem loco dicunt Hebræi, quod ista historia contigit tempore Othoniel, ante illam, quæ scribitur in principio huius libri de captione Ierusalem per filios Iuda, quia subditur hic.

ESVITS. Et venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ierusalem: Et paulo post v. 12. Non ingrediar oppidum gentis alienæ. Quæritur, quomodo hoc consistat cum eo quod iam supra cap. 1. huius libri, dicuntur filij Iuda cepisse Ierusalem, & percussisse in ore gladij? Sed dicendum videtur, ea quæ cap. 1. de capta à Iuda Ierusalem leguntur, per anticipationem esse narrata, & ea quæ hic narrantur, esse antiquiora, non tamen ante distributionem fortium, eo quod hic omnes tribus quasi externo hoste vacuæ, in bellum contra Benjamin exierint. Sed definitè quo tempore hæc gesta sint, obscurum manet: illud tamen constat, Phineen filium Eleazari sacerdotis tunc adhuc superstitem fuisse: sic enim legitur capite sequenti, v. 27. *Eo tempore erat ibi arca Domini, & Phinees filius Eleazari sacerdotis.*

LYRAN. **Y. 12.** Non ingrediar. Ex quo videtur quod adhuc filij Iuda non

ceperant illam ciuitatem. Catholici autem aliqui dicunt, quod contigit ante Othoniel: eò quod in fine huius historiae dicitur: *In diebus illis non erat rex in Israël:* sicut supra dictum est de historia Michæ cap. 17.

Vsq̄ Gabaa. Gabaa est vrbs in tribu Benjamin, vt dicitur num. 14. sequenti. Sunt tamen qui duplicem in Benjamin Gabaa constituant, vnam montanam, campestem aliam, nam sequenti cap. 20. num. 31. in Hebræo dicitur *Gabaa in agro*, vt scilicet distinguatur à montana, quæ illi propinqua est, & ad quam diuertisse Leuitam sentit Serarius quæst. 6.

Occubuitque. Hic consequenter describitur redeuntium hospitatio, cum dicitur: *Occubuitque eis sol iuxta.* Et ideo non poterant bono modo ultra transire.

B *Et nullus.* Quia boni timebant eos recipere timentes inuasionem domus suæ de nocte ab hominibus insolentibus, qui erant in ciuitate: sicut & contigit ei qui eos recepit. Mali autem homines vagi & insolentes non habent hospitia ad recipiendum transeuntes, ne ipsi libenter declinant ad eos. Cætera patent vsque ibi.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 16. 17. & 18.

Vulg. Et ecce, apparuit homo senex, reuertens de agro, & de opere suo vesperi, qui & ipse de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa, homines autem regionis illius erant filij Iemini.

Mont. Venit ad opera sua.

Malu. De factura sua, & ipse trahens in Gibghah.

Sept. Rom. Veniebat ab operibus suis, &c. viri loci filij Benjamin.

Syr. Et huius loci incolarum Beniaminitarum opera erant admodum perniciofa-

Arab. Gens flagitiosa, & opera eorum valde execranda.

Vulg. Eleuatifque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea ciuitatis: & dixit ad eum: Vade venis? & quo vadis?

Pag. Vidit virum deambulantem per plateam.

Mont. Facientem iter in platea.

Caier. Virum viatorem. Ita Isid. Clar.

Malu. Itinerantem.

Tigur. Qui venetat de via.

Arab. Sublato ictu oculorum vidit peregrinum viatorem commorantem in vico ciuitatis.

Vulg. Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlechem Iuda, & pergimus ad locum nostrum qui est in latere montis Ephraim, vnde ieramus in Bethlechem: & nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere.

Pag. Vsq̄ ad latera montis Ephraim, &c. & non est vir me colligens in domum.

Malu. Vsq̄ ad femora montis.

Sept. Rom. Ad domum meam vado.

Cald. Ad domum sanctuarij Domini ego vadens.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Viri loci illius Iemini; Alij, Benjamin, quia omnes filij Iemini erant filij Benjamin. Syr. & Arab. addunt: *Opera eorum erant valde perniciofa, & execranda*, quod verum est, & ex sequentibus liquet. *Vidit hominem sedentem;* Alij, *Ambulantem, iter facientem*, sed alij melius Hebræam vocem, שֹׁכֵן non per participium, vt significetur actus, sed per nomen, quod significat conditionem personæ, viatorem reddunt: quomodo enim intelligere possumus eundem ambulantem & sedentem? *Ipsè autem in platea ciuitatis*, cum senex homo ille apparuit, habetur paulo ante vers. 15 ex Hebr. non potest ergo intelligi hic ambulans: Quocirca nec recte Flamin. Nob. illud ὁ καθήμενος , apud Sept. reddidit *iter facientem*, quod alij Latini Interpretes melius viatorem reddiderunt: Noster tamen Interpres vim Hebrææ

vocis non attendit, sed sensum expressit, & quod paulo ante dictum est sedere, maluit sedentem dicere, respiciens ad præsentem situm potius, quam ad conditionem illam viatoris, quæ ex tota historia satis intelligebatur. *Cum sarcinulis suis*, quæ verba non sunt in Heb. nec in aliis, sed ea addidit Vulg. ut exprimeret quomodo cognitus sit viator.

ANNOTATIONES.

MENOC. **Y. 16.** **LYRAN.** **Y. 18.** **E**rant filij Iemini. Filij Benjamin, qui enim dictus A fuit Benjamin, Gen. 35. 18. idem quandoque vocatur Iemini, ut supra capite tertio versu decimoquinto, & 1. Reg. 9. & alibi sæpe.
Et nunc. Hoc est in Silo, ubi erat tabernaculum, & arca testamenti, quia antequam intraret in domum suam,

volebat Deo regratiari de hoc quod direxerat eum in via, & custodierat, ut ex hoc deberent homines inclinari ad ipsos recipiendum.

Domum Dei. Silo enim ubi tabernaculum, & arca, in **MENOC.** tribu Ephraim erat, quod pergebant. LXX. habent, *Domum meam.* Cald. *Domum Sanctuarij Dei.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 22.

Vulg. Habentes paleas, & fœnum in asinorum pabulum, & panem ad vinum in meos, & ancillæ tuæ vsus, & pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio.

Pag. Non est defectus omnis rei.

Malu. Non defectus omnis verbi.

Cald. Non indigemus omni quoquam.

Syr. Tum paleam, & stramen habemus.

Vulg. Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneat.

Pag. Tantum omnis defectus sit super me.

Tigur. Bono sis animo, ego sarciam quicquid tibi deest.

Sep. Reg. Sed in platea non diuertas.

Cald. Tantum penuria tua super me.

Vulg. Introduxitque cum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: ac postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.

Pag. Comederunt ac biberunt.

Arias. Et miscuit asinis.

Malu. Confudit asinis suis.

Sept. Rom. Locum fecit asinis.

Reg. ut Vulg.

Cald. Coniecit pabulum.

Vulg. Illis epulantibus, & post laborem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri ciuitatis illius, filij Belial, id est, absque iugo, & circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes. Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo.

Pag. Iphis iucunditate afficientibus cor suum, &c. filij impij gytauerunt iuxta domum, pulsantes adostium, &c. ut cognoscamus eum.

Arias. Iphis bonificantibus cor suum, &c. filij absque profectu.

Guar. Cumque ipsi exhilararent cor suum,

Tigur. Impetu ferebantur ad ostium.

Malu. Homines filiorum Beligaghal.

Sep. Rom. Filij iniquorum.

Cald. Filij impietatis.

Arab. Cumque iucundis essent animis, conuenit aduersus eos gens scelerata ciuitatis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nulla re indigemus nisi hospitio, Alij, Non est defectus, penuria omnis rei. Illud nisi hospitio in aliis non habetur, sed cum hîc illa exceptio intelligenda esset, maluit Interpres eam exprimere. *Filij Belial, id est, absque iugo, Alij, Filij impij, filij iniquorum.* Vide Concord. v. 13. Deut. 13. Ista vocis interpretatio absque iugo non est in Heb. cur enim Hebræis Hebraicarum vocum Interpretatio adderetur? sed eam addidit Interpres, ne careret emphrasi ista versio. *Homines filiorum Belial.* Quasi diceret qui improbitatem auitam, & à parentibus propagatam habentes, prauorum praua soboles parentum, impietatis hæredes, & propagatores. *Vt abutamur eo, Alij, Vt cognoscamus.* Vide Concordiam vers. 5. Gen. 19.

ANNOTATIONES.

MENOC. **Y. 21.** **LYRAN.** **Y. 22.** **P**ostquam lauerunt pedes suos, &c. Sunt mores hospitalitatis, quales in Abraham, & Loth, quondam fuerunt Gen. 18. & 19.

Illis epulantibus. Descripta peccandi occasione, hîc consequenter describitur peccati perpetratio, cum subditur. *Venerunt viri, &c.* Quod autem sequitur, *id est, non est in Hebræo, sed est interpretatio huius dictionis Belial, quia tales homines sunt sine disciplina, & timore Dei.*

Fores pulsare, &c. Cum tamen secundum dictamen rationis rectæ, peregrini in hospitio, debeant esse securi.

Educ virum, &c. ut abut. &c. Concubitu Sodomitico, ut communiter dicunt expositores. Iosephus autem di-

cit quod non quærebant nisi mulierem, sed sic loquebantur ut inclinarent dominum domus, maritum mulieris ad trahendum eam. Vnde & in fine intentabant viro mortem, nisi traderet eis vxorem suam, secundum quod allegat cap. seq. dicens, *Volentes me occidere, &c.* Et hoc videtur ex hoc, quod tradita eis vxore fuerunt contenti, ut habetur infra.

Filij Belial. Id est, ut interpretatur noster, *absque iugo, MENOC.* LXX. vocant *βίαις παρανομίας, filij transgressorum legum,* hoc est, transgressores, & legis iugum excutientes. Alii vocantur *id est filij Diaboli, aut diabolici, 3. Reg. 21, 13. Psal. 17. 5. 40. 9. Apostata, Prou. 6. 11.*

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 23. ad 26.

Vulg. Egressusque est ad eos senex, & ait: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia.

Pagn. Dominus domus, &c. ne malefaciatis obsecro, ne malefaciatis nefas hoc.

Mont. Ne faciatis turpitudinem hanc.

Caier. Cessate ab hac ignominia.

Tigur. Ne designetis hoc scelus horrendum,

Malu. Non faciatis fatuitatem istam.

Sept. Rom. Non faciatis imprudentiam hanc.

Cald. Non faciatis ignominiam istam.

Syr. Nolite talem iniuriam committere, tantum dedecus ne perpetretis.

Arab. Ne stupretis virum, ne tam turpe facinus committatis.

Vulg. Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum,

Pag. Affligite eas, & facite quod bonum est, viro autem huic ne faciatis rem ignominiosam.
Arias. Ne faciatis verbum turpitudinis huius.
Isid. Clar. Ne scelus hoc tam abominabile compleatis.
Caier. Et viro huic non faciatis rem ignominia huius.
Tigur. Ne tam horrendum scelus designetis.
Malu. Non faciatis verbum fatuitatis istius.
Sept. Rom. Verbum imprudentia huius.
Reg. Insipientia.
Cald. Negotium ignominia huius.
Syr. Viro huic tantum dedecus ne faciatis.
Arab. Ne designetis hanc turpitudinem, neue hunc virum stupretis.
Vulg. Nolebant acquiescere sermonibus illius, quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam, qua, cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane.
Pag. Noluerunt audire eum, tenuit vir concubinam suam, cognouerunt eam, &c. cum ascenderet aurora.

Arias. Apprehendit vir pellicem suam, &c. & illuserunt in eam.
Malu. Et non amauerunt homines ad audire ei, & obtinuit vir in pellice, &c. & ludicre egerunt in ea.
Sept. Et non probauerunt audire eum, &c. vt ascendit ipsum mane.
Reg. Simul cum ascensu aurora.
Cald. Et irriserunt eam.
Syr. Qui vexantes eam.
Arab. Qui exercuerunt in ea cupiditates suas.
Vulg. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus vbi manebat dominus suus, & ibi corruit.
Pag. Venit mulier, dum respiceret mane, cecidit ad ostium viri, qui erat dominus suus, ibi vsque ad lucem.
Arias. Ad respiciendum in mane.
Tigur. Vbi erat maritus eius donec illucesceret.
Malu. Cecidit in ianua viri, qua sustentatores eius ibi.
Sept. Rom. Venit mulier diluculum versus.
Cald. Ad inclinare aurora.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cessate ab hac stultitia; Alij, Ne faciatis nefas hoc. Dicitio Hebr. הנהבלה hanebalah, aliquid amplius dicit, quam stultitiam, scilicet insignem turpitudinem, ignominiam, horrendum scelus, nefas execrandum, tamen genericè significat stultitiam, fatuitatem. Vt humilietis eas; Alij, Affligite eas. Licet verbum hanah vtrumque significet, melius tamen hic per humiliari, quam per affligere redditur ab Interprete. Eduxit eam; Alij, Apprehendit eam, tenuit: Verbum enim קח chazak, validam apprehensionem denotat: vnde concubinam inuitam, & reluctantem pertractam hoc verbum indicat. Et eis tradidit illudendam; Alij solum habent, Et tradidit, non est in Heb. quod his verbis respondeat, sed absolutè dicitur eis tradidisse: sed Vulg. addidit ad maiorem rei expressionem, Abusissent; Alij, Ludicre egerunt in ea. Verbum גלל ghalal, ludicre agere, illudere significat, id est, fecerunt in ea opus abominabile, & ludicrum in coitu, forte enim in ea præposteram etiam libidinem exercuerunt.

ANNOTATIONES.

MEN OC.
 V. 23.

Cessate ab hac stultitia. Ab hoc scelere, ab hoc flagitio, quemadmodum in sacris literis stultum frequenter peccatorem significat, ita stultitia, ipsum peccatum.

LYR AN.
 V. 24.

Habeo filiam virginem. Dicunt aliqui quod non peccauit offerendo eis filiam suam, ad euitandum maius malum, scilicet peccatum contra naturam, quod ipsi prætendebant ad iniuriam hospitem suorum. Sed hoc non est verum, quia nullus debet consentire in hoc quod est peccatum, maximè mortale de genere, vt euitet in alio maius peccatum, prout declaratum fuit diffusè Gen. 19. de Loth, qui in casu simili voluit tradere filias suas virgines.

Et hic homo. Id est, vxorem, quæ sic nominatur à concubitu: & similis modus loquendi habetur 2. Reg. 16. vbi Architophel dixit ad Absalon. *Ingrederet ad concubinas patris tui*, quæ tamen erant vxores Dauid, non enim habebat concubinas ad exercendum adulterium.

ESTIVS.

Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos. Docet Apostolus non esse facienda mala, vt eueniant bona, & multo minus facienda sunt minora mala, vt euitentur maiora mala. Vnde non debemus esse solliciti, vt factum huius viri, alioqui boni ac iusti, excusamus à peccato, sicut nec factum ipsius Loth excusandum est, quando filias suas prostituere voluit, vt hospites seruaret. Interim in vtroque laudandum est studium & voluntas defendendi hospites ab iniuriis, tamen si id non fecerint eo modo quo debebant. Nec possunt excusari, quasi permiserint minus peccatum ad impediendum maius, quia etiam cooperati sunt producendo stuprandas, & verisimiliter alioqui etiam non peccaturas, quod constat nullo modo licuisse facere.

MEN OC.

Habeo filiam virginem, &c. Non peccasse senem & Leuitam, dum vxorem & filiam, illorum obtulere cupiditati, communis est opinio, in modo tamen & causa istius rei explicanda discordia aliquid est. Expertissima videtur ratio eos à culpa eximendi, si dicamus excusari ignorantia,

A qua in sene illo viro agricola, vt apparet ex num. 16. huius capitis, est valde probabilis, vt etiam fortasse in iuvene isto Leuita. Alioqui enim nullo iure poterat filia, & hospitem, de quibus Gabaitæ non cogitabant, illorum libidini exponere, etiam si id eo faceret consilio, vt maius peccatum vitaretur. Adde fieri potuisse, vt vtrique notum esset simile Lothi factum, ex quo erroris occasionem acceperint. Vide Lessium de iustitia & iure lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 19. & Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 11. à num. 14. & deinceps, & potissimum num. 24. & 28.

Vt humilietis eas. Humiliare aliquam phrasi Hebraica, est rem cum illa habere, exemplum habes Deuter. 21. v. 14. & alibi.

Qua cum tota nocte, &c. Quia non erat eorum vxor, & idco talis concubitus erat abusiuius, vel quia utebantur ea concubitu innaturali.

Eduxit ad eos concubinam suam. Et quidem licitè vt olim Loth filias obtulit suas, Gen. 19. nempe vt maius faciliusque peccatum euitarent. Non tamen id eis licuisset, si vxor vel filia non consensissent, vt sic traderentur. Vide Caieranum, Abulensem, & Serarium.

Et ibi corruit. Tum quia erat nimis afflictæ, tum etiam ex verecundia.

Recedentibus tenebris. In Hebræo est, *ad recipere mane*, id est, cum appeteret matutinum tempus.

Vbi manebat dominus suus. Mos vetus, vt scilicet vxores, maritos Dominos appellent, quem non obscure laudat S. Petrus 1. Epist. cap. 3. num. 5. *Sara*, inquit, *obediebat Abrahamæ, dominum eum vocans.*

Et ibi corruit. Duplicem mortis causam affert Iosephus, vnam summum eorum, quæ passa esset, dolorem, alteram summum pudorem, atque verecundiam, ob quam in viri sui conspectum venire non auderet. In sacro textu ea causa maxime innuitur, quod labore, & vexatione nocturna fatigata, deficientibus iam viribus collapsa sit, & extincta.

LYR AN.
 V. 25.

LYR AN.
 V. 26.
 ME NOC

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 27. ad 30.*

Vulg. Manè facto, surrexit homo, & aperuit ostium, vt cœptam expleret viam: & ecce concubina eius iacebat ante ostium, sparsis in limine manibus.

Pag. Manus eius erant super limen.

Arias. Et ecce mulier pellex sua cadens ad ostium domus.

Malu. Et surrexit sustentatores eius in mane, & aperuit ianuas domus, & exiuit ad ambulare viæ suæ, & ecce vita pellex eius, cadens ianua domus.

Sept. Iacens apud ianuas domus.

Reg. Apud portam.

Vulg. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua; tulit eam, & imposuit asino, reuersusque est in domum suam.

Arias. Et non respondens cepit eam, &c. surrexit vir, & abiit in domum suam.

Sept. Rom. Non respondit, quoniam erat mortua.

Reg. Non respondit, sed erat mortua.

Arab. Imposuit eam asino suo mortuam.

Syr. Et abiit in patriam suam.

Vulg. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, & cadaver vxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frustra concidens, misit in omnes terminos Israël.

Mont. Apprehendit pellicem suam, & truncavit eam in

ossibus suis.

Malu. Et obtinuit in pellice sua, & frustavit eam ossibus suis duobus decem frustis.

Sept. Rom. Partitus est eam in duodecim membra.

Reg. Membratim diuisit per ossa.

Cald. Discepfit eam ad membra eius ad duodecim membra.

Syr. Dissecuit in duodecim frustra.

Arab. Et proiecit in terminum singularum tribuum.

Vulg. Quod cum vidissent singuli, conclamabant: Nunquam res talis facta est in Israël, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, vsque in præsens tempus? ferte sententiam, & in commune decernite, quid facto opus sit.

Pag. Et fuit omnis, qui videbat, &c. considerate illud, consulite, & loquimini.

Arias. Ponite vobis super illud.

Guar. Ponite cor vestrum super eam.

Tigur. Ex pendite hanc rem.

Sept. Ponite nobis consilium super eam.

Reg. Ferte iam nobis pro ipsa sententiam.

Cald. Ponite corda vestra, & consulimini.

Syr. Et opinantes de ea consilium inierunt, & collocuti sunt.

Arab. Itaque congregati sunt filij Israël, & rem perpendentes, se inuicem cohortati sunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Iacebat sparsis in limine manibus; Alij, Manus eius super limen, quasi indormiisset, manibus capiti subiectis in limine, sed melius Vulg. Cum caderet enim, protenderat manus, super limen, hic est enim cadentium habitus. Ferte sententiam; Alij, Ponite vobis super illud, Alij addiderunt, Cor, vel corda. Hebraismus est significans rem diligentissimè expendendam, & in ea animam omninò adhibendam, ad vindicandum adedò execrandum scelus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q**uam cum esset ingressus. Hic describitur facti diuulgatio, cum dicitur.

Arripuit gladium, &c. Erant enim duodecim Tribus præter tribum Leui. Tribus autem Manasse erat diuisa in duas partes, quarum vna erat ultra Iordanem, alia citrà: Et sic pro illa fecit duas partes: aliter non fuisset notificatum factum sufficienter: pro tribu verò Benjamin, non fecit aliquam partem, quia nuntios per quos misisset, occidissent: neque pro tribu Leui, quia erat dispersa per omnes tribus, & ideo denunciatio facta aliis, sufficienter erat denunciatio tribui Leui.

Misit in omnes terminos Israël. Scilicet per nuntios, qui factum & modum faciendi populo explicabant. Cætera patent.

In duodecim partes, &c. Vt scilicet unicuique tribui pars

mitteretur, spectaculumque illud acrius animos ad vindictam incitaret. Arias putat frustra illa sublimi aliquo loco statuta, vt ab omnibus conspici possent, ad eum modum quo corpora eorum, qui sententiam sunt passi, ad terrorem loco edito suspenduntur, aut illorum partes. Aliqui putant ad tribum Benjamin corporis illius sectionem missam non fuisse, quod scilicet ea tribus nocens esset. Sed nihil vetat, quo minus mitti potuerit, quia viri tantum Gabaa scelus admiserant, non tribus vniuersa.

Cadaver vxoris in duodecim partes concidens. Neque in hoc peccauit Leuita, cum non ad dehonestandum corpus, sed ad honorem defunctæ refarciendum, id fecerit, nempe vt hac via prouocaret duodecim tribus ad tanti sceleris vindictam, ita Abulensis & alij.

TIRINVS

MENO C.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS.

In fandum scelus vlscisci volentes undecim tribus à Beniaminitis semel iterumque caduntur, fuganturque: sed tertio committentes pralium, tribum Beniaminiam penitus exscindunt, solis sexentis reliquis qui in solitudinem profugerant.

I. Gressi itaque sunt omnes filij Israël, & pariter congregati, quasi vir vnus, de Dan vsque Bersabée, & terra Galaad ad Dominum in Maspha: 2. Omnesque anguli populorum, & cunctæ tribus Israël in Ecclesiam populi conuenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum. 3. (Nec latuit filios Beniamin, quòd ascendissent filij Israël in Maspha.) Interrogatusque Leuita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset, 4. respondit: Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea, illucque diueri: 5. & ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. 6. Quam arreptam, in frustra concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israël. 7. Adestis omnes filij Israël, decernite quid facere debeatis. 8. Stansque omnis populus, quasi vnus hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum: 9. sed hoc contra Gabaa in commune faciamus. 10. Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Israël, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, & possimus pugnare contra Gabaa Beniamin, & reddere ei pro scelere, quod meretur. 11. Conuenitque vniuersus Israël ad ciuitatem, quasi homo vnus, eadem mente, vnoque consilio. 12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? 13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israël. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israël audire mandatum: 14. sed ex cunctis vrbibus, quæ sortis suæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuersum populum Israël dimicarent. 15. Inuentique sunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa, 16. qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra vt dextera præliantes: & sic funda lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17. Virorum quoque Israël, absque filiis Beniamin, inuenta sunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam. 18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus respondit Dominus: Iudas sit dux vester. 19. Statimque filij Israël surgentes manè, castrametati sunt iuxta Gabaa: 20. Et inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, vrbem oppugnare cœperunt. 21. Egressique filij Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israël die illo viginti duo millia virorum. 22. Rursum filij Israël & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certauerant, aciem direxerunt: 23. ita tamen vt prius ascenderent & flerent coram Domino vsque ad noctem: consulerentque eum, & dicerent: Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, & inite certamen. 24. Cumque filij Israël altera die contra filios Beniamin ad prælium processissent, 25. eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium prosternerent. 26. Quamobrem omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illa vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, 27. & super statu suo interrogauerunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, 28. & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. 29. Posueruntque filij Israel insidias per circuitum vrbis Gabaa: 30. & tertia vice, sicut semel & bis, contra Beniamin exercitum produxerunt. 31. Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduersarios longius persecuti sunt, ita vt vulnerarent ex eis sicut primo die & secundo, & cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros: 32. putauerunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium vt abstraherent eos de ciuitate, & quasi fugientes ad suprascriptas semitas perducerent. 33. Omnes itaque filij Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa vrbem erant, paulatim se aperire cœperunt, 34. & ab Occidentali vrbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de vniuerso Israel habitatores vrbis ad certamina

prouoca-

prouocabant. Ingrauatumque est bellum contra filios Benjamin: & non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. 35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israël, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros, omnes bellatores & eductes gladium. 36. Filij autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Israël, dederunt eis ad fugiendum locum, vt ad præparatas insidias deuenirent, quas iuxta urbem posuerant. 37. Qui cum repente de latibus surrexissent, & Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt ciuitatem, & percusserunt eam in ore gladij. 38. Signum autem dederant filij Israël his quos in insidiis collocauerant, vt postquam urbem cepissent, ignem accenderent: vt ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. 39. Quod cum cernerent filij Israël in ipso certamine positi (putauerunt enim filij Benjamin eos fugere, & instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris,) 40. & viderent quasi columnam fumi de ciuitate conscendere. Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret ciuitatem, & flammam in sublime ferri: 41. qui prius simulauerant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filij Benjamin, in fugam versi sunt, 42. & ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos aduersariis persequentibus, sed & hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum est, vt ex vtraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa. 44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem & octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores. 45. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: & pergebant ad Petram, cuius vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diuersa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum vltra tenderent, persecuti sunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia. 46. Et sic factum est, vt omnes qui ceciderunt de Benjamin in diuersis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. 47. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui euadere, & fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: fueruntque in petra Remmon mensibus quatuor. 48. Regressi autem filij Israël, omnes reliquias ciuitatis, à viris vsque ad iumenta, gladio percusserunt, cunctasque vrbes & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. 2. & 3.*

Vulg. Egressi itaque sunt omnes filij Israël, & pariter congregati, quasi vir vnus, de Dan vsque Bersabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maspha.

Pag. Congregatus est omnis cœtus, tanquam vir vnus.

Malu. Conuentus.

Figur. Concio ad vnum coacta.

Sept. Rom. Euacuata est synagoga. *Reg.* Conuocata.

Cald. Congregata congregatio.

Arab. Simul conuenerat.

Vulg. Omnesque anguli populorum, & cunctæ tribus Israël in Ecclesiam populi Dei conuenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum.

Pag. Steterunt, &c. pugnatorum eductentium gladium.

Figur. Bello aptorum.

Malu. Et stare se fecerunt pinnae omnes populi, omnes

baculi Israël.

Sept. Rom. Steterunt ad faciem Domini.

Reg. Sterit regio omnis populi in congregatione populi Dei. *Cald.* Steterunt capita, &c. in cœtu.

Syr. Affuerunt familiae.

Vulg. Nec latuit filios Benjamin, quod ascendissent filij Israël in Maspha. Interrogatusque Leuita maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset.

Pag. Loquimini, quomodo fuit malum hoc.

Sept. Rom. Vbi facta fuit malignitas hæc.

Reg. Vbi factum malum.

Cald. Quemadmodum fuit malum hoc.

Syr. Quomodo contigit tantum scelus.

Arab. Hoc crimen horrendum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Omnesque anguli populorum; Alij, *Prima capita*, hoc est, primores Tribuum & proceres. *Vulg.* ergo sumpsit metaphoram: nam quemadmodum in angulis maiores, & firmiores constituuntur lapides, qui totum sustineant, firmentque ædificium; ita primores populi sunt illi, qui rempublicam sua autoritate sustentent, & ad modum istorum lapidum angularium, firmam, inconcussamque sustineant, & conferuent. *Malu.* habet, *Stare se fecerunt pinnae omnes.* Hebr. si quidem est *פּינּוֹת* *pinnoth*, quam vocem sic exponit, id est, ædificiorum & murorum summitates conspicuas, & speciosas, & quod ex eis longè lateque aspiciatur. *In Ecclesiam Dei;* Alij, *Congregationem populi Dei, ad faciem Domini*, hoc est, conuentui, & congregationi populi se steterunt: neque enim est hinc Ecclesia populi, aliud quam populi conuentus, & congregatio. *Interrogatus Leuita;* Alij, *Dixerunt filij Israël, loquimini.* Hebr. pluraliter est *דְּבַרְוּ* *debaru*, *Vulg.* pluralem numerum pro singulari accipit. Alij cum Leuita, alios quoque interrogatos intellexerunt, nempe vel famulum, vel hospitem.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ψ. 1.

Egressi. Hic consequenter describitur peccantium vastatio, vbi primo facti veritas disquiritur, secundo iustitiæ æquitas requiritur, ibi: *Et miserunt.* Tertio iniquitas defenditur, ibi: *Qui noluerunt.* Quarto, iustè inuaditur, ibi: *Virorum quoque Israël.* Circa primum dicitur: *Egressi itaque sunt omnes.*

De Dan. Hic exprimitur longitudo terræ Israël, quia ciuitas Dei est in termino eius Aquilonari, & Bersabee in termino Australi.

Et terra Galaad. In hoc exprimitur latitudo, quæ incipit à terra Galaad, quæ est vltra Iordanem, & protenditur vsque ad mare Mediterraneum.

Tom. IV.

A *Quasi vir vnus.* Eadem scilicet mente, vnoque consilio, *MENO 6.* vt dicitur num. 11.

De Dan, &c. Quæ duæ ciuitates sunt extremi terre sanctæ termini, à Septentrione, & à meridie per eius longitudinē.

Terra Galaad. Tribus scilicet, quæ vltra Iordanem erant.

Ad Dominum in Maspha. Masphæ plures, vt dixi cap. 10. nu. 17. Putat Masius cap. 18. Iosué, per Maspham intelligi posse

Silo, quæ erat sita in edito loco, cum Maspha speculam significet. Alij putant Maspham, cuius hinc est sermo, eam esse quæ in tribu erat Benjamin, qui non longè aberat in

Silo, & ex qua fortasse ipsum tabernaculum, quod erat à Silo, conspici poterat, itaque illic congregati Israëlita, co-

N

ram Domino esse censebantur. Porro in Maspha frequenter comitia habita legimus 1. Reg. 7. & 10. Ier. 40. vers. 41. 1. Machab. 3. v. 46.

TIRIVS. *Egressi sunt filij Israel.* Quadruplex erat Maspha, inquit hic Serarius. Hoc loco de Benjamin sermonem esse totus contextus demonstrat. Nam & Silo, vbi tabernaculum fœderis erat, quo & Israëlita iam conuenisse dicuntur v. 13. vicina erat illi Maspha; Eadem quoque vicina erat Gabaa, quam bello petebant. Solebatque Benjaminia hæc Maspha frequenter comitium esse, 1. Reg. 7. & 10. Ier. 40. & 1. Machab. 3. Vbi etiam propter hæc Maspha & Siluntis vicinium, vnus locus pro altero vsurpatur, dum dicitur: Locus orationis erat in Maspha, ante in Israël. Forte etiam è Maspha videri eminus poterat tabernaculum Siluntinum, vt qui istuc adessent, censerentur coram ta-

A bernaculo adesse, & ante arcam orare.

Omnesque anguli. Hebræi dicunt, Domini populorum, id est capitanei, in tribubus & familiis.

Et cuncta tribus. Excepta tamen tribu Benjamin.

In Ecclesiam. Id est, congregationem. Tunc enim non fuerunt congregati in Silo, vbi erat domus Dei, sed in Maspha.

Anguli populorum. Principes populi, qui nimirum principes angulorum, aut angularium lapidum instar, populorum continere, ac sustentare solent.

In Ecclesiam. Congregationem, conuocationem, comitia.

Interrogatusque. Quia non debet procedi ad punitiōem tanti facti, absque disquisitione diligenti.

Interrogatusque Leuita. Id enim ad certiorē cognitionem, iustiorēque sententiam valebāt plurimum.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 4. ad 7.

Vulg. Respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum vxore mea, illucque diueri.

Tag. Veni & concubina mea ad hospitandum.

Arias. Pellex mea ad pernoctandum.

Sept. Ad manendum.

Vulg. Et ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est.

Pag. Surrexerunt aduersum me viri Ghibbah, me cogitauerunt occidere, & concubinam meam afflixerunt.

Isid. Clar. Vxorem meam oppresserunt, vt mortua sit.

Caiet. Vexarunt.

Tigur. Præ se ferentes ac si me vellent occidere.

Malu. Circumgyrauerunt super me domum noctu.

Sept. Rom. Concubinam meam humiliarunt.

Reg. addunt. Et illuserunt ei.

Syr. Dehonestauerunt. *Arab.* Stuprarunt.

Vulg. Quam arreptam in frustra concidi, misique partes in omnes partes possessionis vestræ, quia nunquam tan-

tum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israël. *Pag.* Et apprehendi concubinam meam, misi eam in omnem regionem hæreditatis Israël, fecerunt enim abominationem & fœditatem.

Mont. Truncaui eam, & misi in omnem agrum.

Isid. Clar. Quia fecerunt scelus.

Caiet. Quia fecerunt fornicationem & ignominiam.

Tigur. Et nephandum flagitium.

Sept. Rom. Quia fecerunt feruorem & ruinam in Israël.

Reg. Fecerunt nephas.

Cald. Decerpsi eam, &c. quia fecerunt consilium peccatorum, & quod non rectum in Israël.

Arab. Ecquod crimen scelus istud designarunt.

Vulg. Adestis omnes filij Israël, decernite quid facere debeatis.

Pag. Date vobis verbum & consilium hîc.

Tigur. Curate negotium hoc, & deliberate in rem præsentem.

Syr. Ferte sententiam, & consilium hac in re.

Arab. Perpendite hoc, & consilium inite.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vxorem meam furore libidinis vexantes. Ex Hebr. solum est, *oppresserunt.* Et ita Paraphrasis officio functus est Interpretres. *Nunquam tantum nefas, & piaculum factum est;* Alij, *Fecerunt abominationem & fœditatem.* Hebr. *זממזי zimmah,* & *נבלה nebala.* Priorem vocem Sept. fere ἀσεβειαν ἀνομιαν, impietatem, iniquitatem, iniustitiam dixerunt. In codice quidem Rom. etiam sunt duæ voces, *ξέμα & ἀνομιαν.* Non satis significanter reddidit Flaminus has voces per feruorem, & ruinam: Esto enim Sept. ita reddidissent, (quod sane ob varietatem lectionis merito in dubium reuocari potest.) Hæc tamen magnitudinem criminis quæ vocibus Hebr. explicatur, non significant. In codice regio solum est vnica vox ἀσεβειαν, duabus Hebr. respondens. In secunda autem voce, quæ est in Sept. Rom. nempe ἀνομιαν, videntur respexisse ad radicem vocis Hebr. significat enim *נבל nabal,* cadere, at *נבל nabal* nomen significat stultum, & qui mente excidit, & *נבלה nebalah,* stultitia, & factum alicuius, qui mente excidisse videtur; Et de tali lapsu & ruina videntur Sept. intelligendi: vel certe de morali in fœdum peccatum lapsu. *Decernite quid facere debeatis;* Alij, *Date vobis verbum & consilium hîc,* id est ferte sententiam, & date consilium, quid hîc facto opus sit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **R**espondit: veni. Modo expresso capite præcedenti.
 v. 4. *Volentes me.* Nisi eis tradiderim vxorem meam
LYRAN. secundum dictum Iosephi. Vel, *volentes me occidere;* Affli-
 v. 5. gendo me carnali concubitu & nefario, secundum dictum aliorum.
LYRAN. *Nunquam, &c.* Piaculum dicitur à, pio, pias, quod signi-
 v. 6. ficat, purgare. Vnde dicitur piaculum, quasi factum nullo-

B modo absque purgatione, pœna, transcendendum. Sciendum tamen quòd Leuita non solum factum retulit, sed etiam testibus probauit, scilicet, per seruum quem habebat in comitiua, & per senem qui receperat eos hospitio, & familiam eius. Aliter non esset procedendum contra filios Benjamin ad bellum, ad dictum vnus hominis.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 8. ad 11.

Vulg. Stansque omnis populus, quasi vnus hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum.

Pag. Surrexit populus tanquam vir vnus, & non declinabimus vnusquisque in domum suam.

Malu. Non ambulauimus in tentorio suo.

Syr. Nemo abeat in tentorium suum, & nemo diuertat.

Vulg. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.

Pag. Et nunc hoc est quod faciemus ipsi Ghibbah, contra eam per sortem.

Mont. Nunc hoc est verbum, &c. in sorte.

Sept. Rom. Ascendemus super eam in sorte.

Cald. Numerabimus super eam in sorte.

Syr. Iaciamus super eam sortes.

Arab. Obsideamus eam, sortesque mittamus.

Vulg. Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Israël, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, & possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro scelere, quod meretur.

Pag. Vt afferant cibum populo, & faciant venire eos in Ghebah Benjamin secundum omnem fœditatem, quam fecit in Israël.

Arias. Ad accipiendum venationem populo, &c. secundum omnem turpitudinem.

Malu. Fatuitatem.

Sept. Rom. Ad faciendum ei secundum omnem ruinam.

Reg. Iuxta omne scelus.

Cald. Ad accipiendum comœctum populo ad faciendum eis ad Gibghata domus Benjamin, sicut omnem ignominiam.

Arab. Eò quòd inique se gesserint in filios Israël, & perpetrarint in eos turpitudinem.

Vulg. Conuenitque vniuersus Israël ad ciuitatem, quasi homo vnus, eadem mente, vnoque consilio.

Pag. Tanquam vnus vir focij.

Mont. Et collectus est omnis populus.

Tigur. Congregati sunt omnes filij Israël, contra urbem ad vnum confociati.

Cald. Sicut vir vnus æquales.

Arab. Animo consentientes.

Syr. Concordes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

S Ed hoc contra Gabaa, in commune faciamus; Alij addiderunt. Per sortem in sorte, nimirum vel vt quasi fortitò, secretis suffragiis, in vnam coniectis è singulis decuriis, vnum nomen extrahatur. Sept. habent, *Ascendamus eam in sorte*, id est, mittamus sortem, quinam pugnaturi sunt contra eam: *Et possimus pugnare contra Gabaa, & redde- dere ei pro scelere, quod meretur; Alij, Vt faciant, vt veniant ipsi contra Gabaa iuxta omnem fœditatem, turpitudinem, ignominiam, quam fecit in Israel*, sane quod obscurum est in aliis, clarè additum ab Interprete.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **S** *Tansque omnis.* Ex admiratione facti. *Quasi vnus, &c.* Id est, concorditer, & sine retractione & dilatione, ideo subditur. *Non recedemus, &c.* Cætera patent in littera.

A *Decem viri eligantur.* E qualibet Israëlitarum congregatorum deinde vnus eligatur, id est quadraginta millia, è quadragentis millibus. **MEN OC.** **V. 10.**

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 12. ad 16.

V *Vulg.* Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: *Cur tantum nefas in vobis reper- tum est?*

Pag. Quod malum hoc quod factum est à vobis?

Mont. In vobis.

Sept. Rom. Quæ est malignitas hæc?

Reg. Quod scelus?

Vulg. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israël.

Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israël audire mandatum:

Pag. Nunc date filios viros impios, vt occidamus.

Mont. Viros sine profectu, &c. & abigemus malum in Israël.

Isid. Clar. Tradite homines filios Belial.

Caiet. Qui hoc flagitium perpetrarunt.

Tigur. Et excindamus malum.

Malu. Et mori fecimus eos, & combussimus malum, &c. & non amauerunt ad audire in voce fratrum suorum.

Sept. Filios iniquorum, &c. & expugnabimus malignitatem, & non probauerunt audire vocem.

Cald. Venire facite viros filios impietatis, & extirpabimus, facientes malum, & non voluerunt, &c. ad audiendum dicto.

Syr. Et malum arceamus. *Arab.* Auertamus.

Vulg. Sed ex cunctis vrbibus, quæ fortis suæ erant, conue- nerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuersum populum Israël dimicarent.

Pag. Sed congregati sunt filij Benjamin, è ciuitatibus in Gabahah vt exirent ad bellum.

Mont. Et collecti sunt. *Malu.* Ad exire cæsoni.

Vulg. Inuentique sunt viginti quinque millia de Benia- min educentium gladium, præter habitatores Gabaa.

Cald. Et numerati sunt, &c. viginti & sex millia. *Ita omnes Hebraisantes.*

Syr. Arab. Præter habitatores Ghibbah numerati fuerunt sexcenti viri electi.

Mont. Visitati sunt, &c. visitati fuerunt septingenti viri electi.

Isid. Clar. Fortissimi.

Malu. Et visitare se fecerunt in die ipsa de vrbibus viginti & sex mille educens gladium.

Sept. Rom. Viginti tria millia vir trahens gladium.

Reg. Viginti quinque millia.

Cald. Solum ex habitatoribus, &c. numerati sunt septin- genti.

Vulg. Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra vt dextera præliantes: & sic fundis lapides ad certum iaci- entes, vt capillum quoque possent percutere, & ne- quaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.

Pag. Viri electi non vtentes manu dextera sua, sed sinistra omnes, ista funda iaciebant lapides ad capillum, neque lapides peccare faciebant.

Mont. Obturati manu sua, omnis hîc iaciens funda in la- pide, nec aberrabat.

Caiet. Vir electus clausus manum suam dexteram.

Guar. Clausa manu dextera sua.

Tigur. Quorum dextera manus inepta erat.

Sept. Rom. Viri electi ambidexteri.

Cald. Vir adolescens, vir impeditus in dextera manu sua.

Syr. Manibus suis dexteris mutili omnes, qui funda iacu- labantur turbinem ipsam.

Arab. Habentes manus dexterarum aridas, etsi vel turbines iaculatus esset, attingisset eas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

I Nuenti sunt viginti quinque millia. Hebraisantes viginti sex millia, sed potiùs nostræ lectioni credendum, quàm aliis, cum in hisce numeris soleat inueniri incorruptior, & Ioseph. nobis adhæreat cum eod. Græcis, Reg. & Basil. atque his consentit numerus cætorum & superstitum, vers. 35. & 47. tum facilè deprauari potuit *חמשה* *chamissa*, id est quinque, in *ששה* *vescissa*, id est sex. Mendum etiam est in codice Rom. habente viginti tria millia, hîc enim numerus non constat cum aliis numeris, qui habentur vers. 35. & 46. *Qui septingenti erant viri fortissimi.* Pag. *Sexcenti viri ele- Et: sed mendosa Pag. versio, quæ ab omnibus aliis dissonat, habentibus septingentos. Ita dextera ac sinistra præliantes; Alij, Non vtentes manu dextera.* Vide Concord. vers. 15. cap. 3. huius libri. *Vt capillum quoque possent percutere; Alij, Qui funda iaculabantur, &c.* plures agnoscunt hîc hyperbolem. Alij volunt esse propriam locutionem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T miserunt. Hic consequenter iustitiæ æquitas requiritur, videlicet, vt auctores sceleris tradantur, cum dicitur.

Cur tantum nefas. Quasi diceret; nullo modo debentur sustineri auctores tanti mali: Ideo subditur.

MENOC. *Miserunt nuntios.* Nam in priuatis publicisque negotiis, antequam tribunalia summa adeantur, aut arresta expediantur, omnis tentanda satisfactionis, pacisque moderata & placida ratio.

LYRAN. *Tradite homines, &c. Et auferatur malum de Israël, &c.* Quia experimento didicerant quod pro flagitio vnus vel paucorum infortunium vertebat super totum populum, sicut dictum fuit Iosué 7. de peccato Acham.

Qui noluerunt. Hic consequenter iniquitas proteruè defenditur, quod notatur, cum dicitur.

LYRAN. *Conuenerunt in Gabaa, &c. Inuentique sunt viginti quinque.* In Hebræo habetur, *viginti sex millia.* Et quod infra eodem cap. connumerantur viri de Benjamin qui ceciderunt in prælio, inueniuntur tantum viginti quinque millia, atque sexcenti viri qui fugerunt, propter quod ab isto numero subtraxerunt mille, ex ignorantia Hebraicæ veritatis.

LYRAN. *Et sic fundis lapides, &c.* Locutio est hyperbolica ad ex-

A primendam excellentiam artis fundibulariæ in ipsis. Sicut aliquando dicitur: Tota ciuitas currit ad tale spectaculum, cum tamen aliquando maior pars remaneat.

Viri fortissimi, ita sinistra vt dextra præliantes. Hebr. est. *ESTIV*
Vir electus clausus manum dextram: quod variè exponitur, & inter alios quidam exponunt sic, adeò hos fortes fuisse, vt etiã si clausa vel ligata eis dextra manus fuisset, nihilominus feliciter contra hostes pugnare potuissent. Sed apertius tam hoc loco quàm sup. cap. 3. septuaginta transtulerunt *אַמְּוִדְּוִי*, id est, ambidextrum, nempe vt Hieron. transtulit, *ita sinistra & dextra præliantes.*

Fortissimi. Robustissimi corpore.

Ita sinistra vt dextra præliantes. Ambidextri, læua in præliis non secus quàm dextra præliantes.

B *Vt capillum quoque possent.* Hyperbolica locutio, si præsertim de omnibus Gabaensibus accipiatur.

Sic fundis lapides iacentes. Licet hæc hyperbolica videantur Caietano, & Abulensi, facilè tamen credit, qui meminerit quæ de Cambyse tradit Herodotus: de Iuda Arianus, de Marione Crentensi Themistius, de Persa & Lydio Iaculatore Zosimus, de Commodio Imperatore Herodianus, de Balenricis, Strabo, de aliis Lipsius, Villalpandus, & alij.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 17. ad 21.*

Vulg. Virorum quoque Israël, absque filiis Benjamin, inuenta sunt quadraginta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.

Pag. Omnes isti viri pugnatōres.

Mont. Et vir Israël visitati sunt, quadringenti vir mille euaginans gladium omnis vir sic belli.

Tigur. Hi omnes milites fuerunt bellorum gnari.

Malu. Et vir Israël visitare se fecerunt ad solum de Benjamin, &c. oriens vir iste caisionis.

Sept. Reg. Omnes hi viri bellicosi.

Cald. Facientes bella.

Syr. Bello exercitati.

Vulg. Qui surgentes venerunt in domum Dei; hoc est, in Silo: consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Iuda sit dux vester.

Pag. Ascenderunt in Bethel & interrogauerunt Deum, quis ascendet pro nobis imprimis ad bellum?

Mont. Dixit Dominus Iehudah in initio.

Katab. In primo pilo.

Malu. Postulauerunt in Elohim, quis ascendet in principio caisioni?

Cald. Quis ascendet in anteriori ad faciendum bellum?

Syr. Quis ascendet nobis in capite ad bellandum?

Arab. Filij Iuda primò ascendant.

Vulg. Statimque filij Israël surgentes manè, castrametati sunt iuxta Gabaa.

Mont. Surrexerunt in mane.

Malu. Et defedit super.

Alij. Contra Gibghah.

Cald. Posuerunt super, &c.

Vulg. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt.

Pag. Et egressi sunt filij Israël ad bellum, & disposuerunt contra eos viri Israël bellum.

Malu. Exiuit vir Israël caisioni, & ordinauerunt eos viri Israël caisionem.

Sept. Rom. Et congressi sunt eis super Gabaa.

Reg. Castrametati sunt cum ipsis viri Israël in bellum contra Gabaa.

Vulg. Egressique filij Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israël die illo, viginti millia virorum.

Pag. Perdiderunt.

Arias. Irruperunt.

Caiet. Prostrauerunt.

Malu. Funditus perdiderunt.

Sept. Rom. Corruerunt *Cald.* Ferire fecerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Venerunt in domum Dei: hoc est, in Silo; Alij, Ascenderunt in Bethel. Interpretatio illa, id est, in Silo, non est in Hebræo, sed addidit eam Interpres, ne quis ex Hebrææ vocis ambiguitate falleretur: Ambiguitas enim quæ est hîc, & toto in hoc capite, est ista, quod vbi noster *Vulg.* dixit domum Dei, in Hebr. habetur *בֵּיתֵהוֹאֵל* *bethel*, quod vel tanquam proprium vrbis capi potest, vel tanquam appellatiuum, quo posteriore modo non aliter, quam domus Dei reddi potest. Priore modo plures Hebraisantes sumunt hîc Bethel pro vrbe, non autem noster Interpres, sed pro tabernaculo fœderis, quod alibi non erat hoc tempore, quam in Silo. *Iudas sit dux vester;* Alij, *Filij Iuda primò ascendant:* vox enim illa Iudas, non certum hominem designat, sed tribum, vnde verisimile est non aliam fuisse mentem Tribuum, quàm vt Deus Tribum designaret, è qua dux assumendus esset: Et licet *Vulg.* verterit, *Quis erit in exercitu nostro princeps?* potuit verti, *quæ vt Tribum referat, & indicet,* nam *שֵׁבֶט* *schebet*, quæ vox Hebr. Tribum significat, etiam apud eodem est masculinum. Sic autem Malu. quidam exponunt, *quam ex omnibus Tribubus, prima dimicabit?*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**irorum quoque, &c. Hic consequenter contumacia iuste inuaditur per bellum apertum, vbi primò reprimatur superbia, & secundò contumacia, ibi: *Quamobrem.* Circa primum sciendum, quòd licet filij Israël haberent iustum bellum, tamen nimis confidebant in sua

multitudine & fortitudine. Ideò Dominus permisit eos bis in principio debellari, vt humiliarentur, & ad Deum accurrerent, magis confidentes de virtute diuina quàm de sua. Hebræi autem dicunt quod istud contigit eis, eò quòd negligentes erant de punitione

idololatriæ in domo Michæ, & in tribu filiorum Dan quod quidem factum contigerat immediate ante istud, vt dicunt Hebræi, & fuerat motiuum, propter quod filij Israël tenebantur illud corrigere, quia fuit ita graue, & grauius isto. Sicut & communitas populi Israël voluit ire ad prælium contra Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasse, eò quòd credebant eos ædificasse altare sacrilegum, vt habetur Iosué cap. 22. Satis conuenienter potest dici, quod vtrumque dictorum fuit in causa debellationis populi Israël per filios Benjamin in principio, vt sic peccatum primum prius puniretur, quàm secundum. His dictis ventianus ad literam, quæ patet vsque ibi.

LYRAN. *Iudas sit dux vester.* Id est, tribus Iuda, sit principalis & prima, & ille qui est capitaneus in illa tribu, sit dux exercitus.

MENOC. *Consuluerunt Deum.* Per Pontificem Phinees, qui tunc aderat in Silo, vt habetur inf. num. 28.

Iudas sit dux vester. Non vir aliquis qui Iudas diceretur, sed tribus ipsa Iuda bellum inchoet contra Benjamin, Vide in simili quæ diximus suprà cap. 1. num. 1.

EST I VS. *Egressique filij Benjamin de Gabaa, &c.* Queritur quare filij Israël, cum iustum bellum suscepissent, idque etiam consulto & approbante Domino, tamen semel atque iterum in prælio fuerunt inferiores, magnamque cladem acceperint? Huius duæ adferuntur rationes. Vna quia tolerabant manifestam & notoriam idololatriam in tribu filiorum Dan, apud quos, vt est cap. 18. publicè colebatur idolum Michæ. Quod peccatum Deus prius punire voluit gladio filiorum Benjamin, quàm de iis victoriam reportarent. Hanc rationem assignant Hebræi. Alia ab Ecclesiasticis Interpretibus assignatur, & insinuat in textu vbi dicitur: Rursum filij Israël fortitudine & numero confidentes, in eodem loco in quo prius certauerunt, aciem direxerunt. Nempe quod magis fidebant numero & fortitudini, quàm auxilio Dei, neque illud precibus, fletibus & ieiuniis requisierunt. Et arbitror posteriorem rationem esse veriore, nam non constat an historia de Michæ sit prior ista.

MENOC. *Occiderunt de filiis Israël viginti duo millia virorum.* Mirum videtur in tali causa Israëlitas tanta clade affectos. Sed

A etiam viri innocentes magnis malis diuinæ prouidentia, consilio atteruntur. 2. Fit nonnunquam vt nobis videamur iusti ac innocentes, cum tamen non simus. 3. Aliquando etiam aliquid rectè suscipitur, quasi postea non bene & ad Dei legis normam administratur. 4. Sæpè in hostibus boni est aliquid, quod temporanea aliqua felicitate Deus velit munerari. 5. Israëlitarum aliqui idololatriæ crimine erant infecti. 6. Sibi, viribusque suis nimium confidebant: quod expressè dicitur in sacro textu num. 22. alioque genere eiusmodi peccabant, quare prius illos Dominus per geminam illam cladem expiare voluit, vt ad Dominum reuersi vltionem Domini contra Beniaminitas exercerent.

Filij Benjamin occiderunt de filiis Israël viginti duo millia. Sequenti die rursus alia 1800. Cur verò permiserit Deus, etiam ritè consultus, tanta strage affligi Israëlitas, tam æquam causam fouentes: Cur sanctissimos reges, Iosiam, Osuualdum Anglorum, Ludouicum Gallorum, Sebastianum Lusitanorum, tam infeliciter pugnare sit passus: & in genere cur toties permittat variis aduersitatibus & ærumnis affligi etiam maximè probos & iustos, pulchrè explicant Origenes, Augustinus, Bernardus, Saluianus, Gregorius, S. Brigitta, Antonius Gueuara, & Serarius. In particulari de his Israëlitis videtur scriptura quatuor insinuare causas tantæ cladis. Prima est, vt scelera, quibus variè iam contaminati erant, prius expiarentur. Inter alia etiam idololatria, non illa Michæ tantùm cap. 17. & 18. sed longè vulgarior & plurium, suprà cap. 2. & 3. explicata. Ita Procopius. Secunda, quia filij Israël sua fortitudine ac numero nimis confidebant, vt hic dicitur, vers. 22. Quo eodem & tertia indicatur causa, nempe temeritas maxima, dum contempto hoste, & neglecta disciplina militari, locum ad pugnam ineptam eligunt, vt pote inferiorem ipsa vbe Gabaa: & sequenti nihilominus die, in eodem loco, stulta vel audacia, vel contumacia pugnare voluerunt. Et has ob causas notat Plutarchus etiam victum à Iulio Cæsare Pompeium, viribus alioquin & numero longè superiorem. Quarta denique indicatur vers. 26. & sequentibus, vt maior in populo excitaretur erga Deum religio, pietas, & animi demissio. Quod notant etiam ipsi Rabbini, & luculente comprobauit euentus.

TIRINVS.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 22. ad 25.

Vulg. Rursum filij Israël, & fortitudine, & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certauerant, aciem direxerunt.

Pag. Et confortatus est populus virorum Israël, vt disponeret bellum in loco, in quo disposuerant die primâ.

Mont. Et addiderunt disponere bellum.

Isidor. Clar. Rursum redintegrati.

Caiet. Confirmatus est populus filiorum Israël.

Vatab. Et roboratus est.

Tigur. Corroborauit sese populus.

Malu. Et obtinuit sese populus, & addiderunt ordinare cætionem.

Sep. Rom. Confortauerunt se viri Israël, & adiecerunt conferere prælium, &c. vbi conferuerant.

Reg. Ordinauerant.

Arab. Sumpserunt animos filij Benjamin postera die.

Vulg. Ita tamen vt prius ascenderent, & starent coram Domino, vsque ad noctem: consulereque eum, & dicerent: Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, & inite certamen.

Pag. Fleuerunt ante Dominum vsque ad vesperam, & interrogauerunt Dominum: Num addam accedere ad bellum?

Mont. Fleuerunt ad facies Domini.

Sept. Rom. Si adiciamus appropinquare in prælium?

Cald. Quæsierunt in dicto Domini ad dicendum: Num addam ad accedendum, ad ineundum prælium cum filiis Benjamin fratris nostri?

Arab. Dominum deprecantes, implorarunt auxilium.

Vulg. Cumque filij Israël altera die contra filios Benjamin processissent,

Pag. Accesserunt die secunda.

Malu. Et appropinquauerunt.

Syr. Pugnaverunt die postero.

Vulg. Eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, vt decem & octo millia virorum educebantium gladium prosternerent.

Pag. Perdiderunt ad terram omnes hi euaginatores gladij.

Arias. Corruerunt.

Malu. Funditus perdiderunt, in filiis Israël adhuc decem & octo mille virum.

Cald. Perire fecerunt in filiis Israël occisos proiectos in terram.

Arab. Qui occisi fuerant, erant bellicosi, ac strenui.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fortitudine, & numero confidentes; Alij, Confortatus corroborauit se, &c. sed clariùs noster Interpres reddidit. Arab. Sumpserunt animos filij Benjamin, sed in eo mendum est: nam omnes alij expressè loquuntur de filiis Israël, non autem de Benjamin. Vt prosternerent; Alij, Corruerunt, perdiderunt, id est, occiderunt,

ANNOTATIONES.

LYRAN. **R** *Vrsus filij Israël & fortitudine & numero, &c. Ex A* Ascendite ad eos, & inite certamen. Nulla hinc victoria LYRAN. *quo patet quod supra dictum est, quod nimis præ-* promissio, vt infra num. 28. cum illis dictum est. *Ascendi-* *sumebant de seipfis, ratione multitudinis. Cætera patent* te, cras enim tradam eos in manus vestras. *in littera.*

VARIETAS LECTIIONVM. à *Vers. 26. ad 30.*

V *Vulg.* Quamobrem omnes filij Israël venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas.
Pag. Venerunt in Bethel, & manserunt ibi & fleuerunt.
Arias. Ad facies Domini ascendere fecerunt ascensiones, & pacifica ad facies Domini.
Sept. Rom. Obtulerunt holocaustos & consummatas in conspectu suo.
Reg. Obtulerunt holocaustum saluationis coram Domino.
Cald. Ascendere fecerunt holocausta, & munus sanctitatis ante Dominum.
Arab. Obtulerunt munera Domino.
Vulg. Et super statu suo interrogauerunt: eo tempore ibi erat arca fœderis Dei.
Arias. Interrogauerunt in Domino,
Malu. Postulauerunt.
Cald. Quæsierunt in dicto Domini.
Syr. Consuluerunt.
Arab. Rogauerunt.
Vulg. Et Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras

enim tradam eos in manus vestras.
Pag. Et pinchas stabat ante eam, &c. nunc vltra addam egredi ad bellum.
Mont. Stans ad facies eius, &c. an cessabo?
Sept. Rom. Interrogauerunt in Domino aduersus filios Benjamin fratres nostros.
Reg. Fratribus nostris.
Cald. Nunc addam adhuc ad incundum bellum, aut retinebor?
Syr. An desistemus?
Arab. An contrahemur ab eis?
Vulg. Posueruntque filij Israël insidias per circuitum vrbs Gabaa.
Mont. Posuit insidiantes vnde quaque.
Cald. Circum circum.
Vulg. Et tertiâ vice sicut semel & bis contra Benjamin exercitum produxerunt.
Pag. Et disposuerunt sicut semel & iterum.
Mont. Sicut vice in vice.
Malu. Et ascenderunt in die tertia, & ordinauerunt secundum ictum in ictu.
Sept. Rom. Sicut semel & semel.
Cald. Sicut tempus in tempore.
Syr. Instruxerunt aciem sicut antea.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

P *Rapostus domus stabat ante eam, nempe arcam. In Hebr. nulla fit mentio domus. Vide à nobis dicta superius. Ob-* *lerunt holocausta; Alij, Ascendere fecerunt ascensiones. Consule cur holocausta dicantur ascensiones. Semel & bis;* *Alij, Vice in vice, semel, & semel, hoc est, sicut duabus primis vicibus.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q** *Uamobrem.* Hic consequenter confunditur contumacia, vbi primò describitur filiorum Israël humiliatio, & secundò filiorum Benjamin confutatio, ibi: *Posueruntque.* Circa primum dicitur: *Quamobrem,* propter casum suorum præcedentem.

Omnes filij Israël, &c. Vtrum autem venerint in Silo, vel vtrum domus Dei hinc vocetur arca Testamenti & tabernaculum, quæ aliquando portabatur ad exercitum, vt habetur i. Reg. cap. 4. non habetur expressè. Verumtamen satis videtur quod conuenerunt in Silo, quia ciuitas Gabaa, quam oppugnabant, non est longè à Silo, sed satis propè, ita quod putarant satis illuc conuenienter accedere, absque tabernaculi translatione.

MENOC. *Sedentes flebant coram Domino.* Sessio habitus est flentium. Sic in sacris opponuntur sessio & resurrectio. Psal. 138. v. 2. & Thren. 3. v. 63. Et de lugente Ierusalem ait Ieremias. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? &c.* Significatur etiam illa voce, *sedentes,* diu admodum illos coram Domino permanisse.

LYRAN. *Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei.* Quod autem subditur, *in Silo,* non est in Hebr. sed subintelligitur, quia arca non fuit transportata ad exercitum: verumtamen vbi cumque erat arca, cum qua transferebatur tabernaculum, & altare holocaustorum, poterat ibi sacrificium fieri.

LYRAN. *Et Phinees filius Eleazari, &c.* Id est, summus sacerdos. *Consuluerunt igitur Dominum atque dixerunt.* Per ipsum Phinees, cætera patent.

ESTIUS. *Et Phinees filius Eleazari, &c.* Quandoquidem hoc tempore adhuc vivebat Phinees. Contigit ergo verisimiliter hæc historia, ante illud tempus de quo dicitur cap. 2. huius libri: Omnisque illa generatio congregata est ad

B patres suos, & surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Israël. Hinc itaque colligitur antiquitas huius historię, vt ex eo quoque patet, quod illo tempore Ierusalem nondum erat occupata à filiis Iuda, sed adhuc tenebant eam Iebusæi, vt dicitur capite superiori. Non Ierusalem, inquam, id est, nec ipsa quidem ciuitas (ne quis dicat Ierusalem, hinc pro arce Ierusalem poni, quam demum expugnauit David) sed nec ipsa quidem ciuitas, inquam, tunc adhuc ab Israëlitis erat capta, ad quam utique diuertere voluisset Leuites ille, cuius superiori capite est mentio, non ad arcem.

Præpositus domus. Summus Sacerdos, Pontifex.

Posueruntque filij Israel insidias per circuitum. Hic consequenter describitur filiorum Benjamin confutatio. Iustum enim erat quod eorum audacia puniretur. Et quia litera videtur intricata, eò quòd secundum modum loquendi Hebræicum, idem pluries, aliquibus interpositis replicatur; Ad intellectum ipsius sciendum, quod exercitus filiorum Israël fuit in tres partes diuisus, inæquales tamen. Vna pars fuit posita retrò ciuitatem in insidiis, vt cum filij Benjamin ciuitatem exirent, ipsi intrarent, & comburerent ciuitatem, atque occurrerent Benjamin, si de bello vellent refugere ad ciuitatem. Alia pars, in qua erant decem millia bellatorum, antè ciuitatem prouocabant filios Benjamin ad bellum: & cum filij Benjamin exissent contra eos, inceperunt fugere versus duas semitas, vt sic filij Benjamin eos insequentes, à ciuitate se aliquantulum elongarent, & sic daretur in insidiis latentibus spatium intrandi ciuitatem & comburendi. Et cum hoc filij Benjamin inciderunt in

tertiam partem filiorum Israël, in qua erat multitudo exercitus, quæ erat iuxta duas semitas prædictas. Et sic factum est. Et per talem modum fuerunt debellati filij Benjamin, & ferè omnes trucidati, quia erant inter aduersarios inclusi. His dictis, patet litera satis longa vsque ibi.

ESTVS.

Posueruntque filij Israël insidias, &c. Ante dixerat Dominus: *Ascendite cras, & tradam eos in manus vestras.* Quia Dei promissione non obstante, insidias collocarant filij Israël ad circumueniendum filios Benjamin. Ea res do-

cet non debere cessare industriam humanam, etiam ubi certam tenemus promissionem diuinam: nam Dei promissio hominis industriam non excludit, sed potius confirmat, & ad felicem exitum perducit. Ita ergo, & Ecclesia, quamuis habeat promissionem fidei non defutura, rectè tamen simul fidelium continua institutione, conciliis Episcoporum aliquando celebrandis, hoc agit vt fides integra & illibata conseruetur.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 31. & 32.*

Vulg. Sed & filij Benjamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduersarios longius persecuti sunt, ita vt vulnerarent ex eis sicut primo die, & secundo, & cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros.

Pag. Egressi in occursum populi euulsi de ciuitate, cæperunt percutere de populo vulnerato, sicut semel & iterum.

Arias. In stratis, quarum vna ascendebat.

Guar. Quarum vna ascendebat in domum Dei, & in agro.

Malu. Abrupti fuerunt de vrbe, incæperunt percutere de populo violatos secundum ictum in ictu, in viis stratis.

Sept. Rom. Euacuati sunt de ciuitate; percutere cæperunt cæcos, sicut semel, & semel in viis.

Reg. Cæperunt percutere vulneratos.

Cald. Extracti sunt ab vrbe, & cæperunt ad occidendum occisos, sicut tempus in tempus.

Syr. Ita vt se excuterent è ciuitate.

Arab. Vrbe sua ciuibus vacua manente.

Vulg. Putauerunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium vt abstraherent eos de ciuitate, & quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent.

Pag. Dixeruntque filij Benjamin: Cæsi sunt coram nobis sicut prius, filij autem Israël dixerunt, fugiamus, & euellamus eum ex vrbe ad semitas.

Arias. Cæsi ipsi ad facies nostras, sicut & in principio.

Tigur. Corruent ante nos, vt antea, fugiemus, & prostrabimus eos ex vrbe.

Malu. Consternati ij faciebus nostris, abrupimus eum.

Sept. Rom. Euacuemus eos de ciuitate in vias.

Reg. Interficiuntur coram nobis; educamus eos.

Cald. Fracti illi ante nos, conuertamus, & protrahemus illos ab vrbe ad stratam.

Syr. Debellantur à conspectu.

Arab. Prostrigaturi sumus, sicut prostrigati antea.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Per duas semitas, Alij, *Vias stratas.* Vox Heb. מסלול *mesiloth*, significat vias lapidibus stratas, cuiusmodi solent esse eæ, quæ iuxta vrbes sunt, & ad eas vrbes deducunt, & radix סלל est etiam lapidibus sternere. *Et altera in Gabaa,* Alij, *In Gibbah, in agro.* Benè in agro additum est, hoc est in agro Gabaa, vnde hæc via tendebat non ad ipsam Gabaa, sed in agrum vrbis illius. Potes etiam accipere vocem illam Gabaa, non vt nomen proprium, sed vt appellatiuum, vnde illud in Gabaa in agro, idem erit ac in collem, qui in agro. *Putauerunt eos more solito cadere,* Alij, *Consternati à faciebus nostris, fracti, debellati,* sed melius *Vulg.* nam cædere debet scribi per Diphthongum *Æ*, non vero cedere, id est, fugere, patet ex Heb. vbi Beniaminitæ ita loquuntur: *Cæsi sunt coram nobis sicut prius.*

ANNOTATIONES.

AUCTOR
v. 31.

It vt vulnerarent ex eis sicut primo, & secundo die. Illud sicut, non dicit paritatem, & æqualitatem cladis cum tantummodo triginta viros dicantur occidisse: sed

B dicit similitudinem aliquam, quod eadem facilitate, & spe certæ victoriæ, nulloque eis pertinaciter resistente hoste pauculos cæderint.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 33. & 34.*

Vulg. Omnes itaque filij Israël surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baal-thamar. Insidias quoque, quæ circa vrbe[m] erant, paulatim se aperire cæperunt,

Pagn. Disposuerunt in Baal-thamar, insidias autem Israël exhibant è loco suo, è gamineto Ghæbah.

Mont. Insidians Israël, & educens de loco suo. *In Comm.* è plano, nempe de viro Gabaa.

Malu. De effusione.

Sept. Rom. Congressi sunt in Baal Thamar, & insidias adueniebant à Maraagabe.

Reg. Et insidias pugnabant de loco suo ab Occidente Gabaa.

Cald. Ordinauerunt bellum in planiciebus Iericho, & insidias inierunt à planitie Gibghatha.

Syr. Insidias prospectabant ex antro, quod erat in Gabaa.

Arab. In rupe.

Vulg. Et ab Occidentali vrbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de vniuerso Israël habitatores vr-

bis ad certamina prouocabant. Ingrauatumque est bellum contra filios Benjamin: & non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus.

Pag. Venerunt decem millia electorum, & prælium agrauatum est, illi autem non intelligebant quod attingeret eos malum.

Tigur. Prælium incendebatur, nec norant illi, tantum sibi imminere periculum.

Malu. Venerunt de præsentia Ghibghah, & cæsis aggrauata fuit.

Sept. Rom. Venerunt ex aduerso Gabac, & prælium erat graue.

Reg. Venerunt è regione, &c. & bellum grauatum est.

Cald. Venerunt ab Austro; decem mille vtr̄ adolescens ex omni Israël, & factores belli inualuerunt.

Syr. Venerunt viginti millia virorum.

Arab. Ignorantibus Beniaminitis aduenisse sibi calamitatem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui vocatur Baal'hamar. Cald. In planiciebus Iericho. Aduerte quod Baal'hamar significat vallem palmæ, seu palmarum, quod is locus palmis confitus esset, Vnde Cald. vertit nomen, *planitiem Ierico*, quæ Ierico vocatur ciuitas palmarum, sed hoc cum veritate stare non potest, quia erant castra Israëliitarum iuxta Gabaam, quæ ad minus 130. stadiis à remota erat. *Paulatim se aperire cœperunt*, Alij, *Exibant è loco suo*, è *gramineto*, *vireto Gabaam*. Alij, *Ex aduerso ab Austro*. Heb. est מערה *maghare*, locus è quo eruperunt insidiæ. Si credimus aliquibus Hebraisantibus: Erat graminetum, seu locus, graminibus, herbisque densis, & latis confitus. Alij volunt hanc vocem Hebræam significare ex aduerso, è regione, è latere, quò fit vt minus probabilis sit explicatio Cald. qui מישר *meschar*, quod planitiem significat, pro illa voce מערה *mahare*, posuit, quem imitatus est Arias, non in Bibliis, sed in comment. vbi è plano vertit: sed aliqui putant, neque legendum esse in Hebr. מערה, neque ita legisse Interpretem, nec Sep. sed legendum esse addito vno elemento מערבה *magharaba*, quod Occidentem significat, manifestè enim ita legit Vulg. qui vertit, *Et ab Occidentali vrbs parte procedere* (debet enim hoc sententiæ membrum, etiam ad præcedentem versum pertinere, vt liquet ex Heb. & Sep.) Item ita manifestè legerunt Sep. Reg. Non audiendus Syr. qui habet *viginti milia*, vbi omnes alij legunt solum decem.

ANNOTATIONES.

MENOC. **B**aal'hamar. Cald. in planitiebus Iericho. *Ab Occidentali vrbs parte*. Septuaginta habent, à Maraagabe, quæ sunt duæ voces Heb. coagmentatæ, quæ

A significant, Ab arundineto Gabaam, quod Vulg. noster secutus est.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 35. ad 38.

Vulg. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israëli, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, & centum viros, omnes bellatores, & educentes gladium.

Pag. Perdiderunt, &c. omnes. Hi euaginabant gladium.

Mont. Corruerunt filij Israëli in Benjamin.

Malu. Et consternauit Iuh Benjamin à faciebus Israëli.

Sept. Rom. Omnes hi trahebant gladium.

Cald. Sic profligauit vt prosternerent, &c. fregit, cæsique sunt, bellicosi, strenui, & gigantes.

Vulg. Filij autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Israëli, dederunt eis ad fugiendum locum, vt ad præparatas insidias deuenirent, quas iuxta urbem posuerant.

Pag. Vt tutò accederent ad insidias, quas posuerunt contra Gibhah.

Malu. Quia separauerunt ad insidiatorem, quem, &c. super Gibhah.

Tigur. Nam fisi sunt insidiis, quas collocauerunt.

Malu. Confisi fuerunt ad insidiantem.

Cald. Quia fracti sunt, & dederunt homo Israëli, locum iis, qui de mus Benjamin.

Arab. Perierunt, & consternati sunt animis: Israëlitæ vero finxerunt se fugere ab his qui supererant ex illis, quod nimirum fiderent insidiis.

Vulg. Qui cum repente de latibulis surrexissent, & Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt ciuitatem, & percusserunt eam in ore gladij.

Pag. Insidiæ festinauerunt, & impetum fecerunt, & protraxerunt buccinæ sonitum, & percusserunt vniuersos vrbs habitatores acie gladij.

Mont. Et insidiator festinauerunt, & vastauerunt, & per-

traxit insidiator.

Tigur. Festinantes extenderunt se versus Gabaam extracti ex insidiis.

Malu. Et insidians festinauerunt, & exspoliauerunt.

Sept. Rom. Et dum ipsi secederent, & insidiæ mouerunt se.

Reg. Insidiæ eruperunt, & effusæ sunt.

Syr. Insidiæ placidè irruentes.

Arab. Interea surgentes qui erant in insidiis, idque placido, & lento cursu.

Vulg. Signum autem dederant filij Israëli his quos in insidiis collocauerant, vt postquam urbem cepissent, ignem accenderent, vt ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent.

Pag. Tempus autem constitutum fuerat viro Israëlitæ cum insidiis, vt ascendere facerent combustionem fumi è ciuitate.

Arias. Cum insidiantem, multiplicare ad ascendere faciendum eos elationem fumi.

Vatab. Conuentio autem facta erat, vt ipsi diligenter ascendere facerent columnam fumi.

Tigur. Simbolum constitutum fuerat inter Israëlitas, vt ipsi interficerent gladio, quam ipsi excitarent eleuationem.

Malu. Et statio fuit viro Israëli cum insidiantem, multiplicare ad ascendere facere eos leuandam fumi.

Sept. Rom. Et signum erat cum insidiis pugnæ, vt extollerent significationem fumi.

Reg. Vt ipsi eleuarent flammam fumi.

Cald. Quod multiplicabunt ad ascendere facere columnam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui cum repente de latibulis surgerent, Alij, *Insidia festinauerant*. הציפו *hecifcu*, ex hiphil magnam festinantiam, & celeritatem denotat, & quod subito, & ingenti cursu coorti sunt; *Ingressi sunt*, Alij, *Protraxerunt buccinæ sonitum*, sed id non videtur noster textus exprimere, vnde de suo adiecit Pag. sonitum buccinæ, nam in Hebr. nulla fit mentio illius sonitus. Neque si verbum מַשְׁחָב *maschab*, aliquando ad buccinæ sonum, protractione refertur, necesse fit eam vocem alibi sic accipi, cum certum sit non semper referri, sed & ad alia, multo etiam frequentius. Itaque verisimilius est verbum istud, vt aliàs frequenter, intransitiuè hîc capi debere, vt sensus sit, insidiator protraxit se, seu effudit se post Beniaminitas in ciuitatem. *Signum autem dederant filij Israëli*, Alij, *Tempus autem constitutum fuerat. Conuentio autem facta erat*. Minus benè hîc מעוד *mohed*, tempus redditur, nam hîc significat signum, symbolum, tesseram militarem, certam notam, quæ militibus datur, vnde Vulg. optimè reddit *signum*. *Sept. Rom.* συμείον, & alij Codices σὺμείον.

ANNOTATIONES.

AVCTOR *v. 36.* **F**ilij autem Benjamin. Hos intellige non de omnibus Benjaminitis, sed de eorum parte aliqua quæ in maiore illam exercitus Israëliti partem incederet, nam cæteri non nisi post captam ciuitatem, & viso ciuitatis incendio fugerunt.

v. 37. **E**t Benjamin terga cadentibus. Non ita tamen fugerunt Benjaminitæ, quin eos à tergo premerent, & cæderent Israëlita, quamquam in Hebræo, & Sep. nihil tale habeatur, tantum enim in Hebræo hoc verbum dicitur insidias festinasse, & impetum fecisse contra Gabaa, eamque cepisse ac percussisse, quod tamen vt tota narratio videtur exigere, factum est occasione Benjaminitarum versus urbem refugientium.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 39. ad 41.

Vulg. Quod cum cernerent filij Israël in ipso certamine positi (putauerunt enim filij Benjamin eos fugere, & instantius persequerentur, cæsis de exercitu eorum triginta viris.)

Pag. Et vertit se vir Israël in prælium. Benjamin autem cepit percutere vulneratos, &c. dixerunt enim, equidem percutiendo percussus est coram nobis, sicut in prælio primo.

Arias. Profecto percutiendo percussus est ipse ad facies nostras.

Isidor. Clar. Quando verò filij Israël verterunt tergum in prælio, &c. dixeruntque, utique corruendo corruunt ante faciem nostram, sicut in priori pugna.

Malu. Et vertit vir Israël in cæsiōe, & Benjamin incipit percutere violatos in viro Israël, profecto consternatus i consternatus fuit ipse faciebus nostris sicut cæsiō prima.

Sept. Rom. Rursus casu cadunt sicut prælium primum.

Reg. Benjamin cepit ferire vulneratos in viro Israël, verum fugatus fugatur ipse sicut bellum prius.

Cald. Domus Benjamin cæperunt ad occidendum occisos in homine Israël, vt triginta virum, & dixerunt, verum frangi fracti illi ante nos.

Syr. Procul dubio debellantur à conspectu nostro, sicut in bellis præcedentibus.

Vulg. Et viderunt quasi columnam fumi de ciuitate conscendere. Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret ciuitatem, & flammam in sublime ferri.

Pag. Combustio autem cepit ascendere, vt columna fumi, & ecce ascendebat combustio ciuitatis ad cælum.

Isidor. Clar. Cum vero eleuatio flammæ cepisset ascendere.

Tigur. Cum fumus cepisset ascendere.

Malu. Et leuanda incipit ad ascendere statum fumi, &c. & ecce ascendit tota vrbis in cælos.

Sep. Rom. Et significatio ascendit in plus super ciuitatem, &c. & ecce ascendit consummationem ciuitatis.

Reg. Et flamma incipit ascendere.

Cald. Et insidia cepit ascendere ad faciendum columnam fumi, respexerunt domus Benjamin ad posteriora sua, &c. ascendit ad latus cælorum.

Vulg. Qui prius simulauerant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filij Benjamin in fugam versi sunt.

Pag. Vir autem Israël vertit se, & festinauit vir Benjamin, vidit enim, quod attingeret se malum.

Isidor. Clar. Videntes, quod malum irrueret super eos.

Guar. Quod viderent instare sibi interitum.

Vatab. Quod attingeret super se malum.

Tigur. Videntes sibi imminere periculum.

Malu. Subito terrore percussus fuit Benjamin, quia tetigit super eum malum.

Sep. Rom. Et vir Israël reuertit, & festinauerunt viri Benjamin, quia occurrit super eos, &c.

Reg. Quod tetigit se malum.

Cald. Turbatus est homo Benjamin, nam vidit quod propinquum quod necaret super illos, &c.

Arab. Tum regressis super illos viris Israëlitis, trepidarunt animi filiorum Benjamin, quod vidissent aduenisse sibi calamitatem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In ipso certamine positi, Alij, *Et vertit vir Israël in prælio.* Id est, dederant terga in ipso conflictu, nam simulauerant fugam supra v. 32. *Et flammam in sublime ferri,* Alij, *Eleuatio flammæ cepisset ascendere,* Alij, *Ascendit tota vrbis in cælos,* id est tota ciuitas in flammam, & fumum conuersa ascendebat in cælum. *Qui prius simulauerant fugere, versa facie fortius resistebant,* Alij, *Et vir Israël vertit reuerti* singulare pro plurali, id est, quisque Israëlitarum fugientium antrorsum se obuertent, seu obuersa facie in persequentes cæperunt illis resistere.

ANNOTATIONES.

AVCTOR *v. 39.* **Q**uod cum cernerent filij Israël. Nimirum hi qui per alteram semitam fugam simulata, longius Benjaminitas abstraxerant, & opportunitatem fortius resistendi reque benè gerendæ dederant, & hos edito incendiij fumo expectabant.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 42. 43. & 44.

Vulg. Et ad viam deserti ire incæperunt, illuc quoque eos aduersariis persequentibus, sed & hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis.

Pag. Respexeruntque ante viros Israël ad viam deserti, & bellum contingebat eum, & qui de ciuitatibus perdebant eum in medio eius.

Mont. Respexerunt ad facies viri Israël, & qui de ciuitatibus erumpentes.

Isidor. Clar. Verterunt tergum viri Israël, &c. sed & prælium apprehendit eos.

Vatab. Et qui de vrbibus trucidabant eos.

Malu. Aspexerunt faciebus viri, &c. & cæsiō agglutinata fecit eum, & qui de vrbibus funditus euertentes.

Sept. Rom. Et facies aduenit super eos, & de ciuitatibus

corruerunt eos.

Reg. Et declinavit coram viro Israël, & bellum præuenit eum, & interfecerunt.

Cald. Et homines insidiarum surrexerunt ex vrbibus suis occidentes in illis hinc, & illinc.

Syr. Sed exercitus eos affecutus, & qui erant à fronte, statuentes illos in medio.

Vulg. Atque ita factum est, vt ex vtraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad Orientalem plagam vrbis Gabaa.

Pag. Circumdederunt Benjamin persequi, fecerunt etiam ne esset requies, conculcare fecerunt eum, vsque contra Gabaa.

Mont. Requite conculcare fecerunt eum.
Caiet. Et sine quiete conculcarentur.
Isidor. Clar. Atque conculcauerunt eos à Menuha vsque ad ipsam Gabaa.
Guer. Diligenter conculcauerunt eos vsque è regione Ghybiah.
Tigur. Strenuè eos insequentes, viam præripientes eis, nec tutum inuenirent locum.
Malu. Cinxerunt Benjamin, &c. residentiam viare fecerunt eum vsque ad rectitudinem Gibbah.
Sept. Rom. Et conciderunt Benjamin, & persecuti sunt eum à rixa iuxta pedes eius contra Gabaa.
Reg. Calcauerunt eum vsque ad è regione.
Cald. Disperferunt Benjamin à domo requietionum eo-

rum contriuerunt eos.
Syr. Propulsarunt eum, facileque trucidarunt eum vsque ex aduerso.
Arab. Quousque peruenissent ad oppositum Gabaa.
Vulg. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem, & octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatore.
Arias. Omnes illi viri virtutis.
Isidor. Clar. Qui omnes erant viri bellicosi.
Varab. Viri exercitus.
Tigur. Qui omnes fuerant strenui milites.
Malu. Homines strenuitatis.
Sep. Reg. Omnes hi viri potentes.
Cald. Omnes hi viri facientes bellum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

AD viam deserti ire cœperunt, Alij, *Respexerunt ante viros Israël ad viam deserti.* Quod equidem satis obscurum continet sensum, licet sic ab Hebraisantibus exponatur; nempe quod Beniaminitæ dederunt terga filijs Israël, fugientes in viam tendentem in desertum. *Illuc quoque eos aduersariis persequentibus,* Alij, *Prælium apprehendit, affecit eum.* Sed Metonymia est, pro præliatores affecit sunt eos: *Atque ita factum est, ut ex utraque parte caderentur,* Alij, *Circumdederunt Benjamin, persequi fecerunt eum.* Verbum *הרדפו* *hirdiphu*, ex forma Hiphil magnam vim, & impetum persequendi demonstrat: Vnde *Pag. Persequi fecerunt eos,* id est, diligentè, & strenuè persecuti sunt eos. *Nec erat ulla requies morientium,* Alij, *Ne esset requies, persecuti fuerunt eum,* Alij, *Requite conculcare fecerunt eum. Conculcauerunt eum à Menucha, &c.* Quamuis hæc lectiones sensum non illegitimum habere possint, tamen non ita perspicuum, vt *Vulg. Heb. est מנוחה* *mennuchah*, sed qui proprium loci nomen volunt esse, min subaudiunt, *מנוחה* *mimenucha*, sed nomen est appellatiuum, significatque requiem: verum licet in Heb. videatur deesse negatio, tamen includitur, *מן* *min* enim idem valet quod præpositio à, quod apud Hebræos sæpè habet vim negandi, & excludendi, vt idem sit à requie, quod absque requie. *Sep. Rom. habent à nua,* quod absit à *Compl. & Reg. est tamen in Hebræo, & significat, inquit Nobilius, aut certum locum, aut requiem, Malu. vertit residentiam, vel in residentia viare fecerunt eum: & explicat, id est, in loco eius residentie, in ditione eius.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 §. 42.

Qui urbem succenderunt, occurrerunt. Obscurius id dictum in Hebræo, & *Sep. & nescio satis an ad hos insidiatores, & incensores vrbis referri debeat: at præter Hieron. Cald. etiam ad eisdem vrbis incensores retulit.*

A Nec erat ulla requies morientium. Septuaginta habent, *MEN*
A Nua iuxta pedem eius, &c. Sed vox Hebraica, & certum locum significare potest, vt putauerunt *Sep. & requiem, vt illam *Vulg. interpretatus est.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 45. ad ultimum.

V*Vulg.* Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: & pergebant ad Petram, cuius vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diuersa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum vltra tenderent, persecuti sunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.
Pag. Et verterunt se, & fugerunt, & occiderunt, non dimittentes racemum ex eo, & in semitis quinque millia.
Arias. Et racemauerunt eum in semitis altis, &c. & adhererunt post eum vsque ad Ghidghom.
Isidor. Clar. Et quasi racemando succiderunt ab eis.
Tigur. Racemationem fecerunt ex ipsis.
Malu. Dehonestauerunt eum in viis stratis.
Sept. Rom. Et respexerunt reliqui.
Reg. Et declinauerunt, & disperdiderunt eum, &c. vsque Gedam.
Cald. Et absconditi sunt in stratis quinque mille vir, & apprehenderunt post eos.
Vulg. Et sic factum est, vt omnes qui ceciderant de Benjamin in diuersis locis, essent viginti quinque millia pugnatore ad bella promptissimi.

Pag. Omnes viri ij fortes.
Mont. Viri virtutis.
Alij vt superius.
Vulg. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui euadere, & fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: federuntque in Petra Remmon mensibus quatuor.
Pagn. Conuersi sunt, & fugerunt, & manserunt in Petra Remmon.
Malu. Quatuor inuouationibus.
Vulg. Regressi autem filij Israël, omnes reliquias ciuitatis, à viris vsque ad iumenta, gladio percusserunt, cunctasque vrbes, & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.
Pag. Vsque ad omne quod inueniebatur, & omnes vrbes, que inueniebantur, miserunt in ignem.
Mont. Percusserunt ad vsque perfectionem.
Alij. Vsque internecionem.
Sep. Rom. Percusserunt eos à ciuitate Mothla.
Reg. Percusserunt eos de vrbe consecutiue.
Cald. Consumperunt eos.
Arab. Extinxerunt eos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Occiderunt eos, Alij, *Racemauerunt eos.* Verbum *עלל* *Ghalal*, racemare significat, seu residuos à vindemia acinos colligere: simili modo dixerunt *Sep. ἐναλαμίσωτε*, quod idem est, quod residuas spicas colligere: quamquam & ad racemos, oleasque etiam per Metaphoram referatur. *Et cum vltra tenderent,* Alij, *Et persecuti sunt vsque ad Ghidghom.* Verum est quod Hebr. & *Sept. videntur aliquem particularem locum indicare, ad quem vsque eos sunt persecuti; at satis fuit nostro Interpreti dicere. Cum vltra tenderent,* non determinando locum. Aliqui sumunt hanc vocem *Gidghom* appellatiue, & ita verterunt vsque ad internecionem. Radix enim *גדג* *gadab*, significat excindere, internecionem dare. *A viris vsque ad iumenta.* In aliis additur, *Vsque ad omne quod inueniebatur,* vt liqueat hanc urbem in morem anathematis desolatam, & excisam fuisse.

ANNOTATIONES.

TIRINVS **¶.45.** **P**etra Remmon. Iosepho dicta Rohob, vrbs erat in prærupta Petra, distans Ierofolymis 15. milliaribus, non longè à Gabaa Saulis, Patria inter Septemtrionem, & Orientem. Ita S. Hieron. Adrichomius & alij. Erat & altera Rammon in tribu Simeonis, Iosué 19. v. 7. quæ limes erat tribus Iudæ ad Austrum, sicut altera, limes erat versus Aquilonem, vt alibi dicam.

LYRAN. **¶.47.** **R**emanserunt. Secundum autem Hebr. veritatem de filiis Benjamin erant 25. millia, & cum hoc sexcenti viri de ciuitate Gabaa, vt supra dictum est, & sic deficiunt mille, & sexcenti viri, & de istis dicunt Heb. quod refugerunt ad ciuitates alias de sorte Benjamin, vnde venerunt in Gabaa, vt supra habitum est. Homines enim fugientes de prælio fugiunt ad diuersa loca, secundum quod melius possunt: & in illis ciuitatibus fuerunt interfecti cum mulieribus, & animalibus. Et hoc videtur per hoc quod subditur.

MENOC. **S**excenti viri. Hi relictis ne vna tribus ex Israël aboleretur,

vt dicitur infra c. 21. n. 3. & 16. Deinde vt daretur aliquid misericordiæ, quando iustitiæ per cladem illam multum tributum videbatur. Tertiam rationem addit S. Hieron. in Epitaphio Paulæ, his verbis. In Gabaa vrbe vsque ad solum diruta, paululum substitit Paula, recordata peccati eius, & concubinæ in frustra diuisa: & tribus Benjamin, centum viros propter Paulum Apostolum reseruos.

In Petra Rammon. Remmon, seu, Rammon, malum punicum, seu granum significat, quare illam Iosephus vocat, *σπίγγων ῥόσος*, nam *ῥόσος*, siue *ῥόσος*, Græcè malum granatum significat.

Mensibus quatuor. Quo loco asperrimè vixisse necesse est, cum ibi obsiderentur, nec secum, vt in fuga, ad victum necessaria ferre potuissent.

Regressi. Post victoriam in campo habitum. Cætera patient.

LYRAN.
¶.48.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS.

Instituitur tribus Benjamin ex 400. virginibus in caede habitatorum Iabes Galaad reseruatis, & ex raptis ducentium choros in Silo virginibus.

1.



Vrauerunt quoque filij Israël in Maspha, & dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis vxorem. 2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conspectu eius sedentes vsque ad vespèram, leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicentes: 3. Quare Domine Deus Israël factum est hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis? 4. Altera autem die diluculo confurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocausta, & pacificas victimas, & dixerunt: 5. Quis non ascendit in exercitu Domini de vniuersis tribubus Israël? Grandi enim iuramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. 6. Ductique pœnitentia filij Israël super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus vna de Israël, 7. vnde vxores accipient? Omnes enim in commune iurauimus, non daturus nos his filias nostras. 8. Idcirco dixerunt: Quis est de vniuersis tribubus Israël, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inuenti sunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse. 9. (Eo quoque tempore non cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.) 10. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores quam paruulos eorum. 11. Et hoc erit quod obseruare debebitis: Omne generis masculini, & mulieres quæ cognouerunt viros, interficite, virgines autem reseruate. 12. Inuentæque sunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan. 13. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in Petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos susciperent in pace. 14. Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ sunt eis vxores de filiabus Iabes: Galaad autem non receperunt, quas simili modo traderent. 15. Vniuersusque Israël valde doluit, & egit pœnitentiam super interfectione vnius tribus ex Israël. 16. Dixeruntque maiores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Omnes in Benjamin fœminæ conciderunt, 17. & magna nobis cura, ingentique studio prouidendum est, ne vna tribus deleatur ex Israël. 18. Filias eis nostras dare non possumus, constricti iuramento, & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis vxorem Benjamin. 19. Ceperuntque consilium atque dixerunt: Ecce solemnitatis Domini est in Silo anniuersaria, quæ sita est ad Septemtrionem vrbs Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona. 20. Præceperuntque filij Benjamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis singuli vxores singulas, & pergite in terram Benjamin. 22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, & aduersus vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus vt acciperent, non dedistis, & à vestra parte peccatum est. 23. Feceruntque filij Benjamin, vt sibi fuerat imperatum: & iuxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, vxores singulas: abieruntque in possessionem suam, & edificantes vrbes, & habitantes in eis. 24. Filij quoque Israël reuersi sunt per tribus, & familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israël: sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat,



VARIETAS LECTIONVM à *Verf.* 1. ad 4.

Vulg. Iurauerunt quoque filij Israël in Maspha, & dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis vxorem.

Pag. Vir autem Israël iurauit.

Malu. Iuramento obstrictus fuit.

Aliqui. Iuramento se obstrinxerant.

Vulg. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conspectu eius sedentes vsque ad vesperam, leuauerunt vocem suam, & magno ululatu cœperunt flere, dicentes.

Pag. Venit populus in Bethel, & fleuerunt fletu magno.

Malu. Sederunt vsque ad vesperam faciebus Elohim, lachrymauerunt lachrymationem magnam.

Sept. Rom. Plorauerunt plorationem magnam.

Reg. Fletum magnum.

Vulg. Quare Domine Deus Israël, factum est hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis?

Pag. Vt quid fuit hoc in Israël, vt deficeret? &c.

Mont. Ad deficiendum.

Tigur. Desideretur.

Malu. Ad desiderari de Israël baculum vnum.

Sept. Rom. Ad quid facta est hæc vt requireretur?

Reg. Vt recenseretur.

Syr. Vt periret.

Arab. Vt quid perdis?

Vulg. Altera autem die diluculo consurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocausta, & pacificas victimas, & dixerunt.

Pag. Et fuit in crastino.

Mont. Manicauerunt populus, ascendereque fecerunt ascensiones.

Tigur. Sacrificaueruntque holocausta, & gratulatoria.

Sep. Obtulerunt holocaustos, & consummatas.

Reg. Holocausta saluationis.

Cald. Oblationem sanctitatum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Iurauerunt, Alij, Iuramento se obstrinxerunt. Vnde fit quod non dixerunt hoc, iurauerunt confecto iam bello, sed antequam Beniaminitas bello impeterent, nimirum, vt additur, in Maspha, quod ante bellum omnes tribus, excepta Beniaminiticâ conuenerant, itaque præterita illa in nostro textu iurauerunt, & dixerunt, explicanda sunt per plusquam perfectum, quod mirum non est, cum horum præteritorum distinctionem Hebræi non habeant. *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, Alij, In Bethel,* non addito Silo in Heb. sed rectè additum à *Vulg.* explanationis gratiâ. *Consule Concordiam v. 18. c. præced.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. *V. 1.* **I**urauerunt. Hic consequenter describitur tribus Beniamin dissipatæ reparatio. Circa quam primò describitur effectus compassionis: secundò effectus reparationis, ibi. *Idcirco dixerunt.* Circa primum præponitur motiuum compassionis, cum dicitur: *Iurauerunt.* Hoc iurauerunt ante bellum. Et quia illi qui euaserant, non poterant accipere vxores alienigenas, cum esset lege diuina prohibitum, ideo non videbatur via qualiter tribus Benjamin reparari posset per generationem, quia omnes mulieres tribus Benjamin fuerant interfectæ: quod satis miserabile videbatur, quod vna tribus tota de populo Israël deleretur: maximè cum hoc Dominus non præcepisset, sed tantum dixisset: cras tradam eos in manus vestras, vt habetur cap. præced. idèò subditur.

MENOC. *In conspectu eius sedentes.* Vide dicta superiori cap. n. 26.

V. 2. *Extruxerunt altare.* Quia fortè illud quod erat ibi prius,

LYRAN. *V. 4.* erat dissipatum; vel fortè, quia arcam transportauerunt ad exercitum. Et reportatio ad locum suum, & situatio vocatur hîc constructio.

Obtuleruntque ibi. Pro gratiarum actione de victoria habita, licet compaterentur tribui Benjamin sic dissipatæ.

Et dixerunt. Cuius causa subditur, cum dicitur.

MENOC. *Extruxerunt altare.* Vnicum apud Israëlitas oportebat esse altare, in quo sacrificia fierent, hoc quoque erat in atrio tabernaculi in Silo. Verum propter hostiarum à populo oblatarum multitudinem, aliud in necessitatis supplementum excitari poterat, vt tot sacrificiis locus esset. Idem enim Salomonis tempore factum est, 3. Reg. 8. 64. Ita aliqui. Alij censent ordinariè vnum esse tantum potuisse altare, extraordinariè verò nihil obstitisse quominus

alterum excitaretur, si idololatriæ periculum abesset, vt cum viri prophetia, & sanctitate spectatissimi sacrificarent, vt Samuël qui in Ramatha, & Maspha sacrificium obtulit, 1. Reg. 7. in Galaa, 1. Reg. 11. in Bethleem, 1. Reg. 15. vt Dauid in area Ornan Zebusæi, 2. Reg. 24. 1. Par. 21. Et Elias in Carmelo Monte 3. Reg. 18. Alij existimant in vno tantum loco altaria erigi potuisse. Tandem non desunt qui existiment vnum altare, eo tantum tempore præceptum fuisse, quando populus per desertum peregrinabatur, postea vero cum Israëlita quietam sedem adepti erant, plura excitari potuisse. Vide Serarium hic, qu. 1.

Extruxerunt altare. Vtique alterū ac diuersum ab altari Moysis, & Siluntino, obtuleruntque ibi holocausta & pacificas victimas. Sed quo iure, cum ex Leuit. 16. & Iosué 22. constet non licuisse aras erigere, & sacrificare extra locum tabernaculi fæderis? Respondeo: hoc altare in ipso tabernaculi loco erectum fuit. Et hoc licuisse docet rectè Abulensis. Poterant enim etiam ordinariè, plura altaria in loco tabernaculi erigi, si victimarum numerus ita exegisset, vt legimus fecisse Salomonem 3. Reg. 8. v. 64. Extra vero locum illum id non licuit, nisi ex priuilegio, & speciali dispensatione, qua subinde viris sanctitate ac prophetia spectatissimis id indultum legimus, v.g. Gedeoni, Iud. 6. Manué, Iud. 13. Samuëli in Ramatha, in Galgala, Bethleem 1. Reg. 7. 11. & 16. Dauidi, in area Ornan Zebusæi, 2. Reg. 24. Eliæ in Carmelo Monte, 3. Reg. 18. & aliis, in quibus locum non habat ratio legis id vetantis, puta periculum idololatriæ, cum essent viri sanctitate ac prophetia spectatissimi, vt dixi. Ita Abulensis, Caietanus, & Serarius.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf.* 5. ad 9.

Vulg. Quis non ascendit in exercitum Domini de vniuersis tribubus Israël? Grandi enim iuramento se obstrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.

Pag. Quis est qui non ascendit in cœtum? &c. Iuramentum enim fuit grande ei, &c. dicendo, moriendo morietur.

Tigur. Quis non ascendit in comitia?

Malu. In congregationem de omnibus baculis.

Sept. Rom. In Ecclesiam, &c. dicendo, morte mortificetur.

Cald. In Concilium, &c. occidi occidetur.

Vulg. Ductique pœnitentia filij Israël super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus vna de Israël.

Pag. Et pœnituit, &c. excisa est.

Manu. Excisus fuit baculus.

Sep. Reg. Et consolati sunt filij Israël.

Cald. Diminuta est.

Syr. Perit.

Vulg. Vnde vxores accipient? Omnes enim in commune iurauimus

iurauimus, non duros nos his filias nostras.
Pag. Quid faciemus his qui remanserunt, pro vxoribus, cum iurauimus per dominum?
Malu. Quid faciemus eis superrelictis mulieribus?
Sep. Rom. Superstitibus iis, qui residui sunt ad vxores?
Reg. Quid faciemus his relictis in vxores?
Arab. Qui remanserunt sine vxoribus.
Vulg. Idcirco dixerunt: Quis est de vniuersis tribubus Israël, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inuenti sunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse.
Pag. Et ecce non venerat vir ad castra, &c. ad congregationem.

Malu. Et ecce non venit ad desiderium de Iabes.
Sep. Reg. Non venerunt in congregationem.
Cald. Concilium.
Vulg. (Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.)
Pag. Et numeratus est populus, & ecce non erat ibi.
Mont. Et ecce visitatus.
Malu. Et visitare se fecit populus.
Sept. Rom. Et recognitus est populus.
Reg. Recensitus.
Arab. Non enim interfuerunt exercitui nostro ciues Neapolis, quæ est in Galaad.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D *Vtique pœnitentia.* *Sep. Reg. Consolati sunt.* Nescio cur ita vertere, cum in Rom. sit, *Et pœnituit filios Israël* Qui autem pœnitet, dolet de eo quod accidit, non autem consolationem ex eo accipit. *Omnes enim in commune iurauimus, Alij, Nos iurauimus in Domino, siue per Dominum.* Sed *Vulg.* quod alij expressere, subintelligit. *Nullus ex eis ibi repertus est, Alij, Numeratus, recensitus est populus.* Ut scirent qui desiderati essent, quod census militum fuit initus, siue is census factus bello initus fuerit, siue ante bellum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Grandi enim iuramento, &c.* Eo quod bellum contra filios Benjamin, pertinebat ad totam communitatem populi, cui sufficienter fuerat nuntiatum scelus eorum, ut patet per prædicta.

ESTIVS. *Vtique pœnitentia, &c.* Quæritur quate pœnituerint, cum bellum illud gesserint Dei consilio, ut patet cap. præced. Respondeo. Bellum quidem susceperunt ex Dei consilio, sed non fuerunt iusti totam tribum delere, simulque & mulieres, & paruulos occidere, sed hoc ab illis factum est zelo inordinato, cuius merito eos postea pœnituit. Quamquam alioquin pœnitentia etiam referri posset, non ad factum ipsorum in se, sed quatenus ex eo aliquod malum, haud excogitatum euenit. Quomodo Paulus, dicit 2. Cor. 7. Etsi pœniteret, videns quod Epist. illa (etsi ad horam) vos contristauit.

MENOC. *Super fratre suo Benjamin.* Omnes tribus, & singuli Hæbraei, quasi fratres erant, quia communem patrem habebant Iacob, à quo Israëlita dicti sunt.

MENOC. *Omnes in commune iurauimus.* Pro in commune, Hebraus habet, *in Domino, seu, per Deum.* Ut etiam *Sep.* Iuramento addita fuit imprecatio, *sen, ut noster ait Interpres, Num. 18. Maledictus qui dederit ex filiabus suis uxorem Benjamin:*

TIRINVS. *Omnes in commune, &c.* Singulis nostrum proprias, sed nos iurauimus, non duros nos illis communi decreto filias aliorum: aut non permissuros, vel non suafuros, ut vi vel dolo rapiant. Hinc neque Beniaminitis peccatum fuit hic raptus, partim, quia consilio vel decreto superiorum ob finem honestum factus est: partim, quia non valde inuitis filiabus, aut illarum parentibus contigit. Quin nullo modo inuiti fuissent, si periurij periculum abesse sciissent, ut reuera aberat. Nam iuramentum cum non obstringat ultra mentem iurantis, certumque sit hunc necessitatis casum, quo defectu sponsarum integra tribus excidenda

esset, Israëlitis cum iurarent, non venisse in mentem, certum item est eo casu illos ad id obstrictos non fuisse. Quia tamen erronea conscientia putabant sese obstringi, prudenter ad raptum suadendum diuerterunt. Ita Lyranus, Caietanus, Arias, & Serarius.

Nota, raptum Saluntinarum, præcessisse raptum Sabinarum, à Romanis circiter annos 700. quot scilicet ab Othoniele primo Iudice effluerunt vsque ad Romulum, cuius tempore Sabinas rapuere Romani. Et videtur uterque raptus contigisse, paulo antè æquinoctium Autumnale, Sabinarum 14. Calendas Septembris, ut tradit Linius & Plutarchus: Saluntinarum vero in in Scenopegiis, mense quoque Septembri. Nam tunc temporis commodum erat propter latas frondes latitare in vineis, quod hic v. 20. raptoribus præscribitur.

Ideo dixerunt. Hic consequenter describitur tribus Benjamin reparatio studiosa, & primo per mulieres eis datas: Secundo per mulieres ab eis acceptas, ibi: *Dixeruntque &c.* Circa primum dicitur.

Quis est, &c. Hæc autem fuerunt duplici de causa. Vna ut occiderentur ratione iam dicta. Secunda ut virgines ibi repertæ, filiis Benjamin, qui de bello euaserant, darentur.

Et ecce inuenti, &c. Et modus huius inuentionis subditur, cum dicitur.

Habitatores. Vrbs ultra Iordanem percelebris in tribu Manasse, cuius frequens postea mentio in scripturis.

Eo quoque, &c. Scilicet, filij Israël redeuntes de prælio, ut gratias agerent Domino, ut prædictum est.

Nullus ex eis. Scilicet, de habitatoribus Galaad.

Ibi repertus. Et per hoc scitum fuit quod non fuerunt in prælio, quia rediissent in Silo ad reddendum gratias cum aliis, ideo sequitur punitio eorum, cum dicitur.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 10. & 11.

V *Vulg.* Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores quam paruulos eorum.

Pag. Miserunt congregationem duodecim millium virorum de viris fortibus.

Mont. De filiis virtutis.

Malu. Et miserunt ibi conuentus duos decem mille virum de filiis strenuitatis.

Sep. Rom. Misit illuc Synagogam duodecim millia, &c.

Reg. Et miserunt congregatio duodecim millium virorum de filiis exercitus.

Vulg. Et hoc erit quod obseruare debetis: Omne gene-

ris masculini, & mulieres quæ cognouerunt viros, interficite, virgines autem reseruate.

Pagn. Et hoc est, quod facietis, omnem masculum, & omnem mulierem, quæ cognouit concubitus masculini, interficietis.

Arias. Et hoc verbum, quod facietis.

Malu. Omnem viram cognoscentem cubationis masculini anathematizabit.

Sept. Rom. Quæ nouit cubile masculini anathematizabit, virgines autem conseruabit.

Reg. Cognoscentes lectum.

Cald. Consumetis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Miserunt decem millia viros robustissimos. Omnes alij habent 12000. Imò, & Iosephus, vnus ex Codicibus meis M. S. habet, & 12000. Vnde apud aliquos est suspicio mendum esse in nostro textu. Sed si esset, quomodo hoc incorrectum mansisset, cum Lucas Burg. in Correct. Vulg. id non animaduernerit? Dicendum est ergo solum decem millia fuisse. *Interficite, Alij, Anathematizate.* In Heb. est **חרם** *charum*, quod anathematizare significat. Habent etiam Sep. *אנאתמה*. Non fuit autem anathema perfectum cum virgines fuerint reseruatae. Hæc verba desunt in Heb. Cald. Syr. & Arab. à Reg. Codice Græco, non autem à Rom. tamen necessario intelligenda sunt, nam cum dicitur, *Et mulieres quæ cognouerunt viros, interficite*, facile colligitur ex contrario, seruabitis fœminas intactas à viris, vt sequens versus ostendit.

ANNOTATIONES.

LYR A N.
v. 10.
MENO C.
v. 11.

ITe, & percutite, &c. In detestationem enim sui criminis, quia subtraxerunt se à negotio totius communitatis, facta est tanta punitio.

Interficite. Hebraica, & Græca significant, anathemati

A subiicite, quod anathema quale esse deberet explicatur, vt scilicet interficerentur viri omnes, & infantes, non autem virgines, pecora, & iumenta, nec vrbs incenderetur, aut euerteretur.

VARIETAS LECTIO NVM. à Vers. 12. ad 17.

Vulg. Inuentæque sunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan.

Pag. Quæ non cognouerunt concubitus masculi.

Malu. Venire fecerunt eas ad desiderium.

Sept. Rom. Quadringentas adolescentulas virgines.

Vulg. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in Petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos suscipere in pace.

Pag. Vocauerunt eos in pace.

Mont. Vocauerunt eis pacem.

Isidor. Clar. Reuocauerunt eos in pace.

Caiet. Misit tota congregatio, & vocauit eos in pace.

Varab. Cum eis de pace egerunt.

Sept. Rom. Misit vniuersa Synagoga.

Cald. Clamauerunt illis allocutiones pacis.

Syr. Precari sunt salutem Benjamin, qui erat in rupe Remmon.

Arab. Salutantes eos, fidemque pollicentes.

Vulg. Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ sunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.

Pag. Reuersus est Benjamin in tempore illo, dederunt eis vxores, quas viuificauerunt, &c. & non suffecerunt eis sic.

Mont. Et non inuenerunt eis sic.

Sept. Rom. Et placuit eis sic.

Arab. Dedit eis in matrimonium mulieres quæ supererant ex Neapoli Galaadis.

Vulg. Vniuersusque Israël valde doluit, & egit pœnitentiam super interfectione vnus tribus ex Israël.

Pag. Populum pœnituit Benjamin, quia fecit Dominus fracturam in tribubus.

Tigur. Rupturam.

Sep. Rom. Quia fecit Dominus scissuram.

Reg. Consolatus est Benjamin, quoniam fecit Dominus diuisionem.

Cald. Et populus sunt compassi super domus Benjamin.

Syr. Doluit populus.

Arab. Eo quod perdidisset Dominus tribum.

Vulg. Dixeruntque maiores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Omnes in Benjamin fœminæ conciderunt.

Pag. Seniores cœtus, quid faciemus reliquis, pro vxoribus? Deleta enim est de Benjamin mulier.

Tigur. Muliebris sexus vastatus est.

Malu. Abolita fuit vira.

Sep. Rom. Quid faciemus reliquis in vxoribus?

Vulg. Et magna nobis cura, ingentique studio prouidendum est, ne vna tribus deleatur ex Israël.

Pag. Opus est vt hæreditas sit iis, qui euaserunt de Benjamin.

Mont. Hæreditas euasionis Benjamin.

Malu. Et non delebitur baculus de Israël.

Sep. Hæreditas superstitem.

Reg. Possessio salua.

Cald. Possessio euasionis.

Syr. Dixerunt conseruandum esse Benjaminem.

Arab. Oportet nos relinquere superstitem Benjamin.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITTERALIS.

Praeperunt eis, vt susciperent eos in pace, Alij, Vocauerunt eos in pace. Renocauerunt eos ad pacem. Benè noster Vulg. sic enim dicit eis, nempe *praeperunt*, intellige de nuntiis, quibus præceptum vt Beniaminitis pacem offerrent. Illud **להם** *lahem*, in Heb. eis, vel eos, refert Beniaminitas, sed non habetur ibi verbum, quod significat præceperunt, sed vocauerunt, vel reuocauerunt. Itaque vocauerunt eos, Beniaminitas scilicet, cum pace, vel ad pacem prouocauerunt. *Alias autem non repererunt, quas simili modo traderent, Alij, Et non innenerunt eis sic*, id est, neque hoc modo hacque excogitata ratione inuenerunt tot vxores, quot illi erant, vel quot eis sufficerent. *Magna nobis cura, ingentique studio prouidendum est, &c. Alij, Opus est vt hæreditas sit eis, qui euaserunt, &c.* Idem quod Vulg. scilicet studendum est aut conandum, vt ex tribu Benjamin aliqui euadant, & seruentur, qui sint vice hæreditatis ipsi Iacob.

ANNOTATIONES.

LYR A N.
v. 12.

Inuenta que, &c. Si autem quæratur qualiter cognoscebant eas ab aliis, potest dici, sicut dictum fuit Num. 31. de Virginibus Madianitarum, scilicet, quod faciebant mulieres transire ante arcam Domini: & eis signo ibidem dato, cognoscebant, quæ essent virgines, & quæ non.

MENO C.

Quadringentæ virgines. Sermo est de virginibus adultis, non de puellulis, aut infantibus.

LYR A N.

Miseruntque. Qui ducerent illas virgines.

v. 13.

Et præceperunt eis. In Heb. habetur. *Præceperunt eis, vt eos, &c.* Et vtrumque fuit verum: quia præceptum fuit fi-

B liis Benjamin, quod reciperent illas virgines in vxores, & virginibus quod in hoc consentirent.

Præceperunt eis, &c. Iussit populus Israël, vt Beniaminitæ legatos illos in pace susciperent, quia iam admittebant ad pacem reliquias illas Beniaminitarum. In Heb. est. Vocauerunt eis pacem, seu, denuntiauerunt, aut promulgauerunt eis, vel potius, vocauerunt eos in pace, vt etiam habent Septuaginta.

Dixeruntque. Hic consequenter describitur reparatio dictæ tribus per mulieres ab eis captas, de consilio tamen,

LYR A N.
v. 16.

& voluntate maiorum de Israël Circa quod primo ponitur dictum maiorum & consultatio; secundo consultatio nis denuntiatio, ibi: *Præceperuntque*. Circa primum dicitur. *Dixeruntque*. Ad quos spectabat cura totius populi. *Quid faciemus reliquis?* Quia adhuc remanebant viginti viri de Benjamin absque vxoribus.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 18. ad 21.

Vulg. Filias enim nostras eis dare nō possumus, cōstri-
cti iuramento, & maledictione, qua diximus: Ma-
ledictus qui dederit de filiabus suis vxorem Benjamin.

Pagn. Iurauerunt enim filij Israël dicendo.

Tigur. Execratus.

Vulg. Ceperuntque consilium atque dixerunt: Ecce so-
lemnitas Domini est in Silo anniuersaria, quæ sita est ad
Septentrionem vrbs Bethel, & ad Orientalem plagam
via, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem
oppidi Lebona.

Mont. Ecce tripudium Domini in Siloh à diebus in dies.

Sep. Rom. Et ab Austro ipsius Lebona.

Reg. Et à Meridie Libani Lebona.

Cald. Ecce festum ante Dominum à tempore solemnitatis
ad solemnitatem.

Arab. Et acturi sumus festum in Domino, & celebrabi-
tur de tempore in tempus ad laeuam Bethel, ad Orien-

tem solem, in semita quæ ascendit à Bethel ad Sichem
in dextera Lebona.

Vulg. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite,
& latitate in vineis.

Pag. Ite, & insidiamini.

Vulg. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex
more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex
eis singuli vxores singulas, & pergite in terram Benia-
min.

Pag. Videte, & ecce si egressæ fuerint filia Silo, ad saltan-
dum in choris.

Mont. Ad choreas agendas in choris.

Malu. Ad chorizare in choris.

Sep. Reg. Tripudiantes in choris.

Cald. Ad feriandum in festis.

Syr. Cum videritis exiisse ad pulsanda tympana.

Arab. Cum videritis exiisse in tympanis, & fistris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ecce solemnitas Domini est anniuersaria. *Mont.* Ecce tripudium Domini à die in dies. Per illud tripudium non in-
telligas nundinas, in quibus post mercium venditionem choreæ aguntur, vel festiuitatem aliquam popularem ad
voluptatem, & recreationem comparandam, sed vnum ex tribus festis anniuersariis, scilicet Paschate, Penteco-
ste, aut Scenophegia: dicitur enim hîc solemnitas hæc Heb. *חג* *chag*: à *Cald.* *חגגא* *chagga*, à *Sep.* *חגג* *chagga*, quæ omnia sine alia
voce addita non facile reperias accipi, quam pro solemnitate Deo dicata; nullo autem modo pro nundinis, aut conuen-
tu prophano, tum quia hîc disertè additur, quod fuerit solemnitas Domini. Festum autem illud fuit vel Pentecostes, vel
Scenophegiæ, in quibus vineæ densos habent palmites, sub quibus se abscondere commodè possent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *F*ilias enim nostras, &c. dare non pos. Dicitur tamen B
communiter quod poterant: quia filij Benjamin non
poterant ducere alienigenas vxores, & sic iuramentum il-
lud videbatur esse contra charitatem, quia erat contra re-
parationem vnus tribus, quæ reparatio cedebat in bonum
communitatis totius populi, & ideo non erat seruandum.
Veruntamen, quia tunc temporis horridum erat frangere
quodcumque iuramentum; ideo habuerunt aliud consi-
lium, videlicet quod filij Benjamin non habentes vxores,
venirent latenter propè locum Silo, & ibi de virginibus
ducētibz choros acciperent sibi secundum numerū suum,
fugerent in terram Benjamin. Nec maiores natu hoc con-
sultantes venerunt contra iuramentum suum, quia nullus
iurauerat nisi de propriis filiabus. Similiter, nec patres ea-
rum, quia non fuerunt in hoc consilio, nec dederunt eas.
Similiter, nec Beniaminitæ eas rapientes peccauerunt, quia
hoc fecerunt de mandato illorum ad quos spectabat cura
totius populi, vt dictum est. Et probabile est quod illæ
virgines consenserunt in matrimonium, antequam co-
gnoscerentur ab eis. Et ex dictis patet litera vsque ibi.

ESTIUS. *Filias enim nostras, &c.* Ita scriptura narrat. Quorumdam
tamen opinio est, quod illi filij Israël non tenebantur hoc
iuramento, eo quod non tantum imprudenter factum es-
set, vt fati ostendit historia huius capituli, sed & illicitum
esset, vt pote contra charitatem, nempe contra reparatio-
nem vnus tribus, quæ alio modo reparari non poterat.
Nam lege vetitum erat ducere vxores alienigenas, Exodi
34. & Deut. 7. Sed saluo meliori iudicio, videtur iura-
mentum omnino seruandum fuisse, quia licet vxores alic-
nigenas ducere non potuerint, alia tamen ratione prouide-
re eis potuerunt, vt vxores acciperent de filiabus Israël,

quemadmodum etiam fecerunt, prout hoc capite duobus
modis ostenditur. De quorum posteriore, scilicet de raptu
filiarum in Silo, magna quæstio est. Sed dici potest quod
proprie non erat raptus, quia faciebat autoritate publi-
ca, & ob bonum publicum, & sic vt expectaretur quoque
consensus parentum virginum, & multo magis ipsarum
virginum, sicut sequitur vers. 22. Misere mini eorum, non
enim rapuerunt eas iure bellantium, &c.

Filias enim nostras, &c. In tantæ necessitatis casu non
tenebantur Israëlita ratione iuramenti, alioqui Beniami-
nita coacti fuissent, si ducere vellent vxores, ducere alic-
nigenas gentiles, quod erat illis vetitum diuino interdico.
Verum, quia existimabant se teneri, constringebantur ea,
quam erroneam conscientiam vocant. Vide Serarium qu.
tertiâ.

Ad ducendos choros procedere. Non ex puellari lasciuia
ducebantur hi chori, vt vult hæreticus quidam Interpres,
sed ex religione, patriæque ceremonia. *Caldæus* innuit
fuisse Calendas, quas Græco vocabulo Neomeniam vo-
cant: aliqui Pascha fuisse putauerunt. Communior sen-
tentia fuisse Scenophegiam, quod huius festi tempore
frondeant vites, & illarum ymbraculis tegi insidiæ Benia-
minitarum facile potuerint.

Rapite ex eis singuli vxores. Tenebantur tantum iura-
mento conscientia erronea, vt dictum est num. præced.
itaque quacumque ratione conscientia satisfacerent, lice-
bat illas contra illam operari. Satisfaciunt autem sibi per-
suadentes, se tantummodo iurasse, non daturos sponte si-
ue vi, aut solo, si secus aliquid accideret, hoc enim ad iu-
ramentum non pertinere.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 22. ad 24.

Vulg. Cumque venerint patres earum, ac fratres, &
aduersus vos queri cœperint, atque iurgari, dice-
mus eis: Misere mini eorum: non enim rapuerunt eas iu-
re bellantium atque victorum, sed rogantibus vt acci-
perent, non dedistis, & à vestra parte peccatum est.

Tom. IV.

Pag. Ad iurgandum contra vos, &c. quia non accepimus
vnusquisque mulierem suam in bello, quia non dedistis
tempore hoc, ne delinqueretis.

Mont. Misere mini nostri eorum, iuxta tempus delinque-
tis.

Isidor. Misere mini nostri propter eos, &c. vt hoc tempore peccetis.

Caiet. Sicut tempus culpabimini.

Tigur. Et cum venerint nobiscum ex postulaturi, dicemus, impartite hanc gratiam.

Malu. Ad litigare ad vos, & dicemus, gratificamini vos eos, quia non accepimus vir viram eius in cætionem, quia vos non dedistis, secundum tempus piaculares estis.

Sep. Rom. Contendite iudicio in vos, &c. misericordiam facito nobis ea, &c. quia vos non dedistis eis, sicut fors deliquistis.

Reg. Secundum tempus, quo peccauistis.

Cald. Compassi sumus eis, quia non suffecimus ad dandum eis viro vxorem suam in bello, & ne fortè peccetis.

Arab. Quod si obtulerint se vobis patres, &c. conquestuari de vobis, &c. quia non seruauerunt secum fugerent vxores, & ne timeatis pœnam ob causam iuramenti, quoniam non estis vos, qui eas matrimonio coniunxistis.

Vulg. Feceruntque filij Benjamin, vt sibi fuerat imperatum: & iuxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros vxores singulas: abieruntque in possessionem suam, ædificantes vrbes, & habitantes in eis.

Pag. Tulerunt vxores secundum numerum suum de saltantibus.

Arias. De choreas agentibus.

Malu. Leuauerunt mulieres numero eorum de chorizantibus.

Sept. Reg. Cœperunt à tripudiantibus.

Cald. Ædificauerunt vrbes, & sederunt in eis.

Syr. Accipientes è pulsantibus tympana.

Arab. Sese matrimonio copularunt cum fœminis, quæ raptæ fuerunt.

Vulg. Filij quoque Israël reuerfi sunt per tribus, & familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israël: sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Pag. Abierunt inde. In tempore suo.

Isidor. Clar. In tempore illo.

Tigur. In diebus illis non erat legitimus magistratus in Israël.

Malu. Et ambulare se fecerunt de ibi, secundum tempus ipsum de baculo, & familiæ suæ vir rectum in oculis suis faciet.

Sept. Rom. Et obambulauerunt.

Reg. Et conculcauerunt illinc.

Cald. Abierunt ad profapiam suam.

Syr. Et vnusquisque quod sibi placebat, faciebat.

Arab. Discesserunt illinc eodem tempore ad cognationem suam, & vnusquisque ex eis faciebat quod libebat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Misere mini eorum, Alij, Misere mini nostri eorum. Hoc est, vt aliqui explicant, Nostri, & illorum. Nostri, quia consuluimus, illorum, quia fecerunt. Fortassè tamen illud *ננו*, posterius in voce *חוננו* *chonunu*, possit censeri paragoricum, vt videntur sensisse Pag. & alij, qui nullam huius affixi rationem habuerunt. Non enim rapuerunt iure belli, Alij, Non accepimus quisque vxorem suam in bello, eo scilicet quod gestum est contra Iabes Galaad. Tribuunt sibi, quod ipsis authoribus gestum est. Et à vestra parte peccatum est: Alij, Non dedistis eis secundum tempus. Peccabitis, pro ne peccaretis vt Cald. explicat. Pag. vertit. Non dedistis tempore hoc quod petierunt, ne peccaretis, nimirum propter iusiurandum. Quod faciemus nos, non duros nos eis vxores: ita vobis nescientibus, acceperunt sibi. Quis non videt hunc locum, secundum alias versiones difficilem esse, & fortassè etiam Hebraica Vitiata, nostram vero lectionem perspicuam esse? De his quæ ducebant choros, Alij, Etiam de chorizantibus, &c. Non puellari lasciuia, ducebantur chori, sed religione & pulchra ceremonia.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 22.

Misere mini eorum, &c. Non propter negationem dationis; quia sic etiam maiores natu hoc allegantes, essent in consimili culpa, eo quod suas filias illis dederant, & sic non haberent frontem sic loquendi. Sed illud peccatum est intelligendum, eo quod non custodierant filias suas diligenter, sed permiserant eas ducere choros per campos, vbi poterant c. præc. Eo enim ipso quod iurauerant non eas dare filiis Benjamin, debebāt eas sic custodire, quod illi non haberent facultatem rapiendi. Sic ergo exponitur hic passus secundum translationem nostram. In Heb. autem habetur sic. Misere mini eorum. Non enim cepimus viro vxorem suam in bello, nec vos dedistis eis, quasi tempore culpemini. Quod sic exponunt Hebræi. Misere mini eorum. Vt possint reparare tribum, per generationem. Non enim cepimus viro vxorem suam, id est, cui libet viro vxorem sibi copulandam, in bello contra muros Iabes, sed de-

ficiunt ducentis. Nec vos dedistis eis: quasi tempore culpemini, id est, non potest vobis imponi culpa transgressionis iuramenti, ex tempore quo acceperunt eas, scilicet, nisi quod non daretis eis, contra quod non fecistis, quia non ceperunt eas de voluntate vestra.

Feceruntq; &c. Nihil peccarunt Beniaminitæ in hoc rapto; primò, quia bono Israëlitarum optimatum paruerunt consilio. Secundò, quia nullo ipsi, quod obstarer, iureiurando tenebantur. Tertiò, quia isto modo præstabat Israëlitas sibi matrimonio adiungere, quàm aut vagam exercere libidinem, aut ethnica ducere.

In diebus illis, &c. Quando ista contigerint, variæ sunt opiniones; verior ea esse videtur, quam sequitur Abulensis, Genebrardus, Lyranus, Serarius, & alij, eo tempore accidisse, quod post Iosué mortem, ante primum iudicem fuit. Vide Serarium, quæst. 6.

FINIS LIBRI IVDICVM.



LIBER RUTH

RUTH appellatur libellus iste à materia, quam continet. Ruth enim Moabitidis gesta quatuor capitibus complectitur. Est autem hic libellus, quasi appendix Iudicum, vnde ferè Hebræi librum Iudicum cum libro Ruth, vnum eundemque faciunt. Illius finis fuit explicare Dauidis regis, atque adeo Christi Domini profapiam.

CAPVT PRIMVM. SYNOPSIS.

Elimelech Bethleemita urgente fame cum vxore Noëmi, & duobus filiis, in terram Moab pergit. Eo mortuo cum vtroque filio, vidua Noëmi cum Ruth nuru sua, in Bethleem remigrat.

1. **I**N diebus vnus iudicis, quando iudices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore sua ac duobus liberis. 2. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noëmi, & duo filij, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi de Bethleem Iuda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. 3. Et mortuus est Elimelech maritus Noëmi: remansitque ipsa cum filiis. 4. Qui acceperunt vxores Moabitidas, quarum vna vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis, 5. & ambo mortui sunt, Mahalon videlicet & Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito. 6. Et surrexit vt in patriam pergeret, cum vtraque nuru sua, de regione Moabitide: audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas. 7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum vtraque nuru: & iam in via reuertendi posita in terram Iuda, 8. dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis & mecum. 9. Det vobis inuenire requiem in domibus virorum, quos sortiturae estis. Et osculata est eas. Quæ eleuata voce flere cœperunt, 10. & dicere: Tecum pergemus ad populum tuum. 11. Quibus illa respondit: Reuertimini filia meæ, cur venitis mecum? num vltra habeo filios in vtero meo, vt viros ex me sperare possitis? 12. Reuertimini filia meæ, & abite: iam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali, etiam si possem hac nocte concipere, & parere filios, 13. si eos exspectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quàm nubatis. Nolite, quæso, filia meæ: quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me. 14. Eleuata igitur voce, rursus flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reuersa est: Ruth adhæsit socru suæ. 15. Cui dixit Noëmi: En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad deos suos, vade cum ea. 16. Quæ respondit: Ne aduerseris mihi vt relinquam te, & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus Deus meus. 17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me, & te separauerit. 18. Videns ergo Noëmi, quod obstinato animo Ruth decreuisset secum pergere, aduersari noluit, nec ad suos vltra reditum persuadere: 19. profectæ-

que sunt simul, & venerunt in Bethleem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noëmi. 20. Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi, (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens. 21. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliavit, & afflixit Omnipotens? 22. Venit ergo Noëmi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reuerfa est in Bethleem, quando primum hordeæ metebantur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. In diebus vnus iudicis, quando iudices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore sua, ac duobus liberis.
Pag. Et fuit quando iudicabant iudices.
Tigur. In diebus iudicum exorta est fames.
Malu. In diebus iudicare iudices, & ambulauit vir, &c. ad trahere in agris Moab, ipse, & vira eius.
Sept. Rom. Ad incolendum in agro Moab. *Reg. vt Vulg.*
Cald. Et fuit in diebus ducere iudices, & fuit fames fortis in Israël, & exiit vir magnus, &c. ad hospitaandum in agro.
Cald. Anonymus, Ioanne Quinquarborico Interprete. Accidit tempore quo præerant iudices, vt dominata fuerit fames in terra Israëlitarum: decies porro fames ipsa dura mundo cælitus, decreta est ab ipsius creatione ad Messia tempore ad castigandum per illam terræ incolas.
Syr. Arab. Quoniam fames inualuerat in terra.
Vulg. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noëmi: & duo filij, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi de Bethleem Iuda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi.
Pag. Et fuerunt ibi Mahe, & venerunt ad agros Moab, & substiterunt ibi.
Sep. Nomen vxoris eius Noëmon.
Cald. Magnates ex Bethleem Iuda.
Ionathas. Nobiles Ephrathæi erant, venerunt porro in regionem Moabiniam, ibique secundas tenere.
Vulg. Et mortuus est Elimelech maritus Noëmi: reman-

fitque ipsa cum filiis.
Malu. Et relicta fuit ipsa.
Cald. Et relicta est vidua, & duo filij eius orphani.
Ioseph. Mortuus est Abimelech. *Ita etiam Zonaras.*
Vulg. Qui acceperunt vxores Moabitidas, quarum vna vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis.
Pag. Manserunt ibi fermè decem annis.
Malu. Et leuauerunt sibi mulieres, & habitauerunt ibi sicut decem annos.
Sep. Circiter.
Cald. Et tulerunt sibi mulieres, &c. & sederunt ibi, vt tempus decem annorum.
Ionathas. Transgressi autem sunt decretum diuini oraculi, nam sibi duxerunt, &c. quarum alterius nomen erat Orura, alterius vero Rutha, quæ filia fuit Eglonis regis Moabitarum, ibique manserunt plus minus decem annos.
Vulg. Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet, & Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis, ac marito.
Malu. Et relicta fuit vira de duobus natis eius, & de viro eius.
Sept. Relicta est à viro suo, & à duobus filiis.
Cald. Et vidua à marito suo.
Ionathas. Igitur propterea quod verbi Domini decretum transgressi sunt, & iuncti sunt cognatione populis barbaris, mortui sunt immatura morte Malon, & Chilon in terra profana.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN diebus vnus iudicis, quando iudices præerant, Alij, Et fuit in diebus, quando indicabant iudices. In Hebræo, & Septuag. nihil habetur de iudice, sed tantum indeterminatè id quod posterioribus verbis expressit Vulg. Hebraicè à coniunctione, & verbo suo more auspicantur וְיָמַי: Et fuit, sive, & factum est. Septuaginta etiam suam & ἐξώτερο, non omiserunt. Vulg. ista subintellexit, hæc quidem redundare initiis librorum præferim æstimant nonnulli: sed rectius Theophilact. emphasim, & latentem quandam vim verba illa, & fuit, & factum est, habere indicant: Facta est fames in terra, Cald. Et fuit fames fortis in terra Israël. Cum enim dicit Vulg. solum in terra, intelligendum est de Israëlita, non enim ad omnes regiones peruasit hæc fames, aliàs enim cur in terram Moabitidem fugiendæ illius causa confugisset Elimelech? Vocabatur Elimelech, apud Ioseph Abimelech, sed mendosè sicut & apud Zonaram, nam & vocum harum significatio longè diuersa est, cum Elimelech idem sit quod Deus, rex, vel Deus regis, vel fortis rex: Abimelech vero sit pater rex, vel fortis. Rex, Ephrathæi, Alij addunt, Equales, nobiles. Nam patrem eorum virum opulentum, & potentem fuisse in tribu sua colligitur, quod è Nahassonis esset familia, qui in deserto tribus Iudæ princeps fuerit, Num. 1. vers. 7. quod Booz viro diuiti, & opulento propinquus. Qui acceperunt vxores Moabitidas quarum vna Ruth. Ionathas addit, Quæ filia fuit Eglonis Regis Moabitarum. Sed hoc figmentum Rabinorum: quis enim credat regis filiam peregrino homini famis penuria sua regione extorri, nubere voluisse? Quis credat socrum propemodum mendicato victu in suam patriam fuisse redituram, & ipsam Ruth, ita omnibus destitutam, vt post messorum ipsa spicilegium facere compulsa sit?

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 V. L.

IN diebus. Hic consequenter ponitur tertius casus, scilicet ipsius Ruth. Et diuiditur in quatuor partes, quia primo scribitur ipsius Ruth conuersio gratiosa: secundo eius conuersatio virtuosa: tertio conuentio legalis, quarto copulatio matrimonialis. Partes incipiunt in quatuor capitulis huius historię. Prima adhuc in duas, quia primo describitur conuersionis occasio: secundo ipsa conuersio, ibi: Cui dixit Noëmi. Occasio autem conuersionis Ruth ad Iudaismum fuit, eò quod fuit desponsata filio Elimelech Iudæo peregrinanti in terra Moab. Et ideo primo describitur ipsius Elimelech peregrinatio: secundo ipsius Ruth desponsatio, ibi: Qui acceperunt. Circa primum primo

A describitur tempus peregrinationis huius cum dicitur.

In diebus. Quis autem hic fuerit, variè dicitur. Dicit enim magister in historiis, & aliqui expositores alij: quod iste iudex fuit Heli: qui cum hoc vsurpauit sibi sacerdotium: quia non fuit de Eleazar, sed de Ithamar. Licet autem istud secundum dictum sit verum, quantum ad hoc, quod Heli non fuit de Eleazar, sed de Ithamar: non tamen videtur verum quod sibi vsurpauerit sacerdotium: quia 1. Reg. 2. dicitur ipsi Heli in persona domini: Loquens locutus sum vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, vs-

que in sempiternum, &c. Ex quo videtur quod illud sacerdotium habuit ex ordinatione diuina: vt dicitur ibidem plenius. Primum etiam dictum non videtur verum: videlicet quod peregrinatio Elimelech, quæ hîc describitur, contigerit tempore Heli; quia à principio quo incepit iudicare Israël vsque ad principium regni Dauid fluxerunt tantum octoginta anni prout fuit declaratum supra Iudic. cap. 11. In isto igitur tempore oportuit secundum istud dictum; quod peregrinatio Elimelech fuerit, & quod Booz de Ruth Obed genuerit, & Obed Iesse, & Iesse Dauid: & vita ipsius Dauid vsque ad principium regni fuit: quod non videtur verum. Primò, quia de isto tempore fluxerunt vndecim anni ad minus ante natiuitatem Obed, videlicet decem anni quibus Noëmi mansit in regione Moab: vt habetur in hoc cap. & vnus annus ante natiuitatem Obed: quia dato quod Booz statim acceperit Ruth post aduentum eius in Bethlehem: tamen antequam natus fuisset de ea Obed, transiisset annus vndecimus totus, vel saltem fere. Item Dauid vixit triginta annis antequam cepit regnare, vt habetur 2. Reg. 4. Item Iesse pater Dauid iam erat senex quando genuit Dauid, vt videtur: quia habuit sex filios ante eum: vt habetur 1. Reg. 15. & 1. Paral. 2. & sic habuit triginta-nouem annos ad minus, vt videtur; quando genuit Dauid. Hoc etiam patet ex hoc quod dicitur 1. Reg. 17. quod erat senex & grandæuus: etiam emeritæ militiæ quando Dauid adhuc adolescens missus fuit ab ipso ad visitandam fratres suos. Si autem isti anni simul coniungantur, faciunt annos octoginta, sic non remanet aliquod tempus vitæ ipsius Obed, quousque posset generasse ipsum Iesse. Posito etiam cum hoc, quod Elimelech à primò anno Heli cœpisset peregrinari: propter quod non videtur verum, quod historia Ruth fuerit tempore Heli, sed ante. Et ideo aliter dicunt Hebræi, & melius, vt videtur, quod iste iudex fuit Abesfan de quo dictum fuit Iudic. 12. qui fuit ante Heli quadraginta septem annis, vt patuit ex dictis supra Iudic. 11. Dicunt etiam Hebræi, quod iste Abesfan & Booz est idem homo: binomus tamen. Oportet tamen dicere secundum istam viam, quod peregrinatio Elimelech inceperat antequam Booz inciperet iudicare: quia iudicauit populum septem annis tantum: & Noëmi fuit in regione Moab decem annis, vt dicitur infra eodem capite & Booz accepit Ruth post. Veruntamen illa peregrinatio per reditum Noëmi fuit terminata sub Abesfan: qui idem est quod Booz secundum Hebræos: ideo dicunt hoc fuisse tempore eius: quia res à fine denominatur. Et quia ista historia hîc ponitur, ad ostendendum quomodo Dauid rex descendit de Booz vt patet in fine.

Facta est fames. Propter populi peccata.

Abiitque homo de Bethlehem. Causa huius peregrinationis varie assignatur. Dicit enim Hier. super 4. cap. Paral. quod tunc temporis sol sterit per aliquod spatium immobilis ad terrendum homines, vt sic retraherentur ab enormibus peccatis, quibus erant inuoluti, quod non fecerunt, propter quod tanta fames facta est in terra illa, quod Elimelech, qui erat de nobilioribus, & potentioribus ciuitatis Bethlehem, fuit coactus ire ad terram extraneam, ad quærendum victum suum. Hebræi autem dicunt, quod propter famem in terra illa accidentem, multi pauperes recurrerunt ad Elimelech, quia erat diues, & potens, & propter auaritiã suã durum erat ei dare, propter quod ad euitandum importunitatem illorum exiuit de terra Israël cum bonis mobilibus quæ habebat, & quia ex mala causa exiuit, ibidem mortuus fuit cum filiis suis, & depauperatus est. Cætera patent in littera.

In diebus vnus iudicis. Iudex iste à Iosepho putatur esse Heli sacerdos. Sed repugnat Chronologia. Non enim Obed qui in fine libri natus refertur ex Ruth, nasci potuit tempore Heli, sed multo ante natus est, videlicet verisimiliter tempore Abesfan iudicis, aut circiter. Quem proinde Abesfan probabile est hunc iudicem esse. Inscrubitur autem hîc liber, non Noëmi, neque Booz, sed Ruth, quia huius mulieris virtus in hoc libro præcipue commendatur, quomodo & libri Tobie, Iudith, Esther & Iob; ea nomina sortiti sunt.

Tom. IV.

A *In diebus vnus iudicis.* Qui fuerit Iudex, hîc non exprimit sacer textus. Interpretes in varias abeunt sententias. Alij Eli Pontificem, alij Abesfanem, alij Gedeonem, alij Baraac & Debboram, alij tandem Aod statuunt. Certi nihil. Vide Serarium in cap. 4. Ruth quæst. 18.

Facta est fames in terra. Cald. *In terra Israel.* Tenuit autem fames hæc annos decem, vt ex num. 4. sequenti colligunt auctores, nec ex causis naturalibus orta, sed ad plecenda Israelitarum peccata, qui Iudicum tempore frequenter in idololatriam labebantur. Ita censent passim loci huius Interpretes.

In regione Moabide. Quæ est terræ sanctæ ad orientem, transito Iordane.

B Veteres Rabbinus, B. Isidorus, Abulensis, Eugubinus, Arias, Genebrardus, Driedo, Sixtus Senensis, Feuarden- **TIRINVS** tius & Serarius faciunt huius libelli auctorem *Samuelem*, quod vellet posteris constare de Dauidis à se in regem vncti prosapia, simulque & *Christi ex Dauide* orituri. Recenset autem hîc patrem, auum & proauum Dauidis putà *Iesse, Obed, & Booz.* Cuius parens cum fuerit *Salmon*, & hîc cum Iosué & reliquis Israelitis ingressus sit terram sanctam; subducto temporum calculo, dicendum videtur hanc Ruth historiam contigisse sub tempora *Barac & Debbora*, vt colligunt Abulensis, Vigeneræus, Tornellus & Funccius. Vel potius sub *Abimelecho* tyranno, vt optime probat Salius, qui cum Lyrano, Genebrardo, Catharino, Ianfenio Rabbinis & alijs citatis à Serario, tres dicit sibi mutuo succedentes eodem nomine Booz vocatos fuisse.

C *Ephratæi de Bethlehem Iuda.* Quæritur quomodo Elimelech fuerit Ephratæus, si fuit de Bethlehem Iuda; cum tribus Ephraim & Iuda fuerint diuersæ? Neque dici potest quod fuit ex tribu quidem Ephraim, sed habitatione tantum Bethlehemita. Nam quod fuerit de tribu ipsa Iuda, manifestum est, quia fuit propinquus Booz, qui fuit ex tribu Iuda, vt clarum est ex Genealogia Christi Matth. 1. Ioannes Isaacius dicit vocabulum hoc (*Ephratæus*) non tam ad tribum pertinere, quam dignitatis nomen esse, quo significetur homo celebris, & magnæ in populo existimationis, propter sapientiam & pietatem. Quomodo etiam Elcana pater Samuelis, secundum eum, dictus sit Ephratæus 1. Reg. 1. Sed falli opinione videtur. Nusquam enim ostendi potest Ephratæum in ea significatione accipi. Sed vno modo significat eum, qui est ex tribu Ephraim, vt **D** Iudic. 12. *Numquid Ephratæus es?* Alio modo eum qui habitat in monte Ephraim. Ita Elcana Ephratæus vocatur, cum alioqui esset ex tribu Leuitica, sed in monte Ephraim habitans. Tertio modo Ephratæus, non ab Ephraim, sed ab Ephrata dicitur, Ephrata autem idem est quod Bethlehem; Gen. 55. & 48. vbi Rachel dicitur *sepulta in Ephrata*, & additur *hoc est Bethlehem.* Et capite vlt. huius libri idem significatur. Vnde Ephratæus hoc loco idem est quod Bethlehemita. Sic & Dauid dicitur filius viri Ephratæi, id est, Bethlehemita. Estque notandum, quod et si Ephraim & Ephrata, sint vocabula diuersa, vnum tamen idemque est patronymicum nomen ab vtroque deriuatum, etiam in Hebræo scilicet *Ephrati*, id est, Ephratæus, cum alioqui ab Ephraim potius videretur dicendum, Ephraimita.

E *Ipse vocabatur Elimelech,* quæ vox *Deus Rex*, vel *Dei Rex*, vel *Dei mei Rex*, significat. Aiunt Rabbinus fuisse Elimelech fratrem Salmonis illius, qui cum Iosué promissam terram ingressus est, ideoque & Nahassonis, de quo infra cap. 4. num. 19. filium.

Vxor eius Noëmi. Quod nomen significat pulchram, suauem, & amœnam. Rabbinus docent, fuisse eam Nahassonis in Iudæ tribu Principis neptem, filiamque fratris Salmonis, de quo infra cap. 4.

Mabalon. Quæ vox significat agrum, infirmum, aut qui chorum agit, & fistulam inflat.

Chelion. Aut consummatum, & perfectum significat, aut eum, qui totus columbinus est.

Ephratæi de Bethlehem Iuda. Non vna tantum erat Bethlehem, vt supra etiam dixi lib. Iud. cap. 17. nu. 7. vt ergo intelligatur sermonem esse de Bethlehem tribus Iudæ, additur vox *Ephratæi*, & vox *Iuda*, nam hæc Bethlehem etiam

Ephrata dicebatur, vt paret ex Gen. 35. & 48. i. Par. 2. & 4. Michæ 5. & hoc libro Ruth cap. 4. num. 11.

LYRAN.

ŷ. 4.

Qui acceperunt. Hic consequenter describitur ipſius Ruth deſponſatio. Dicunt autem Hebræi & etiam aliqui Catholici, quod iſta Ruth fuit filia Eglon regis Moab. Sed hoc videtur falſum, quia à tempore Aod qui interfecit Eglon, vt habetur Iudicum 3. fluxerunt anni ducen- ti 32. vſque ad Abefan, vt declaratum fuit Iudicum 11. & multo plures anni fuerunt vſque ad Heli: & ideo ſi Abefan fuit idem quod Booz vt dicunt Hebræi, impoſſibile eſt quod Ruth fuerit filia Eglon quem interfecit Aod: quia adhuc erat ſatis inuenis, & apta ad prolem quando fuit coniuncta ipſi Booz. Item ſi Booz fuit alter ab ipſo Abefan, ita quod historia Ruth accidit tempore Heli, vt dicunt aliqui, multo magis impoſſibile eſt quod ipſa Ruth fuerit filia prædicti Eglon, quia multo plures anni fue- runt vſque ad Heli: quam vſque ad Abefan, vt declara- tum fuit Iudic. 11. Et ideo ſi aliquis velit dicere, quod Ruth fuerit filia Eglon regis Moab, oportet conſequenter di- cere, quod iſte Eglon fuerit alius ab illo, quem interfecit Aod, & longè poſterior ipſo. Et tamen adhuc non videtur conuenienter dictum, ſecundum dictum Hebr. & Ca- tholic. quia ſecundum Hieron. Elimelech iuit pauper ad regionem Moab: & ſecundum Hebr. licet fuerit diues, tamen fuit ibi depauperatus, vt dictum eſt ſuprà. Et hoc videtur ex eo quod dicitur infrà eodem capite, quod Noëmi rediit de terra Moab vacua, ſcilicet ſine viro, fi- liis & diuitiis. Non eſt autem veriſimile quod rex Moab dediſſet uxorem ſuam viro pauperi & extraneo, & ſi poſt dationem depauperatus fuiſſet vir eius, non eſt veriſimile quod permiſiſſet eam recedere de terra ſua ita pauperem, quod indigeret ſpicas colligere in agro alieno: ſicut dicitur de Ruth ſequenti cap. Et ideo magis videtur, quod ipſa Ruth fuerit de humili progenie.

Vna vocabatur Orpha, altera Ruth. Orpha Chelion MENOC. vxor fuit, Ruth verò Mahalon, vt patet ex cap. 4. num. 10. cum ait Booz: *Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon in coniugium ſumpſi.* Orpha poteſt exponi *cernicoſa*, vel *ore nudata*, & *excitata*, Ruth *maſſaſta*, vel *irrigata*, me- taphoricè verò *inebriata*, vel *ſaturata*. Aliqui peccaſſe pu- tant par hoc fratrum gentiles vxores ducendo, patrii erroribus non abiuratis, vt colligitur ex num. 15. ſequenti, & docet Serarius qu. 11. Idem tamen Serarius eos excuſat neceſſitate, quod Iſraelitidas ibi ducere non poſſent. Idem docet Rupertus lib. 1. in Matth.

Vxores Moabitidas. Moabitis eſt Arabia pars, teſte Pli- nio: cuius metropolis Hebraicè *Selba*, Græcè & Latine *Petra* vocabatur quod rupibus ac præcipitiis extrorſum muniretur. Eam hodiernam eſſe Turcarum *Mecham* opi- natur Bellonius, ab ea metropoli nomen regioni toti fuit *Arabia Petraea*. Ex hac vrbe *Petra* Ruth & Orpham oriun- das fuiſſe affirmant quos citat Abulenſis, Vatablus, Arias, qui proinde cum S. Hieronymo, illud Iſaia 16. v. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terre, de Petra deſerti*, expli- cant de noſtra *Rutha*, quæ oriunda ex vrbe *Petra* produxit *Obed* aum Dauidis & Chriſti.

Petes, An filij Noëmi poterint ſine peccato vxores du- cere Moabitidas in idololatria perſeuerantes, vt has perſe- ueraſſe colligitur ex v. 15. Reſpondeo, cum Ruperto Tui- tienſi, illos non lege, ſed neceſſitate excuſatos fuiſſe à pec- cato. Iuuenes erant: ætatis feruor, prolisq; amor con- iugium ſuadebant: & in peregrino ſolo Iſraelitides nullæ, ſed ſolæ Moabitides. Et ſperare poterant, ſucceſſu tempo- ris ad Iudaicam religionem conuerſum iri.

Ambo mortui ſunt. Nullis relictis libris, quod licet ſcri- ptura non expreſſerit, tamen ex tota narratione colligitur. Vide Serarium quæſt. 14.

VARIETAS LECTIIONVM. à Verſ. 6. ad 9.

Vulg. Et ſurrexit vt in patriam pergeret, cum vtraque nuru ſua, de regione Moabide: audierat enim quod reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas.

Pag. Quod viſitaſſet populum ſuum dando eis panem.

Tigur. Quod inuiſiſſet populum.

Cald. Reuerſa eſt ab agro Moab, quoniam euangelifata fuit in agro Moab, quod recordatus eſt Dominus populi ſui, domus Iſraël.

Alter Cald. Quandoquidem nuntium acceperat quod ſuccurriſſet Dominus populo ſuo Iſraelitico, cibum largiendo illi, propter æquitatem & preces, quas coram Domino fundebat Abthanus Iudex, qui Boazus pius dicebatur.

Arab. Quod viſitaſſet, & dilataſſet eis bona.

Vulg. Egreſſa eſt itaque eſt de loco peregrinationis ſuæ, cum vtraque nuru: & iam in via reuertendi poſita, in terram Iuda.

Pag. Egreſſa de loco in quo erat, &c. & abierunt per viam redeundo, &c.

Varab. Et commiſerunt ſe itineri vt reuenterentur.

Malu. Et ambulauerunt in via ad reuertere.

Sept. Ibant in via ad reuertendum.

Ionat. Deceſſit in loco, in quo degerat.

Vulg. Dixit ad eas: Ite in domum matris veſtræ, faciat vobis Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecum.

Malu. Faciat vobiscum Dominus benignitatem ſecun- dum quod feciſtis cum mortuis, & coaſtantem mihi.

Cald. Ite redite mulier ad domum matris ſuæ, faciet vo- biscum bonum, ſicut id feciſtis cum maritis veſtris dormientibus, quod renuiſtiſ accipere viros, poſt mor- tem eorum, & mecum quod aluiſtiſ, & ſuſtentatiſ me.

Ionat. Clementer ita tractet vos Dominus atque maritos veſtros iam vita functos, & me clementer tractauiſtiſ, il- lis enim demortuis viris, aliis nubere noluiſtiſ.

Arab. Dominus miſereatur veſtri & gratificetur vobis.

Vulg. Det vobis inuenire requiem in domibus virorum, quos ſortituræ eſtiſ. Et oſculata eſt eas. Quæ eleuata voce flere cœperunt.

Malu. Dabit Ihuſ inuenire reſidentiam vira domum viri ſui.

Cald. Dedit Dominus requiem perfectam ſuper miſeri- cordia, quam feciſtiſ mihi, inuenietis requiem, &c.

Ionat. Vobis tribuat abſolutam mercedem, pro benefi- cio, quod detuliſtiſ ad me, atque etiam propter eandem, mercedem quietem capiat vnaquæque in do- mo futuri mariti ſui, &c. illæ intensâ voce ſcuer- runt.

Syr. Det vobis Dominus miſericordiam, & inuenietis requiem in domo parentum veſtrorum.

Arab. Perducat vos Dominus ad veſtros.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quod reſpexiſſet Dominus populum ſuum; Alij, *Viſitaſſet.* In bonum hîc verbum viſitandi ſumitur, id eſt quod famem leuaſſet, benigne ac largiter prouentum terræ, & annonæ dediſſet: Vnde rectè alij reddunt, *Quod ſuc- curriſſet Dominus. Faciat vobis Dominus miſericordiam, ſicut feciſtiſ cum maritiſ, & mecum;* Aliqui, *Cum ma- ritiſ veſtriſ dormientibus.* Quod renuiſtiſ accipere viros poſt mortem eorum, & mecum, quod aluiſtiſ, & ſuſtentatiſ me: Beneficia ergo peculiariter hi exponunt, quæ Noëmi, & filij eius acceperunt. In communi autem Vulgatus nomine miſericordiæ ea nuncupat.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **A** *Vdierat enim.* Et ideo fame recedente de terra sua melius poterat ad eam redire.
- MENOC. *Egressa est cum utraque nuru.* Ad aliquam itineris partem abeuntes amicos prosequi humanitatis semper fuit Gen. 18. v. 16. cap. 31. v. 27. Actor. 20. v. 38 Rom. 15. v. 24. At ista duæ nurus focus suæ prudentia, & suauitate ductæ Bethlehem vsque comitari, & apud illam esse perpetuo volebant.
- LYRAN. *Ite in domum.* Hoc dixerat, quia patres earum erant mortui, vel quia mulieres sunt magis familiares matribus suis quàm patribus.
- MENOC. *Ite in domum matris vestrae.* Ita loquitur, vel quia patre carebant, vel quia filia cum matribus & frequentius & suauius versantur, vel quia scemina in gynæceo seorsim à viris habitabant, filia cum matribus & sororibus, &c.
- Misericordiam sicut fecistis cum mortuis.* Misericordiam facere, est bene facere. Fecerant misericordiam duæ istæ
- A Moabitides cum viris suis. I. illis peregrinis nubendo, & cum illis placidè & officiosè conueniendo. II. post mortem iusta funeris curando, eorum memoriam retinendo, & celebrando, & illorum etiam amore cum Noëmi perpetuum viuere statuendo.
- Qua eleuata voce flere cœperunt.* Ex quo patet quod Noëmi valde bene se habuerat ad nurus suas.
- Inuenire requiem in domibus virorum, &c.* Vt scilicet immunes sint à molestiis, litibus, querelis, laboribus, lachrymis quæ coniugia comitari solent, propter quam causam sanctus Paulus *tribulationem carnis* habere coniugatos affirmat, 1. Corinthior. 7. vers. 28. Habent etiam requiem vxores, viris rem familiarem curantibus, & negotia tractantibus, quæ ad euehendam familiam pertinent, quo præsidio destitutæ viduæ magnis curarum & molestiarum fluctibus agitantur.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 10. ad 13.

V *Vlg.* Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.

Malu. Quia ad te reuertemur populo tuo.

Sept. Tecum reuertimur.

Cald. Non reuertemur ad populum nostrum, verumtamen tecum reuertemur in terram nostram.

Ionat. Neque ad populum nostrum, neque ad Deum nostrum reuertemur, quin potius ad populum tuum ibimus, vt profelita fiamus,

Arab. Non discedimus, sed ibimus tecum in regionem populi tui.

Vulg. Quibus illa respondit: Reuertimini filia meæ, cur venitis mecum, num vltra habeo filios in vtero meo, vt viros ex me sperare possitis?

Pag. Numquid vltra erunt filij in vtero meo, vt sint vobis viri?

Malu. Num putatis quod sim nuptura, & nascentur mihi filij?

Vulg. Reuertimini filia meæ, & abite, iam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali, etiam si possem hac nocte concipere, & parere filios,

Pag. Senui, vt non sim apta viro, si etiam dicerem, est mihi spes, etiam si essem hac nocte cum viro, & etiam parerem filios.

Sept. Rom. Quia dixi, quia mihi substantia vt ego fiam vira, & pariam liberos.

Cald. Senui ad esse maritam viro & dixi, vtinam ego puella, est mihi expectatio, profecto fui maritata in nocte, & profecto fui pariens filios.

Ionat. Vt apta vxor marito non sim ad hæc duo, si hoc puella essem, mihi que spes esset vt hac nocte cum viro nupta essem, atque etiam filios parerem.

Arab. Præterij terminos nubendi, & amisi omnem spem

nubendi viro.

Vulg. Si eos expectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant, antè eritis vetula quam nubatis. Nolite, quæso, filia meæ: quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me.

Pag. Numquid morabimini, vt sitis viro, ne filia meæ, quia amaritudo foret mihi valde plusquam vobis, quia egressa in me percussio Domini.

Caiet. An ligabimini ab esse viris, &c.

Tigur. Nunc vos superstites manebitis propter eos, quominus nubatis viris, nam alioqui plus satis dolco vestri gratia, quo manus Domini diuexauit me.

Malu. An eis sperabitis vsquequo grandes fient, an eis vtemini ad nequaquam esse viro.

Sept. Amaritudo est mihi super vos.

Reg. Quoniam afflictio est mihi valde.

Cald. Fortasse ad eos vos expectantes vsquequo adolescent, num propter eos vos sedentes tristes vt quod non adesse acceptas viro: obsecro filia meæ non amaricabitur animam meam, nam amaricauit mihi cor meum magis à vobis, quoniam exiuit à me percussio ab ante Dominum.

Ionat. Sicut expectat mulier quæ reseruatur ad coniugale fœdus faciendum propinquo per aliquod tempus vt nubat illa tandem viro, quæso ne contristetis animum meum, quoniam vestra mea afflictio maior est, quoniam à Domino mihi plaga imposita.

Arab. Quoniam anima mea contristata est, & accidit mihi amaritudo vehemens, & amaritudo mea est vehementior amaritudine vestra, quoniam cum egressa sum de regione mea, egressum est supplicium meum à me.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T *Tecum pergemus ad populum tuum:* Alij, *Non abibimus, nam tecum reuertemur,* id est reuertentem prosequemur & comitabimur. *Etiamsi possem hac nocte concipere, & parere filios;* Alij, *Quia dixi est mihi spes etiam si essem hac nocte viro, & etiam peperis filios:* quod quidem obscurum, sed vt obscuritas tollatur, quæ est in his verbis, quia dixi, debet explicari, quemadmodum fecit Pag. quia etsi dicerem, Sept. quia dixi, quia est mihi substantia: Intelligunt per substantiam, facultatem, & potentiam gignendi, in qua fundatur tota spes generationis. *Ante eritis vetula quam nubatis;* Alij, *Ante aduremini absque marito, an ligabimini ab esse viris? &c.* In alijs ergo per interrogationem hæc sententia obscure effertur, & variè propter multiplicem significationem futuri niphali תעבינה *thegebhenah.* *Quia angustia vestra magis me premit;* Alij, *Quia amaritudo est mihi valde præ vobis,* quod hic clarè exponitur: si graue est vobis, quod deseritis me, mihi adhuc molestius est vobis priuari. *Egressa est manus Domini contra me;* Alij, *Mihi plaga imposita, exiuit à me percussio:* manus Domini pro efficacitate, operatione, seu plaga diuina sumitur.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **N** *Num vltra habeo.* Præceptum enim erat in lege Deut. 15. quod si aliquis moreretur sine hærede relicta vxore, frater eius acciperet eam ad fuscitandum semen fratri suo defuncto. Cætera patent in litera.
- Num vltra habeo filios in vtero meo? &c.* Sumitur ratio hæc ex ea lege, quæ ante Moysen fuit, Gen. 28. 11. & 14. & quæ per Moysen postea sancita est Deut. 25. v. 5. vt scilicet fratres fratrum, qui absque liberis decessissent, vxores

ducerent, fratribusque mortuis semen suscitarent.

TIRINVS. *Reuertimini filia mea.*] Non iubet, sed solum ex urbanitate id eis liberum esse vult, quasi dicat. Nolo, mea vnus causa, è solo patrio, è domibus, à parentibus, ab amicis & notis in alienam terram ad alienos & ignotos emigretis, & pauperiem, liberorum orbitatem, & alios casus, qui peregrinantibus ac inopibus comites esse solent, subire cogamini. Nolo etiam, mea solius causa religionem mutetis, ne fortè malorum, quæ Iudaicam fidem amplexis, sed minus in ea constantibus, euenire solent, ignaræ, & scanda-

lum aliis, & vobis exitium, & mihi probrum creetis, ita Abulensis, Caietanus & Serarius.

Angustia vestra magis me premit. Valde angor, quod discessum hunc meum adeo ægrè feratis, ac propterea à me diuelli nolitis, dolor vester, quia impense vos amo, me valdè cruciat.

Egressa est manus Domini contra me. Ad alias molestias, quibus me Dominus exercuit, hæc etiam addita est, vt à vobis discedere, & vestra carere consuetudine cogat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. ad 17.

Vulg. Eleuata igitur voce, rursus flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reuersa est: Ruth adhæsit socri suæ.

Pag. Leuauerunt vocem suam, & fleuerunt adhuc.

Malu. Agglutinata fuit ei.

Sept. Rom. Sequuta est eam.

Cald. Ruth apprehendit in illa.

Arab. Non discessit ab ea.

Vulg. Cui dixit Noëmi, en reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea.

Pag. Reuertere post cognatam tuam.

Caiet. Reuersa est fratria tua.

Cald. Ecce rediit affinis tua ad populum suum, & ad timorem suum, redi post affinem tuam, &c. ad timorem tuum.

Ionat. Rediit vxor fratris mariti tui ad populum tuum, & ad Deum tuum.

Vulg. Quæ respondit: Ne aduerseris mihi vt relinquam te & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus, Deus meus.

Pag. Ne roges me, vt relinquam te, vt recedam à te.

Tigur. Vbicumque deges, ego quoque degam.

Malu. Non incurres in me, ad relinquere me, ad reuertere de post te, quia ad quod ambulabis ambulabo, & in quo pernoctabis, ego pernoctabo.

Sept. Rom. Ne occurrat mihi, vt auertar post te.

Reg. Vt discedam à tergo tuo.

Cald. Ne sollicites me ad dimittendum ad redeundum de

post te, quoniam ad omne quò ibis ibo, quod custodit populum tuum erit custos meus, vt si fuerunt populus meus ex antiquo hîc & Deus tuus, &c.

Ionat. Quoniam conuersa sum, vt profelyta sim: dixit Naoumi, iubemur seruare Sabbatha, & festos dies, ita vt ambulare non liceat vltra duos mille cubitos; respondit Rutha, quocumque ibis tu, ibo: dixit Naoumi, iubemus ne vna cum externis habitemus populis, respondit Rutha, vbicumque habitabis, habitabo: Dixit Naoumi, iubemur obseruare sexcenta tredecim præcepta, respondit Rutha, quod obseruabit populus tuus, obseruabo ego, perinde ac si populus meus antea fuisset: Dixit Naoumi, iubemur ne colamus Deum alienum, respondit Rutha, Deus meus, Deus tuus.

Vulg. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te, separauerit.

Pag. Nisi mors diuisionem faciat inter me & te.

Cald. Et non addes vltra ad loquendum, sic faciet Dominus mihi, & sic addet super me.

Ionat. Dixit Naoumi, sunt nobis quatuor genera mortis in sceleratos, lapidatio, exustio, cædes gladij, & crux. Respondit Rutha, quomodocumque morieris, moriar. Dixit Nouemi, nobis est sepulchrum, respondit Rutha, ibidem etiam sepeliar, neque in posterum hæc de te verbum facito, nam dispeream, nisi mors me à te separet.

Arab. Si discedam à te, nisi in morte.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

En reuersa est cognata tua; Alij, Affinis, fratria. Fratris dicuntur duorum fratrum vxores: non dicitur autem à vulg. cognata ob eiusdem generis communionem: Et maximè indicat vox Hebræa יבמה *iebama* quæ fratram seu vxorem fratris mariti significat, vel certè in genere, affinitate coniunctam, quemadmodum & יבם *iabam*, fratrem mariti, vel quemlibet affinem significat, & יבם *iabam* verbum significat fratris vxorem accipere: Eandem per affinitatem cognationem indicant Sep. apud quos hæc Noëmi שווימוס dicitur, quasi dicas cõnurus: *שווימוס* enim non tantum sponsa dicitur, sed etiam nurus, comparatione ad socrum facta, atque adeò שווימוס, vel שווימוס, quæ simul cum altera eiusdem socrus nurus est, atque adeo & duorum fratrum vxores. Et ad Deos suos. Cald. Et ad timorem suum: significat enim hæc vox Chaldaica דחלתא *dechalta*, timorem, cultum: per metonymiam autem hîc pro obiecto timoris & cultus ponitur: Ne aduerseris mihi vt relinquam te; Alij, Ne roges me, ne sollicites me: Et sic illud aduersari idem est, ac ne precibus, aut sollicitationibus, coneris me à proposito meo diuertere. Plura habet Ionat. quæ mira Rabbidorum figmenta sapiunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Vi dixit.* Hîc consequenter describitur ipsius Ruth conuersio, quæ noluit reuerti sicut altera, sed ire ad terram Israël cum socru sua, & conuerti ad cultum Dei vnus, Gentilitate relicta, propter quod dixit.

MENOC. *Ad populum suum, & ad Deos suos.* Ex quo patet, idololatriæ deditam Orpham, Iudaica sacra nunquam suscepisse.

LYRAN. *Ne aduerseris.* Reuertendo ad cultum idolorum.

Quocumque. Hîc dicunt Hebr. quòd volentibus conuerti ad Iudaismum dicenda sunt graua legis, saltem secundum partem, sicut volentibus ingredi religionem explicanda sunt difficilia illius religionis. Dicunt igitur quòd Noëmi videns Ruth velle conuerti ad Iudaismum dixit illi aliqua onera legis, & primo dixit ei, quòd non erat licitum Iudæis ire extra terram Israël, nisi ex causa magnæ necessitatis. Et tunc Ruth ei respondit, *Quocum-*

que; & non alibi. Iterum dixit ei, non est nobis licitum, quòd mulier sit sola cum viro, nisi fuerit maritus eius. Et Ruth respondit: *Vbi morata*, nolens esse sine te cum aliquo viro. Iterum dixit. *Populus* Hebr. est subiectus legis oneribus, in qua sunt 613. præcepta. Tunc respondit.

Populus tuus. Quasi dicere, volo subdi legi ipsius. Iterum dixit. Prohibitum est nobis colere Deos alienos. Et ipsa respondit.

Deus tuus, &c. Quasi diceret, alium nolo colere. Iterum dixit ei. Transgressoribus legis nostræ in diuersis casibus imponitur pœna quadruplicis mortis, scilicet lapidationis, combustionis, strangulationis in suspensione, & occisionis gladio, vt patet in Exod. & Deut. Et tunc Ruth respondit.

Populus tuus populus meus, & Deus tuus, Deus meus. ESTIVS Non est sensus, Quemcunque elegeris populum, eundem

& ego eligo, & similiter de Deo, sed assertiuè profert Ruth; Populus Israeliticus, quem scio populum tuum esse, & ad quem nunc reuerteris; erit & populus meus, & similiter Deus tuus Deus meus, & in hoc animi proposito parata sum, & cupio reliquum vitæ meæ transigere. Ex his ergo dictis sequitur non posse vlllo modo ex hac scriptura sumi patrociniū peruersæ doctrinæ politicorum, docentium debere similiter dicere vnumquemque; Fides prin-

cipis mei est fides mea, quasi scilicet obiectum fidei esse non Deus ipse, sed quiduis politicum.

Deus tuus, Deus meus. Patriæ superstitioni valefaciam, MENO C. tibi adharebo.

Que te terra. Quia quando aliquis habet firmam voluntatem transeundi ad legem diuinam, vel religionem, non est impediendus, seu refutandus. Cætera patent vltique ibi.

VARIETAS LECTIIONVM. à Vers. 18. ad vltimum.

Vulg. Videns ergo Noëmi, quod obstinato animo Ruth decreuisset secum pergere, aduersari noluit, nec ad suos vltra reditum persuadere.

Pag. Quod indurata esset ad reditum secum, & cessauit loqui ad eam.

Tigur. Videns illam firmiter apud se statuisse, &c. destitit loquendo ei obstrepere.

Malu. Et vidit quia furrigere faciens se ipsa ad ambulare ad eam, cessauit ad loqui ad eam.

Sept. Rom. Quod illa perdurat ad eundem secum.

Reg. Quoniam perseuerat ipsa.

Cald. Quod confortata illa ad ambulandum secum, & concludit à loquendo illi. *Ionat.* Ab incepto destitit.

Syr. Quod verè complacuisse ei abire secum, siluit dicere ei vt reuerteretur.

Arab. Quod dilexisset omnino abire cum illa, abstinuit dicere ei de reditu.

Vulg. Profecta que sunt simul, & venerunt in Bethleem, quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama perrebit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noëmi.

Pag. Commota est tota ciuitas super eis, &c. num hæc est Noëmi?

Tig. Strepitu quodam illarum gratia ciuitas commouetur.

Malu. Et fuit in venire eas in Bethleem, & conturbata fuit omnis vrbs.

Sept. Rom. Sonuit vniuersa ciuitas super eas.

Reg. Percrebuit.

Cald. Congregati sunt omnes habitatores super eas.

Syr. Lataretur in eis omnis vrbs.

Vulg. Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amarā) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.

Pag. Quod supra modum omnipotens me diuexauerit.

Malu. Quia amaricari fecit Schadda mihi valde.

Sept. Rom. Quoniam inamaruit in me.

Reg. Quia amaritudine repletus est in me omnipotens

valde. *Cald.* Quoniam amaricauit.

Ionat. Vocate me afflictam animo, quoniam afflixit me.

Syr. Vocate me amarā animā, quoniam Elisadai amarā me fecit valde.

Arab. Quoniam Deus promissorum amarā me reddidit.

Vulg. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliavit, & afflixit Omnipotens?

Pag. Et Dominus testificatus est contra me, & omnipotens mihi malè fecit.

Tigur. Ego opulenta abibam, &c. cum Dominus me deiecerit, &c. & afflixerit.

Malu. Vacuitatem reuertere me fecit Iuh, &c. & Schaddai malefecit mihi.

Sept. Rom. Inanem reduxit me Deus.

Cald. Et ante Dominum testificata est in me culpa mea, & omnipotens malè esse fecit mihi.

Ionat. Ego marito & filiis comitata discessi, & illis me priuātam reducem fecit Dominus: quorsum, igitur vocatis me Naoumi, cum obiectum mihi à Domino sit peccatum meum?

Syr. Plenè discessi hinc, & Dominus reduxit me vacuè, &c. & qui valet manibus, malè fecit mihi.

Arab. Egressa sum hinc multiplicis substantiæ, &c. immisit in me supplicium vehemens.

Vulg. Venit ergo Noëmi cum Ruth Moabitide nuru sua de terra peregrinationis suæ, ac reuersa est in Bethleem, quando primū hordea metebantur.

Malu. In principio discurtationis hordeorum.

Cald. Ascenderunt in Bethleem in introitibus diei Piz-zha, & in illa cæperunt filij Israël ad metendum manipulum eleuationis, qui fuit ex ordeis.

Ionat. In diei paschatis principio, quo incipiebant Israelitæ primitiarum manipulum.

Syr. Quoniam complacuit ei reuerti cum illa in corde perfecto. *Arab.* De tota anima sua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Hæc est illa Noëmi; Alij interrogatiuè, Num hæc illa Noëmi? Et fortè in textu nostro rectius intelligitur interrogatio iuncta admirationi. Afferunt aliqui verisimile ita legisse Vulg. *Velox apud cunctos fama percrebuit;* Alij, *Conturbata, commota ciuitas.* Est futurum *תהום theom*, quod est commoueri, tumultuari, perturbari, ea scrutatum conueniunt, omnes, obstupescunt, commouentur, & de his varios miscent sermones. Vnde *Cald.* *Congregati sunt omnes habitatores super eos, & cum gaudio susceperunt.* Ita Syrus. *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me mara, id est amarā;* Alij has nominum interpretationes non habent, sed eas addidit Vulg. vt Hebraicæ remaneret. *Egressa sum plena.* In quo consistat hæc plenitudo, explicat Ionathas, *Ego discessi comitata marito, & filiis.* *Tigur.* *Opulenta dicentes, Quam Dominus humiliavit;* Alij, *Afflixit, oppressit:* est enim *גבנא gbbanah*, quam ex altera illius significatione aliqui reddunt, *Quum Dominus responderit, testificatus fuerit, loquutus sit in me.* Id est, quum Dominus contra, in me suis protestatus est operibus, me amœnam non esse: *Quando primum hordea metebantur;* Alij, *In diei paschatis principio,* nempe sub principium primi mensis Nisan, dicti, tunc enim hordei messis, oblato post diei paschatis spicarum manipulo.

ANNOTATIONES.

MENO C. **O**bstinato animo. In bonam partem sumitur, pro B
y. 18. constanti voluntate.

Nec ad suos vltra reditum persuadere. Suaferat, vt manerent urbanitatis causa, ne sineret eas patriam, propinquos, amicos, & natos sua causa relinquere. Et si fortè ipsæ significauerant se Iudaica sacra suscepturas, voluit earum experiri constantiam, verita ne postea cum suo mœore & dedecore à recta religione deficerent Cognita ergo Ruth voluntate constanti, non amplius suadet vt redeat.

LYRAN. *Dicebantque mulieres.* Secundum expositores nostros
y. 19.

legitur depressiuè, & est verbum congaudendi de reditu Noëmi. Secundum Hebræos verò, legitur interrogatiuè, & est verbum admirandi, quasi dicatur. *Hæc est illa Noëmi,* quæ recessit cum curru, & equis & diuitiis, & modò reuertitur pauper & peditando, quia exiuit terram Israël ex mala causa, vt supra dictum est secundum opinionem Hebræorum, & huic consonat quod sequitur.

Venerunt in Bethleem. Si ex Petra Moabitidis vrbe, MENO C.
quam multi, & graues auctores Ruth patriam fuisse volunt, venerunt, iter fermè erat quadridui, plures posuisse

credibile est imbecilles fœminas, cum præsertim Noëmi A
iam esset anus.

Velox apud cunctos fama percurrebat. In Hebr. est. *Reso-*
nuuit tota vrbs.

Hæc est illa Noëmi. Dicebant hoc, vel cum gaudio, &
gtatulatione, vel cum admiratione, & contemptu, quod
ad paupertatem esset redacta.

LYRAN. *Egressa sum plena.* Filiis & diuitiis.

Ÿ. 21. *Et vacuum reduxit.* Et in hoc confitetur pœnam sibi
inflictam à Domino pro peccato sui exitus de terra Israël
ex mala causa, vt supra dictum est, scilicet secundum opi-
nionem Hebræorum.

Egressa sum plena, & vacuum reduxit me Dominus. Va-
cuam se appellat, quia mortuus maritus, extincti filij, ipsa
ad paupertatem redacta.

Egressa sum plena.] Scilicet liberis, marito, nummis,
vigore, pulchritudine, honore, gratia & fauore. His omni-
bus iam *vacuum reduxit me Dominus.* Pia matrona piè ad-
modum vacuitatis seu orbitatis omnis suæ, Deum (à quo
omnia pendent) auctorem agnoscit: ideoque, vt dece-
bat, æquo animo, patienter atque hilariter fert omnia.

Quando primum hordea metebantur. Quia messis in Pa-
lestina fieri solet mense Nisan, qui respondet partim Mar-
tio nostro, partim Aprili.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

Ruth pressa egestate, spicas in agro Booz affinis sui colligens, gratiam apud eum inuenit: & læ-
ta vesperi ad socrum reuersa, frumentum, & reliquias ciborum ei affert.

I.



Rat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, & magnarum
opum, nomine Booz. 2. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si iu-
bes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium,
vbicumque clementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa res-
pondit: Vade filia mea. 3. Abiit itaque & colligebat spicas post terga me-
tentium. Accidit autem vt ager ille haberet dominum nomine Booz, qui
erat de cognatione Elimelech. 4. Et ecce ipse veniebat de Bethleem, di-
xitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. 5. Di-
xitque Booz iuueni, qui messoribus præerat: Cuius est hæc puella? 6. Cui respondit Hæc est
Moabitis, quæ venit cum Noëmi, de regione Moabitude, 7. & rogauit vt spicas colligeret re-
manentes, sequens messorum vestigia: & de manè vsque nunc stat in agro, & ne ad momen-
tum quidem domum reuersa est. 8. Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum a-
grum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis, 9. & vbi messue-
rint, sequere. Mandauit enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed etiamsi sitieris, vade
ad farcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt. 10. Quæ cadens in faciem suam, &
adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos,
& nosse me dignareris peregrinam mulierem? 11. Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi om-
nia, quæ feceris socru tuæ post mortem viri tui, & quod reliqueris parentes tuos, & terram
in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas. 12. Reddat tibi Dominus pro
opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cu-
ius confugisti alas. 13. Quæ ait: Inueni gratiam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus
es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnus puellarum tuarum.
14. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vesperti fuerit, veni huc, & comede panem, &
intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, & congeffit polentam si-
bi, comeditque, & saturata est, & tulit reliquias. 15. Atque inde surrexit, vt spicas ex more
colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne
prohibeatis eam: 16. & de vestris quoque manipulis proiicite de industria, & remanere per-
mittite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat. 17. Collegit ergo in agro
vsque ad vespertinam: & quæ collegerat virga cædens & excutens, inuenit hordei quasi ephi-
mensuram, id est, tres modios. 18. Quos portans reuersa est in ciuitatem, & ostendit socru
suæ: insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. 19. Dixitque so-
crus sua: Vbi hodie collegisti, & vbi fecisti opus? Sit benedictus qui misertus est tui. Indi-
cavitque ei apud quem fuisset operata: & nomen dixi viri, quod Booz vocaretur. 20. Cui res-
pondit Noëmi: Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis,
seruauit & mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo. 21. Et Ruth, Hoc quoque,
inquit, præcepit mihi, vt tamdiu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur. 22.
Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro
quispiam resistat tibi. 23. Iuncta est itaque puellis Booz: & tamdiu cum eis messuit, donec hordea
& triticum in horreis conderentur.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 1. 2. & 3.

Vulg. Erat autem viro Elimelech confanguineus, homo potens, & magnarum opum nomine Booz.

Pag. Ipsi autem Nahomi confanguineus viri, erat vir potens diuitiis, & familia Elimelech.

Vatab. Habebat virum virtutis.

Tigur. Fortem, opulentumque.

Malu. Et Nahomi notus viro eius, vir prævalidus strenuitatis.

Sept. Rom. Vir autem potens fortitudine & cognatione Elimelech.

Reg. Vir potens robore.

Cald. Et Nahami cognitus fuit ad virum eius, potens fortis è profapia, &c.

Ionat. Vir strenuus, ac legisperitus de familia, &c.

Arab. Erat ipsi Naama vir de notis eius, &c. vir notus.

Vulg. Dixitque Ruth Moabitibus ad socrum suam: Si iubes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, vbicumque clementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade filia mea.

Pag. Colligam spicas in agro illius, in cuius oculis inuenero gratiam. *Tigur.* Impetrarim.

Malu. Ambulabo, obsecro, agrum, & collegi in spicis.

Sept. Colligam à tergo.

Reg. Congregabo in spicis post vbi, &c.

Cald. Post quem inueniam misericordias in oculis eius.

Syr. Faciam spicilegium apud operarios.

Arab. Post messorum in terra eius.

Vulg. Abiit itaque & colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet Dominum, nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.

Pag. Et venit, & collegit in agro post messorum & accidit accidens, ut pars agri esset ipsius Bohan.

Tigur. Forteque fortuna in agrum Booz incidit.

Malu. Collegit post decurtantes, & incurrit incurrentia eius pars agri.

Sept. Rom. Euenit euentu.

Reg. Accidit autem ut ager ille habebat Dominum,

Cald. Accidit accidens possessioni agri.

Arab. Accidit ingressus eius in possessionem agri.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Erat confanguineus; Alij, Erat notus. Hebr. est מוֹדָגַב *mordagh*, quæ propriè notum significat, cui apud Sept. respondet vox *ἰσχυρὸς* notus, familiaris, at apud Hebr. vox illa ferè pro propinquo ponitur, quod propinqui soleant maxime noti esse ac familiares. *Homopotens, & magnarum opum*; Alij, *Potens fortitudine, vir virtutis*. Hebr. est *איש גבור חיל* *is ghibor chail*, id est vir fortis ac strenuus: vir magna animi virtute, ac firmissimo corporis robore præditus. Significat etiam *חיל* idem quod Mammon, substantia, diuitiæ. Addit Ionatas quod erat legisperitus, id est, apprime studuerat legi diuinæ, eam studiosè didicerat. *Accidit ut ager ille, &c.* Alij, *Forte fortuna accidit accidens*, Ruthæ siquidem casus, fortuna, & præter expectationem accidit, ut in agrum illius sibi affinis incidit, spicilegium factura, sed Dei consilio ac prouidentia factum, ut in agrum huiusmodi viri, quasi manu duceretur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** **E**rat autem. Hic consequenter describitur ipsius Ruth conuersatio virtuosa, & quia humilitas est fundamentum omnium virtutum; ideo circa eam primò describitur humilitatis virtus; secundò honestatis decus, ibi: *Accidit autem*: tertio gratitudo in beneficiis, ibi: *Que ca. in faciem suam*: quartò sollicitudo in exercitiis, ibi: *Collegit ergo*. Humilitas autem eius apparet in hoc, quod obtulit se ad colligendum spicas in agro de voluntate & licentia socri suæ. Præmittitur tamen hinc nomen ipsius, Booz, eo quod ager in quo collegit erat ipsius, quia erat de cognatione mariti sui defuncti, & hoc est quod dicitur.

Erat autem. Dicunt Hebr. quod Elimelech socer Ruth & Salmon pater Booz fuerunt fratres, & sic maritus Ruth & Booz erant confanguinei germani. Sed primum dictum videtur falsum quia Salmon qui genuit Booz de Rahab fuit tempore Iosué, & accepit uxorem Rahab post destructionem vrbs Iericho, quia tunc fuit copulata populo Israël, ut habetur Iosué 6. hoc autem fuit circa principium ducatus Iosué: à principio verò ducatus eius vsque ad Abesam, quem Hebræi dicunt esse ipsum Booz, fluxerunt anni 272. & multo plures fluxerunt vsque ad Heli: & ideo si secundum opinionem Hebr. dicatur, quod Booz & Abesam idem homo fuit, impossibile videtur, quod Elimelech fuerit frater Salmon, quia Ruth vxor Mahalon filij Elimelech adhuc erat iuuenis, ut satis patet ex sequentibus, quando fuit copulata matrimonio ipsi Booz adhuc potenti generare. Et adhuc magis impossibile est, si dicatur quod Booz fuit tempore Heli qui postea per multos annos iudicauit: propter quod dicunt doctores nostri, & bene ut videtur, quod tres fuerunt Booz sibi succedentes, quorum primus fuit auus, secundus filius, & tertius nepos, primus fuit filius Salmon quem genuit de Rahab: & tertius fuit iste qui genuit Obed ex Ruth: & hoc idem dixi super Matt. cap. 1. vbi isti tres sub vno nomine comprehenduntur. Tum quia Matt. Euang. genealogiam saluatoris in tribus quaterdenis voluit describere, ut ibidè dicitur, in 3. autem gradu vltimus Booz attinebat ipsi Elimelech & filio eius Mahalon, vtpostea dicitur. Cætera patent in litera.

Tom. IV.

A *Elimelech confanguineus.* Quomodo Booz fuerit eius confanguineus, non expressit Scriptura. Rabbi Iosué citatus à Serario quæst. 1. ait Elimelech, Salmon, & Iob fratres fuisse, Booz autem filium fuisse Salmon fratris Elimelech: hinc ergo patruus: Booz verò ex fratre nepos. Quod Rabinus hinc docet, ait Serarius falsi conuinci non posse, nec aliud certius ab auctoribus afferretur.

Nomine Booz. Quæ vox vel significat in fortitudine, vel in eo fortitudo.

Elimelech erat confanguineus Booz. Rabbi Iosué apud TIRINVS Raschi dicit, Booz fuisse Elimelechi nepotem ex fratre illius. Sed male addit, eundem esse cum Abesam nono in ordine Iudicum, ut fusè refellit Abulensis & Serarius.

Colligam spicas. Apud Hebræos enim concessum non erat spicilegium ipsis agrorum Dominis, sed tantum pauperibus tam indigenis, quàm aduenis. Præceptumque erat in lege veteri, ut dum segetes demeterent earum Domini, spicarum aliquid relinquerent Leu. 19. v. 9. & cap. 23. v. 22. Deut. 24. v. 19. Ruth ergo ut pauper ad colligendas spicas egreditur.

Colligam spicas. Nota ex Leuit. 19. & 23. item Deut. 24. Iudæis præceptum fuisse, dum segetes demeterent, aliquid spicarum in vsus pauperum relinquerent, quæ fiebant primi pauperis occupantis, siue indigena is esset, siue aduena. Voluit tamen Ruth v. 7. rogare præfectum agrorum, id sibi bona ipsius gratia liceret. Sed hoc fecit ex singulari modestia & humanitate: forsan & ignara erat eiusmodi priuilegij, inquit Abulensis. Apud Christianos, ad quos sola moralia transferunt, neque vlla spicarum iusta relictio, neque ipsi agrorum Dominis, aliisue diuitibus verita relictarum collectio, licet probrosam atque inhumanam foret, eas pauperibus quando adessent, præripere, ita sanctus Thomas & Institutiones Iuris, & Digesta. Erat ergo spicilegium istud inopiæ certum argumentum: honestum tamen, minimeque probrosam, quia laboriosum. Et verò suadet ratio, dum vires annique finunt, omnem adhibendum laborem & industriam ad vitæ necessaria conquirenda, priusquam ad mendicandum.

LIBRERIA
TADADA

dum sese accingat egenus & pauper, vt pulchrè docet A. tis decus, quod percepit Booz veniens ad messorum. Vnde Muretus. subditur.

LYRAN. *Accidit autem.* Hic describitur ipsius Ruth honesta-
V. 3.

VARIETAS LECTIONVM. à *Vers.* 4. ad 7.

Vulg. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.
Malu. Dixit decurtantibus.
Cald. Sit dictum Domini in auxilio vestro.
Ionat. Sit vobis in auxilio verbum Domini; qui dixerunt ei: Bene tibi vertat Dominus.
Syr. Pax vobiscum.
Arab. Salutauit messorum.
Vulg. Dixitque Booz iuueni, qui messoribus præerat: Cuius est hæc puella?
Pag. Qui stabat super messorum.
Vatab. Qui constitutus erat.
Malu. Dixit excusso suo, stanti super decurtantes: Cui excussa ista?
Cald. Dixit ad puerum suum quem præposuit magistrum, &c. cui nationi puella hæc?
Syr. Qui præerat operariis, quod nuntium est puellæ huius?
Arab. Quæ ratio est huius puellæ?
Vulg. Cui respondit: Hæc est Moabitidis, quæ venit cum Noëmi de regione Moabitide.
Pag. Respondit puer qui stabat super messorum & ait.
Malu. Respondit excussus.

Alij. vt præced. versu.
Ionat. Dixit, puella Moabitidis est, quæ venit, & profelyta facta est.
Vulg. Et rogauit vt spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, & de mane vsque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reuersa est.
Pag. Et dixit: Colligam, obsecro, & congregabo manipulos super messorum, & venit, & stetit ad mane, hæc mansio eius in domo fuit paululum.
Isid. Clar. Excepta modica eius sessione in tugurio.
Vatab. Congregem quæso, ac colligam spicas post messorum, iam sessio eius in domo paululum.
Tigur. Quod sedit in tugurio perpuffillum est.
Malu. Istud sedere eam in domo paucum.
Sept. Rom. Non cessauit in agro puffedillum.
Reg. Non requieuit paululum.
Cald. Congregabo in manipulos id quod relictum est, & venit, & stetit, & commorata est hic, &c. modo paululum hoc quod sedens in domo.
Ionat. Ingressa stetit, & permanfit iam à prima luce vsque nunc. Hinc constat illam parum domi residere.
Syr. Fecit spicilegium à mane vsque ad quietem.
Arab. Vsque ad tempus quietis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Rogauit vt spicas colligeret; Alij, Dixit: Et colligam quæso, & congregabo in manipulos. Sunt hic duo verba Hebraica synonyma, non magis inter se differentia à latinis, quam colligo & congrego. Et ne ad momentum quidem domum reuersa; Alij, Hæc mansio eius in domo fuit paululum, &c. Id est, tota die facit spicilegium in agro, vnde fit quod domui suæ, aut in tuguriolo parum maneat. Vsque nunc; Alij, Vsque ad tempus quietis. Quod est vel prandium, vel tempus, quo messorum in pomeridiano solent requiescere à nimio labore, & propter calorem nimium.

ANNOTATIONES.

MENOC. **I**psè veniebat de Bethlehem. Seruabat Booz id quod Cato B
de rustica lib. 1. cap. 1. præcepit, cum ait: Ne opera tua
V. 4. parcas visere.

Dominus vobiscum. Dominus vobis adfit. Fauista precatio, quid enim deesse possit iis, qui sub diuino præsidio latent? Merito ergo Ecclesia & in Missæ sacro, & in horariis precibus hanc salutationem frequenter vsurpat.

LYRAN. *Dixitque Booz iuueni.* Secundum quod dicunt Hebrai & satis apparet ex textu, Booz iam erat homo pro-
V. 5. uectæ ætatis & honorabilis ratione scientiæ & virtutis: & ideo non est verisimile quod de aliqua iuencula muliere quæssisset, nisi ratione honestatis singularis quam in

ea videret: & ideo dicunt Hebr. quod spicas stantes remanentes post messorum colligebat stando, iacentes autem colligebat sedendo, inclinando se ad colligendum ne vestes suæ eleuantur à parte posteriori, & pars aliqua tibiarum suarum discooperta appareret: & ideo Booz videns eius honestatem motus fuit ad quærendum quæ esset, & ad faciendum sibi gratiam, dicens ei quod sequitur.

Iuueni qui messoribus præerat. In Hebræo est נער נא-
har, quæ vox puerum aut ministrum significat, in Græco
est, παιδίον quia & ætate & viribus erat bonis & integris. Eum Iosephus ἀγροκόμων vocat, vel vt alij legunt ἀγροκόμων, eadem tamen significatione, hoc est, agri curatorem.

VARIETAS LECTIONVM. à *Vers.* 8. ad 10.

Vulg. Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed iungere puellis meis.
Malu. Agglutinaberis excussis meis.
Sept. Nonne audisti filia?
Reg. Hic iungere, &c.
Cald. Nonne audisti à me filia mea, non ambulabis ad colligendum spicas, &c. & etiam non transibis hinc ad populum alium, & hic aderis.
Ionat. Neque ad familiam aliam te conferas.
Syr. Filia mea nonne auditum est tibi, in prouerbio, vt in agro non tuo ne facias spicilegium, propter hoc mane & esto hic cum, &c.
Arab. Mane die hac, & obnocta cum puellis.
Vulg. Et vbi messuerint, sequere, mandauit enim pueris

meis, ne nemo molestus sit tibi, sed etiam si sitieris, vade ad sarcinas, & bibe aquas, de quibus, & pueri bibunt.

Pag. Oculi tui erunt in agro in quo messuerint, & perges post eos, an non præcepi pueris vt non tangant te? & si sitieris, perge ad vasa, & bibe de his, quæ hauserunt pueri.

Malu. Quem decurtabunt, & ambulabis post eos, an non præcepi ad excussos, ad nequaquam tangere te? & si sities, &c.

Sept. Reg. Bibes vnde aquantur pueri.

Cald. Oculus tuus erit obseruans, &c. nonne iussi pueris, vt ne appropinquent in te ad malum? & in tempore, quo tu sitiens ad aquam, iro ad vasa.

Ionat. Respecta ad agrum, quem demetent, & eos sequere.

Arab. Vt factò mane videas vbi metent, iam præcepi puero meo, ne permittat hominem afficere te iniuria.
Vulg. Quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?
Pag. Ei incuruauit se in terram, quare inueni gratiam in oculis tuis, vt cognosceres me, quæ sum alienigena?
Arab. Et ego extranea.

Tigur. Quare impetraui gratiam?
Malu. Quid cognitionis inueni gratiam, &c. ad agnoscere me, & ego notha?
Sept. Vt agnosceres me, & ego peregrina?
Cald. Procidit super nasum suum, quid hoc inueni misericordias ad noscendum me, & ego ex populo alieno?
Ionat. Quæ est ista humanitas tua, quæ tibi notha sum ego, quæ barbara Moabitibus sum, de gente quæ indigna est quæ Ecclesiam Dei ingrediatur?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

NE vadat in alterum agrum. Syr. & Arab. Nonne auditum est tibi in proverbio, vt in agro non tuo ne facias spicilegium? Sed in aliis, nulla mentio prouerbij. Imo Iudæis lege præceptum, & mandatum, & vetitum agrorum dominis, ne spicas remanentes, quæ messorum manus fugerent, sibi colligerent, sed pauperibus relinquerent. Leuit. v. 9. Mandatum vt nemo molestus sit tibi; Alij per interrogationem. An non præcepi pueris, vt non tangant te? Solent Hebr. in iis, quæ maximè affirmare volunt interrogatione vti. Bibe aquas de quibus pueri bibunt; Alij, Bibes de his, quæ hauerunt pueri. Nulla mentio in Hebr. aquarum, sed Cald. & Syr. disertè aquarum meminerunt. Et Sept. vtuntur voce *ἕδωκός*, sed nimirum frequens in æstuosis regionibus aquæ potatio, præque vino in æstu & opere, aquatio aridare solet.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ἄ. 8.* **A**udi filia. Et patet littera. Patet etiam quod erat iuuenula respectu ipsius, quia vocauit eam filiam.
MENOC. *ἄ. 9.* **I**ungere puellis meis. Apparet Booz prudentia, grauitas, & castimonia, quæ puellæ suadet, vt puellis adhareat, quod honestius erat, & pudori tutius, quam si cum viris versata esset.
MENOC. *ἄ. 9.* **Bibe aquas, &c.** Magna in orientalibus, calidisque locis aquarum penuria est, vt ex Gen. 26. & 28. Exod. 2. num. 20. Deut. 2. aliisque locis patet, & messis erat tempus quod torridum, & siticulosum est, itaque aquæ haustus inter

A beneficia merito annumeratur.

Quæ cadens. Hic commendatur Ruth de gratitudine, quia ipsi Booz de beneficiis oblatis, licet essent multum magna, valde fuit regratiata, & patet littera vsque ibi.

LYRAN.
ἄ. 10.

Adorans super terram. Frequens mentio in sacris literis harum adorationum viris exhibitarum, in reuerentiæ argumentum, aut gratiarum actionem: exempla habes Gen. 23. 7. & 12. cap. 27. v. 29. cap. 33. v. 3. & 7. cap. 46. v. 6. cap. 47. v. 26. cap. 49. v. 8. cad. 50. Exod. 18. v. 7.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 11. & 12.*

V*Vulg.* Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas.
Pag. Nuntiando nuntiatum est mihi, &c. & perrexisti ad populum, quem non nosti abheri, & nudius tertius.
Malu. Annuntiare annuntiatum fuit mihi, &c. post mori viri tui, &c. dereliquisti terram geniturae tuæ.
Sept. Rom. Renuntiatione renuntiata sunt mihi.
Cald. Denuntiari denuntiatum est mihi omne bonum quod fecisti cum socrui tua, quod aluisti eam postquam mortuus est maritus tuus, & deseruisti timorem tuum, & populum tuum, &c. & venisti ad profelytandum, & habitandum inter populum qui non cognitus est tibi, &c.
Ionat. Exploratum est mihi ex sapientium sermone, quod quando pacificetur Dominus, non cum fæminis, sed cum viris pacificetur, per prophetiam tamen, significatum est mihi fore, vt proueniant ex te reges & prophetæ, propter bonitatem quâ affluisti erga socrum tuam, quam demortuo marito tuo aluisti: Reliquisti etiam religionem tuam, &c. solumque natale, & tetendisti, vt profelyta fieres, ac inter populum qui tibi nunc nuper non erat notus habitares.
Vulg. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem ve-

nisti, & sub cuius confugisti alas.

Pag. Reddat tibi Dominus opus tuum, & sit merces tua perfecta à Domino, cuius venisti ad sperandum sub alis.

Tigur. Fiat merces tua solida à Domino, quæ venisti vt sub alas eius confugeres.

Malu. Pacificabit opus tuum & fuit merces tua pacifica &c. quæ venisti ad protegi.

Sept. Rom. Rependat tibi Dominus operationem tuam, &c. ad quem confidendum.

Cald. Retribuet tibi retributionem bonam in sæculo hoc super opus tuum bonum, & erit merces tua integra ad sæculum, quod veniet ab ante Dominum Deum Israël quod venisti ad profelytandum, & ad protegendum sub vmbra maiestatis gloriæ eius.

Ionat. Dignum præmium rependet tibi Dominus in sæculo hoc, propter nobile facinus tuum, sitque merces consummata tua à Domino in venturo sæculo, quod veneris, vt profelyta fieres confugeresque sub vmbra diuinæ Maiestatis gloriæ eius: Ipsa porro æquitas tua, te à gehennæ iudicio liberabit, vt sit tibi portio cum sacra Ribca, Racle, & Lea.

Syr. Restituat tibi, & elargiatur tibi mercedem.

Arab. Retribuat præstantissima retributione, & confirmet te ille.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

AD quem venisti, & sub cuius confugisti alas; Alij, Cuius venisti ad sperandum sub alis, &c. Quod *Vulg.* dicit, Ad quem, sequuti sunt *Sept.* habentes *עַל־שֵׁרָפָה*: At in Hebr. deest præpositio quam *Vulg.* & *Sept.* subintelligendam putauerunt: Potest tamen eadem sententia sine præpositione verti, vnde ab aliis diuersimodè vertitur, pro diuersa acceptione vocis Hebraicæ *אֲשֶׁר* ascher, vnde aliqui, quæ venisti, quod venisti. Hæc autem loquutio, sub cuius alas confugisti, est figurata, id est, vt in eius vmbra, & præsidio esses, vt te reciperes in eius clientelam. Ne moreris in his quæ à Ionata referuntur, tamen cum altero *Cald.* credidit duplex esse sæculum, duplicem vitæ hominum statum, duplicem bonorum operum mercedem.

ANNOTATIONES.

MENOC. **V**eneris ad populum quem antea nesciebas. Eiusdem e- A
 V. II. tiam populi religione suscepta.
 ESTIVS. Et plenam mecedem accipias à Domino Deo Israel. Alij
 V. 12. vertunt, perfectam, alij solidam.
 MENOC. Sub cuius confugisti alas. Cald. venisti ut profelyta fieres, &
 reipsam abderes sub umbra maiestatis gloria ipsius.

Sub cuius confugisti alas.] Rectè sub Dei Israël alas con-
 fugit Ruth, cum relictis diis Moab, in Iudæorum religio-
 nem transit, vt velut implumis & tenella auicula in nido
 Dei confoueretur, contra solis seu tentationum æstus,
 contra rapacissimos inferorum vultures ac miluos, contra
 omnes aërias tempestates protegeretur.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 13.

Vulg. Quæ ait: Inueni gratiam apud oculos tuos Do-
 mine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad
 cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnus puellarum
 tuarum.

Pag. Inueniam gratiam, &c. & ego non sum sicut vna de
 ancillis tuis.

Tigur. Impetrem gratiam coram te.

Malu. Inueniam gratiam, &c. sustentator mi, quia loquu-
 tus es super cor famulæ tuæ.

Sept. Rom. Et ego ero sicut vna ancillarum tuarum.

Reg. Et ecce ego non ero vt vna.

Cald. Inueni misericordiam, &c. & quoniam locutus es
 consolationes, &c. super cor, & ego non mihi dignitas ad

esse participem cum vna ex ancillis tuis.

Ionat. Tum dixit: Clemens admodum erga me, quando-
 quidem fœlicem dicendo me, vt digna recipiar in Ec-
 clesia Domini, atque etiam humaniter locutus cum
 ancilla tua consolatus es me: ad hæc attulisti mihi fi-
 duciam de futuro assequendo sæculo, vbi pro meritis
 est præmium, ego tamen mihi indigna videor, quæ
 quantum vna de ancillis tuis in illa merear.

Syr. Quoniam inueni misericordias, &c. & impleuisti cor
 ancillæ tuæ, ego quoque ero tanquam vna, &c.

Arab. Laus Deo, quod consecuta sum apud te misericor-
 diam, &c. & dilatasti cor ancillæ tuæ.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quæ ait, inueni gratiam: Alij, Inueniam: quoniam inueni misericordias. Scio aliquos asserere fortasse Vulg. legisse in
 futuro inueniam, licet extrita vltima syllaba, pro futuro præteritum remanserit, vnde videtur hæc sententia
 optantis esse, ac si diceret, perge, obsecro, me beneuolis oculis aspicere: tamen dicamus legisse inueni, id est,
 video me inuenisse, apud Hebr. enim frequens est temporum enallage. Locutus es ad cor ancillæ tuæ; Alij, Impleuisti,
 dilatasti cor. Loqui ad cor, genus dicendi est Hebræis perquam vsitatum, quo significant beneuolè, blandè, amiceque
 loqui, adeo vt ingenti quadam consolatione cor antea mœrens, & anxium, affici possit. Vide Concord. vers. 3. Genes. 34.
 Quæ non sum similis. Sept. Rom. & Syr. Et ego ero sicut vna, sed dicendum omnes alios aliter legisse.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q**uæ non sum. In Hebr. habetur. Ancillarum tuarum. B
 Quasi diceret: Non sum tanti valoris, sicut minima
 tuarum, & ideo maiorem gratiam inuenit apud ipsum
 Booz. Vnde subditur.

Locutus es ad cor ancillæ tuæ. Loqui ad cor, Hebraica
 phrasi est loqui verba consolatoria. Exempla passim oc-
 currunt, 2. Par. 30. 22. & 32. 6. Isaïa 40. 2. Osee 2. 14.
 Quæ non sum similis, &c. Quæ vilior sum.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 14. 15. & 16.

Vulg. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi
 fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge
 buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum
 latus, & congescit polentam sibi, comeditque, & satu-
 rata est, & tulit reliquias.

Pag. Tempore cibi accede huc, &c. & saturata est, & su-
 perfluit.

Tigur. Porrexit ei far tostum, &c. quæ comedit ad satie-
 ratem, & reliquum fecit.

Malu. Intinges fragmentum tuum in infectura acedinis,
 & sedit de latere decurtantium, & porrexit ei torrefa-
 ctum.

Sept. Rom. Et comedes panes: sedit Ruth à latere mессо-
 rum, & porrexit ei Booz polentam, &c. & reliquit.

Reg. Sedit ex obliquo metentium.

Cald. Intingito sustentationem tuam in pulmento, quod
 coctum est in aceto.

Ionat. De cibo comede intingeque opsonium tuum in
 embamma, quod aceto conditum est,

Syr. Intinxit panem in lacte, & iniecit fragmenta spica-
 rum perfricatarum.

Arab. Sedere fecit eam apud sessores seorsim, & porrexit
 ei ptisanam & bibit, & comminuit ei panem, & infudit
 super eum lac, & erat panis quem comminuit ei ex
 hordeo confricato.

Vulg. Atque inde surrexit, vt spicas ex more colligeret:
 Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiam si vobis-

cum metere voluerit, ne prohibeatis eam.

Pag. Etiam inter manipulos colligat, &c. non pudore affi-
 ciatis eam.

Isidor. Clar. Etiam si inter ipsos acervos colligat, ne pro-
 hibeat.

Malu. Et non ignominia afficiatis eam.

Sept. Rom. Ne confundatis eam.

Cald. Et non exprobrabitis eam.

Ionat. Neque eam obiurgetis.

Syr. Non lædatis eam.

Vulg. Et de vestris quoque manipulis proiicite de indu-
 stria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat,
 & colligentem nemo corripiat.

Pag. Et etiam dimittendo dimittite ei, &c. & non incre-
 petis eam.

Malu. Et etiam despoliare despoliabit ei de fasciculis.

Sept. Rom. Et portantes portate ei, & quidem proiicien-
 tes proiicite ei ex congectis, & comedet, & colligat.

Reg. Et exhibentes exhibebitis ei, & finite eam.

Cald. Et etiam reliquum relinquetis ei ex furcis, & etiam
 finire finetis ei ex ligatis, & finetis adesse colligentem.

Ionat. Ad hæc dedita opera suo commodo disicite ex ma-
 nipulis atque colligat finite, neque contumelia afficite
 eam.

Arab. Relinquatis eam facere spicilegium inter manipu-
 los.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Intinge buccellam tuam in aceto; Alij, Porrexit ei torrefactum; Alij, Panem in lacte, polenta. כלי כלי, ἀλειπον, est tostum far, siue hordeum. Plures volunt non ipsam sibi, sed aliquem alium coaceruasse, & liberaliter porrexisse. Idque colligunt, quia Hebr. vox est masculini generis, וַיִּצְבֹּט *vaisabat*, & pronomen לַי *lach*, potest ei verti, vel sibi: fauent Cald. & Sept. & aliqui alij. Vulg. quidem ad Ruth accipientem retulit; alij passim ad porrigentem: Et Sept. quidem id ad Booz retulerunt, addito ad verbum supposito, & aceruauit ei Booz polentam; Alij, ad mellorum quempiam: Nam & Vatab. porrexit inquam, hoc est quispiam ex melloribus. Et quamuis verbum צָבַט *tsabat*, duntaxat significet liberaliter porrigere, non male tamen Vulg. *Congessit sibi*, reddidit, cum aceruatum dare, & aceruatum accipere sint relatiua. *Panem comede*; Alij, *Cibum*: Panis nomine intellige quemlibet cibum; ipsumque etiam quod cum pane comedi solet, obsonium. *In aceto*. Alij mentionem etiam lactis faciunt, quod verisimile est, cum lac maxime situm sedet, sitque melloribus panem lacti commiscere, satis commune. Porro acetum embamma est & condimentum tenuioribus maxime familiare. Cald. Panem accipit proprie, vt ab obsonio distinguitur, sed aceti nomine accipit pulmentum coctum in aceto, vel cum aceto. Et polenta illa aliquid tale indicat. *Etiamsi vobiscum metere voluerit*; Alij, *Etiamsi inter manipulos colliget*, id est, inter fasces manipulorum. *Ne prohibeatis eam*; Alij, *Ne pudore afficiatis eam*. Quod idem est, qui enim prohibent aut negant, faciunt vt petentes pudore suffundantur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ixitque, &c. Id est, cibum paratum de domo mea cum famulis meis.

Et intinge. Acetum enim multum refrigerat, & ideo in calidis regionibus, cuiusmodi est terra Israël, vtuntur aceto, maxime tempore calido, cuiusmodi est tempus messionis.

Et congeffit. Scilicet ipsa Ruth præparauit sibi cibum secundum translationem nostram. In Hebr. habetur. *Porrexit ei granatum*. Id est, cibum factum de granis nouis, quem de manu sua dedit Booz ipsi Ruth, vt dicunt Hebraei. Cætera patent in littera.

MENOC. *Comede panem*. Potum ipsi Ruth ante concesserat, nunc addit & cibum, gradatim enim ascendit virtus. Pro pane, phrasi Hebraica intelligitur quilibet cibum.

Intinge buccellam tuam in aceto. Videtur sermo esse de acetariis, quibus qui æstu laborant, valde recreantur. Alioqui etiam vsus rusticorum est, vt in messe vtantur oxycrato, hoc est, aceto aqua diluto, quod genus potionis refrigerandi vim habet, vt vniuersum acetum, de quo Plinius lib. 23. cap. 1. *Vini etiam vitium*, inquit, *transit in remedia*; *Aceto summa vis est in refrigerando, &c.*

Ad messorum latus. Non è regione, ne in eius faciem oculos conicere possent.

Et congeffit polentam sibi. Polenta, est far tostum, & contusum, & in farinam redactum. Hæc materia erat parabilis eduliorum, addito aliquo genere condimenti, iure, caseo, &c. Quod dicitur Ruth sibi congeffisse, significat affatim & largiter illi ex cibis tributum, quos cum ipsa omnes non absumeret, quasi eorum cumulum ante se habebat.

A *Et saturata est, Disce*, inquit, Seneca Epist. 110. *paruo esse contentus, & illam vocem magnus, atque animosus exclama, Habeamus aquam, habeamus polentam. Ioni ipsi de felicitate controuersiam faciamus.*

Tulit reliquias. LXX. habent ἠπέλιπε, reliquit: Vulgatus noster significat collegisse eam reliquias, & afferuasse, quod ita fuisse patet ex num. 18. vbi dicitur eam dedisse socrui Noëmi de ciborum suorum reliquiis.

Intinge buccellam tuam in aceto.] Iam antè de potu prospexerat Booz Ruthæ. Neque leue munus erat, in calida regione, vbi magna dulcium aquarum penuria, tempore messis torrido & siticuloso, quantum vellet frigida aquæ concedere. Sed hinc non stetit liberalitas, etiam panem addit, quo designatur omne genus cibi, & acetum, seu embamma vel pulmentum aceto conditum. Sic enim Caldaus vertit. Quamquam & merum acetum ad stomachum iacentem, fastidientem, aut nauseantem recreandum, vel ad æstuantem refrigerandum, fessumque refocillandum valeat plurimum, teste Plinio, & medicis. At verò id etiam hodie in deliciis habent Italiae Hispaniæque rustici & mellores, quibus *posca* (acetum est aqua mixtum) etiam gratissima & vilissima: & in nauibus ac triremibus etiam nauæ vtuntur. Vide Christophorum à Vega, Aëtium, Bellonium & alios medicos. Pro *polenta*, cuius partem detulit Ruth socrui suæ Noëmi, vertunt aliqui *far tostum*, seu *aristas tostas*, Lyranus *granatum*, id est, cibum è nouis granis tostis vel frisis confectum: quem qui gustarunt, palato gratissimum asserunt.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 17. 18. & 19.

Vulg. Collegit ergo in agro vsque ad vesperam: & quæ collegerat virga cædens & excutiens, inuenit hordei, quasi ephi mensuram, id est tres modios.

Pag. Excussit quod collegerat, & fuit fere modius hordei.

Caiet. Fuit circiter epha hordeorum.

Tigur. Extriuit quod collegerat.

Sept. Rom. Et fuit circiter Oephi hordeorum.

Cald. Conculcauit spicas, quas collegerat, & fuit quantitas earum vt quasi tres Zzein ordei.

Ionat. Legit spicas, eisque excussis, &c.

Syr. Inuenit quasi plenam mensuram hordeorum.

Arab. Confreuit quod collegerat, quasi modium hordei maiorem.

Vulg. Quos portans reuerfa est in ciuitatem, & ostendit socrui suæ: insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.

Pag. Et vidit socrus eius, & protulit, & dedit ei quod superfuerat sibi de saturitate sua.

Tigur. Et id quoque, quo refecta reliquum fecerat.

Malu. Et leuauit & venit vrbem, &c. & exire fecit ei, & dedit ei quod superreliquit.

Cald. Protulit ex petra, & dedit illi cibum suum, quem reliquit ex saturitate.

Ionat. Ac iam epulata ei dedisset.

Vulg. Dixitque ei socrus sua: Vbi hodie collegisti, & vbi fecisti opus? sit benedictus qui miserus est tui. Indicauique ei apud quem fuisset operata: & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.

Pag. Et vbi fecisti: sit qui te cognouit benedictus.

Malu. Cognitor tuus.

Cald. Ad vbi hodie collegisti hodie, & ad vbi sollicita fuisti ad faciendum? & indicauit socrui suæ, quem fategit ad faciendum cum eo.

Ionat. Vbi in opere faciendo tam sedula fuisti? viro ei prospere eueniat, qui se tibi cognoscendum præbuit.

Syr. Locus in quo fuisti, sit benedictus.

Arab. Benedicat illum, apud quem consecutus es gratiam.

BIBLIA MAXIMA VERSIONVM.
CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qua collegerat virgâ cadens; Alij, Spicas conculcauit. Diuersus modus hordeum, vel frumentum excutiendi: apud aliquos enim fit pedum equorum conculcatione, vt in Hispania. Apud nos baculo, & vocatur frumentarium flagellum. Eo vsa est Ruth. Sane verbum *חבט* *chabat*, propriè significat hanc quæ baculo vel virga fit excullionem. *Inuenit hordei, quasi Ephraim mensuram, id est 3. modios; Alij, Et fuit ferè modius hordei, &c.* Vide Concord. v. 36. Exod. 16. Hic autem adiecit Vulg. de suo, hoc est 3. modios, explicationis gratiâ, vt intelligeremus, quid Ephraim esset. Ephraim ergo est mensura aridorum, continens 3. sata. Vnde Vulg. 3. modios dicens de 3. satis intelligi debet, quæ tres modij Hebraici possunt dici. *Et ostendit socrui suæ; Alij, Et vidit socrus eius*, quia legerunt per primam coniugationem *וַתִּרְאֵהָ* *vatterè*, hoc est, & vidit. Vulg. vero legit per coniug. transitiuam *וַתִּרְאֵהָ* *vattare*, hoc est, ostendit, seu videre fecit. *Vbi fecisti opus?* Hebr. simpliciter *fecisti*. Sed facere; rectè pro facere opus, intelligitur. *Qui misertus est tui; Alij, Qui cognouit te, cognitor tuus*, id est curator tuus, qui tui rationem habuit, tibi benefaciens.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Ψ. 17.** **C**ollegit ergo. Hic consequenter describitur sollicitudo ipsius Ruth, in opere pro quo venerat de voluntate socrus suæ, cum dicitur.

EST IVS. **Collegit ergo.** Quod autem subditur. *Id est tres*, non est in Hebr. sed loco eius habetur, *hordeorum*, quia inuenit 3. ephraim hordei in hoc quod collegerat. Cuius tamen quantitatis sit hæc mensura ephraim, dictum fuit Exod. 17. Gomor enim est decima pars ephraim, & Gomor mannae sufficiebat vna die pro vna persona, vt ibidem dicitur.

Inuenit hordei quasi Ephraim mensuram, id est, tres modios. Quos portans reuersa est. Sed qui fieri potest, vt mulier portauerit tres modios hordei? cum vni modio ferendo apud nos vir fortis non sufficiat? Respondeo. Hebr. tantum legitur. (*Et fuit circiter Ephraim hordei*) cætera ab interprete adiecta sunt. Ephraim autem vel Ephraim mensura erat, quæ in cibum sufficeret vni homini ad decem dies. Nam decima pars ephraim, vt patet Exod. 16. de manna sufficiebat in vnum diem. Vnde patet Ephraim fuisse mensuram nullo modo comparandam cum nostro modio, quippe cum noster modius sufficere possit vni homini ad spatium sex mensium & amplius.

Quasi Ephraim mensuram. Ephraim continens tres modios continebat uncias 960. vt probat Alcazar libro de mensuris, & ex eo Cornelius à Lapide in opusculo eiusdem argumenti addito ad Pentateuchum.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 20.*

Vulg. Cui respondit Noëmi: Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuus, seruauit & mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo.

Pag. Qui non reliquit misericordiam suam cum viuentibus, nec cum mortuis, &c. propinquus est nobis vir de propinquis nostris.

Isid. Clar. Atque de affinitate nostra.

Caiet. Coniunctus est nobis vir.

Tigur. Qui non desistit à pietate sua neque erga viuos, &c. & ex his qui sunt vindices nostri.

Malu. Qui non reliquit benignitatem suam ad viuentes, &c. & de redimentibus nostris ipse.

Sept. Rom. Benedictus est Domino, quoniam non reliquit, &c. de redemptoribus est nobis.

Reg. De sanguine iunctis nobis est. *Ita Basil.*

Cald. Benedictus ipse ab ore sanctitatis Domini, qui non deseruit benignitatem suam, &c.

Ionat. Ore sacrosancto Domini benedictus sit ille, qui in sua mansit amicitia, &c. vir ex his, ad quos ius redemptionis pertinet.

Syr. Ex vindicatoribus progeniei nostræ est.

Arab. Et ipse est quem oportet vt suscitaret nobis progeniem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuus, seruauit & mortuis; Alij, *Qui non reliquit misericordiam suam cum viuentibus*: sed lectio Vulg. clarior est, quod Booz qui Elimelech marito Noëmi, & eius filiis, quoad viuere pluribus beneficiis affuerat, nunc etiam mortuis seruat gratiam, & non desistit à pietate erga eos, quia propter illos suos consanguineos, beneficiis afficiebat eorum vxores Noëmi & Ruth. *Propinquus noster est homo*; Alij addunt, *De redemptoribus nostris ipse, ex his, qui sunt vindices nostri, vir de propinquis nostris*, quia vox Hebr. *קרוב* *karob*, quamcumque propinquitatem & coniunctionem significat, sine eam quæ fit communionem eiusdem sanguinis, siue eam quæ ex affinitate resultat, siue aliam quamlibet: At in Hebr. etiam ad tollendam eam nobis ambiguitatem, adduntur aliqua, quæ significant ortam ex affinitate coniunctionem. Postquam enim ibi dixit Noëmi, *Propinquus nobis est*, mox addit ipsa explicationis gratia, de redemptoribus nostris ipse: Quod itidem additur in Sept. sunt autem apud Sept. *אֲרֻמְתֵיכֶם*, quibus propinquitatis iure, hæreditas, vxor, vel quid aliud debetur: Hebr. est *גאלים* *gaalim*; id est, vindices, redemptores, quia huiusmodi propinquus ius vindicandi, redimendi agri, vxoris, sanguinis competeat.

ANNOTATIONES.

MEN OC. **Ψ. 20.** **G**ratiam, quam præbuerat viuus, &c. Benevolentia complexus est Elimelech maritum meum, & filios meos dum esset in viuis, nunc pergit nobis benefacere eorum respectu, sibi semper similis.

Propinquus noster est homo. Additur in Hebr. *E redemptoribus nostris ipse est*, seu, *de vindicibus*, id est, ex iis, ad quos pertinet ius liberandi nos ab orbitate, & vindicandi no-

Bmen filiorum meorum, maritique tui ab interitu, & obliuione, semen iis, ac posteritatem dando iuxta legem Leu. 25. 25. Deut. 25. 5.

Eandem gratiam. Id est, benevolentiam & beneficentiam, quam præbuerat viuus, Elimelecho, eiusque filiis, seruauit & mortuis.] Cum illorum memoria & intuitu, nobis eorum vxoribus tam benignè facit.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 21. 22. & 23.*

Vulg. Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, vt tandiu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur.

Pag. Pueris qui sunt mihi, adhærebis, donec totam messem compleuerint, totam messem quæ est mihi.

Malu. Cum excussis qui mihi, agglutinaberis, vsque ad si consummauerunt omnem decurtationem quæ mihi.

Sept. Rom. Dixit Ruth ad socrum suam, equidem quia dixit ad me, cum puellis meis adhære quoad usque manserint.

Reg. Cum pueris meis iungere, donec perficiant.

Cald. Cum puellis, quæ mihi, adderis.

Ionat. Non discedes à pueris meis.

Syr. Adhære seruis meis.

Arab. Fac spicilegium, donec transeat messis.

Vulg. Cui dixit socrus, Melius est filia mea, vt cum

puellis eius exeat ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.
Pag. Bonum est, &c. & non obuiabunt tibi in agro alio.
Varab. In te irruant.
Tigur. Placet filia.
Malu. Quia exibis cum excussis eius, & non incurrant in te.
Sept. Rom. Bonum, quia existi cum puellis eius, & non occurrent.
Reg. Quoniam egressa es, & non obuiabunt.
Cald. Pulchrum, filia, &c.
Ionat. Præstat, &c. non enim præpedieris.
Syr. Beata quod adhæristi, & nemo læsit te.
Arab. Si adhæseris pueris eius, & noueris in agro eius, qui non cognoscit te.
Vulg. Iuncta est itaque puellis Booz: & tamdiu cum eis

messuit, donec hordea, & triticum in horreis conderentur.
Pagn. Iunxit se ad colligendum, donec finiretur messis hordeorum, & messis frumentorum, & reuersa est ad focrum suam.
Ifidor. Clar. Et tamdiu cum eis collegit.
Malu. Agglutinata fuit in excussis ad colligere vsque ad consummari decurtationem hordeorum, &c.
Sept. Quoad vsque consummaretur messis hordeorum & triticorum.
Reg. Quoad perfecit messem hordei, & messem, &c.
Cald. Et sedit cum focru sua.
Ionat. Iunxit se ut spicas legeret, &c. & cum focru sua habitabat.
Arab. Sequere puellas Booz, donec prætereat hordeum & triticum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT messoribus eius iungeret, Alij, Pueris. Quo nomine non tantum pueri ætate, & iuuenes, sed qui quacumque in re seruiunt intelligendi sunt, quemadmodum hîc in messe metenda messorum. Vnde Arab. dixit seruos. Sub pueris tamen hîc intellige, & puellas, sicut dixere Sept. & Cald. *Vt cum puellis exeat ad metendum.* In Heb. non est ad metendum: vnde illud ad metendum non intelligas, vt metas, sed vt spicas colligas deciduas. *Et tamdiu cum eis messuit.* Alij, *Ad colligendum, vt spicas legeret.* Reprehenditur Vulg. quod ita verterit, sed immerito; nam catachresticè rectè metere dixit pro colligere, cum vtrumque tamdiu fieret, & tamdiu vtrumque duraret. Noster non habet, *Et reuersa est ad focrum suam,* sed ad sequens caput retulit.

ANNOTATIONES.

MENOC. **A**D metendum. Ad spicilegium, quod parua quædam messis est, sicut racematio, parua vindemia. **A**perge igitur eo ire, non enim meliorem alibi conditionem inuenies.
ψ. 22. *Ne in alieno agro quispiam resistat tibi.* Booz beneuolum experta es, in eius agro nullus tibi resistit, fauent omnes:
Iuncta est. Id est, ancillis. Cætera patent in litera.

LYRAN,
 ψ. 23.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

Rvth obsecuta socrus suæ consilio, ad pedes affinis sui Booz dormientis recumbit, & nuptias verècundè postulat: latoque responso accepto, sex modios hordei ad focrum defert.

I. **R**ostquam autem reuersa est ad focrum suam, audiuit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, & prouidebo vt benè sit tibi. 2. Booz iste, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat. 3. Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream, non te videat homo, donec esum potumque finierit. 4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque & discooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proiciet te, & ibi iacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas. 5. Quæ respondit: Quidquid præceperis faciam. 6. Descenditque in aream, & fecit omnia quæ sibi imperauerat socrus. 7. Cumque comedisset Booz & bibisset, & factus esset hilarior, issetque ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum, venit abscondite, & discooperto pallio à pedibus eius, se proiecit. 8. Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus est: viditque mulierem iacentem ad pedes suos. 9. & ait illi: Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 10. Et ille, Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes, pauperes siue diuites. 11. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbs meæ, mulierem te esse virtutis. 12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. 13. Quiesce hac nocte: & facto manè, si te voluerit propinquitatis iure retinere, benè res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque vlla dubitatione suscipiam, viuit Dominus, dormi vsque manè. 14. Dormiuit itaque ad pedes eius, vsque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, & dixit Booz; Caue ne quis nouerit quod huc veneris. 15. Et rursus, Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, & tene vtraque manu. Quæ extendente, & tenente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam. Quæ portans ingressa est ciuitatem, 16. & venit ad focrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narrauitque omnia, quæ sibi fecisset homo. 17. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuum te reuerti ad focrum tuam. 18. Dixitque Noëmi: Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat: neque enim cessabit homo nisi compleuerit quod loquutus est.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Postquam autem reuerfa est ad focrum suam, audiuit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, & prouidebo vt benè sit tibi.

Pag. Nonne quæram tibi requiem?

Malu. Residentiam, quâ benè sit tibi.

Sep. Rom. Sedit cum focru sua.

Cald. In iuramento non requiescam, vsque ad tempus quo quæram tibi tranquillitatem filiorum, quo benè sit tibi.

Ionat. Non procul dubio cessabo, donec requiem tibi inuenero, per quam tibi benè habeas.

Arab. Vt benè fiat tibi.

Vulg. Booz iste, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat.

Pag. Et nunc nonne Booz de consanguinitate nostra est?

Malu. An non cognitio nostra, cuius fuisti ad excussas eius? ipse spargens aream.

Sep. Rom. Ecce nunc nonne Booz noster notus est?

Cald. Qui cognitus est nobis, ecce ille dispergens areas in vento nobis.

Ionat. Et nunc se offert occasio, &c. ventilat auram nocturnam.

Arab. Scito quod Booz est ex illis, ex quo exquirendum

vt susciter nobis progeniem, &c. ipse est qui affert hordeum ad aream.

Syr. Ecce coaceruat aream, &c.

Vulg. Lauate igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream, non te videat homo, donec esum potumque finierit.

Pag. Laua te, & vnge, & pone vestimenta tua super te, non cognoscaris viro, donec finierit bibere.

Guar. Ne te notam facias viro ipsi, donec finem fecerit comedendi.

Tigur. Amicicris vestimentis tuis, vt nemo sentiat te adesse.

Sep. Rom. Circumpones vestimentum tuum super te, & ascendes in aream, nec innotescas viro, quoadusque ipse consummauerit.

Reg. Impones vestem tuam, &c. vsquequo perficiat.

Cald. Lauaberis in aqua, vngeris in oleo, & pones ornamenta tua, non manifestaberis viro.

Ionat. Laues igitur te, vt delibuta iucunde oleas, concinneque vestita, &c. non te videndam præbebis viro, donec epulatus fuerit.

Syr. Ornare vestimentis tuis, &c. non appareas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Postquam autem reuerfa est: Alij, *Sedit.* Legit enim *Vulg.* ex Heb. *והשב* *vataschob*, & reuerfa est, à radice *שב* *schub*, quod est reuerti, at *Sep.* legerunt quemadmodum & nunc punctis suis exprimunt *Massorethæ* *והשב* *vateschob*, hoc est, sedit, habita punctorum appositione. *Quæram tibi requiem*, Alij interrogatiue: *Nonne quæram, &c.* Heb. interrogationibus magis solent affirmare. Vnde *Cald.* *In iuramento non requiescam. Induere cultioribus indumentis*, Alij, *Pone vestimenta tua super te.* Verum est in Heb. & in *Sep.* non fieri mentionem cultioris vestis: rectè tamen intellexit *Vulg.* aliquid aliud præcipi, quam ne nuda incederet: neque enim erat id præcipiendum: sed quod expressit *Vulg.* vt paulo cultioribus quas habebat indueretur vestibus, consentiunt vtrique *Cald.* & *Syr.* volunt plures simplici oleo fuisse dilibutam, non autem vnguento odorifero, vt vult *Ionat*; cuius lectionem probat noster *Feuardentius.* *Descendes in aream.* *Sep.* *Ascendes.* Descendere hîc ponitur pro ire, quâ ratione sæpè in scriptura descendere, & ascendere sumuntur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Postquam autem.* Hic consequenter describitur circa ipsam Ruth conuentio legalis, quia secundum legem quæ habetur *Deut. 25.* de suscitatione seminis defuncti, ipsa requisit Booz de matrimonio, de consilio focus suæ, & ideo circa hoc primo ponitur focus consultatio, secundo nurus obtemperatio: tertio ipsius Booz rationalis responsio: secunda, ibi: *Quæ respondit.* Tertia, ibi: *Et ille, benedicta, &c.* Circa primum dicitur.

Postquam. Scilicet de messioibus quarum tempore fuit coniuncta puellis Booz, vt dictum, supra 2. capite in fine.

Quæram. Id est, matrimonium bonum, ita quod non oporteat te laborare pro victu.

Et prouidebo, &c. Habenda prole, quod maximè desiderant mulieres.

MENOC. *Quæram tibi requiem.* A laboribus, & ærumnis, quas egestas, & peregrinitas attulit, & ab orbitate liberorum, quæ animum tuum cruciat, nec quiescere finit. Vide dicta cap. 1. Num. 9.

LYRAN. *Et in.* Id est, festum facit pro ventilatione. Dicunt enim aliqui, quod mos erat antiquorum in ventilatione messis facere conuiuium messoribus, & dormire de nocte in area. *Ra. Sa.* dicit hîc, quod in illo tempore erant multi latrones in terra, & ideo Booz iuit illuc ad dormiendum, vt in præsentia eius melius custodiretur per famulos suos granum ventilatum, & vtrumque potuit esse in causa.

MENOC. *Propinquus noster est.* Vide dicta c. 2. n. 20.

Aream hordei ventilat. Id est, ventilare parat.

TIRINVS. *Hac nocte, sequenti, ventilat,* pro ventilare decreuit, *aream hordei,* Id est, hordeum quod in area iam tritum, & aggestum iacet. Nam *messio* peracta, & ficcatis manipulis succedebat *excussio*, seu *tritura*: deinde *ventilatio*, qua à palea grana fecernuntur, & fit vel *tritura* ad ven-

tum expositione, vel vannatione, vel è latere in latus, per paleas ac ventilabra deiectione, vt ex *Homero* docet *Eustachius*, *Varro* & *Columella*. Solent autem, inuecta penè messe in horrea, epulæ quædam exhiberi operariis ad eos excitandos recreandosque, de quibus *Cato*, ait: *Eo die quo daps fiebat* (sic vocabatur eiusmodi epulum) *feria bobus & bubulcis, & qui dapem facient.* Vnde & ab *Ouidio* *vacuna* appellantur, quod post inuectos fructus vacarent tum agricolæ à laboribus. Hanc vero feriarum, & epularum occasionem putabat *Noëmi* oportunam *Ruthæ* forè ad animum Booz iam exhilarati commodius expugnandum.

Lauare. Hoc dixit sibi ad hoc, quod Booz magis inclinaretur ad desponsandum eam.

Non te videat. Scilicet ipse Booz.

Donec esum potumque finierit. Hoc dixit, quia tunc magis proni sunt homines ad contrahendum, & consummandum matrimonium. Dicunt hîc aliqui, quod ista *Noëmi* non peccauit, quia per legem matrimonij quærebat suscitationem seminis defuncti. Contrarium tamen magis videtur, tum quia modus quærendi non erat bonus, scilicet in occulto, tum quia etiam erat alius propinquior ipso Booz, vt infra habetur, qui debebat prius requiri, aliter fuisset sibi facta iniuria, nisi voluntariè suo iuri cessisset: propter quod Booz dixit ipsi *Ruth*, quod factum celaret: ipsa autem *Ruth* fuit totaliter excusata, quia erat de nouo conuersa ad Iudaismum, & nesciebat legem requirendi matrimonium: nec, de domo, nisi quantum sua focus docebat eam.

Lauare. Suggestit *Noëmi* nurui suæ, quæ ad corporis munditiem, honestumque cultum pertinent, in hoc enim magnum fæminis telum, ideoque & à *Iudith* aduersus *Holofernem* adhibitum, *Iudith. 10. 3.*

Vngere. Vnctionibus utebantur frequentibus Orientales mulieres. Sic Iudith unxit se myro optimo. Iudith 10. *A Non te videat homo.* Non te videat Booz.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 4. ad 7.

Vulg. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque & discooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proicies te, & ibi iacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas.

Pag. Et erit cum dormierit, &c. & discooperies à parte pedum, & accumbes, & ipse indicabit tibi quid facias.

Tigur. Cumque ille quieti se dabit, &c. discooperies locum pedum eius.

Vatab. Et erit in cubare eum, &c. reuelabis pedale eius, & annuntiabit tibi.

Sept. Rom. Discooperies quæ ad pedes eius, & ipse indicabit.

Reg. Nuntiabit.

Cald. Et erit in tempore cubare eum, &c. & intrabis, & retegges pedes eius, & iacebis, & erit ab eo consilium, & ipse indicabit tibi in sapientia sua quod facies.

Ionat. Cum somno se dederit, &c. ab ipso consilium petes, quandoquidem sapienter manebit te ille.

Syr. Applica mentem tuam loco, ubi dormierit.

Arab. Dormi ad pedes eius.

Vulg. Quæ respondit: Quidquid præceperis faciam.

Malu. Omne quod dices ad me, &c.

Sep. Dixit autem Ruth ad eam. Omnia quæcumque dixeris.

Cald. Omnia quæ dixisti mihi, faciam.

Vulg. Descenditque in aream, & fecit omnia quæ sibi imperauerat focrus.

Pag. Fecit iuxta omnia.

Vulg. Cumque comedisset Booz & bibisset, & factus esset hilarior, issetque ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum, venit absconditè, & discooperto pallio à pedibus eius, se proiecit.

Pag. Et iocundum erat cor eius, & venit ad dormiendum in summitate acerui.

Fenard. Et iocundum erat sibi cor eius.

Tigur. Exhilarassetque cor eius.

Malu. Et bonum fuit cor eius, &c. & venit in latentia, & reuelavit pedale eius.

Sept. Rom. Et bonum factum est cor eius, & venit ad dormiendum in parte acerui, & discooperuit quæ ad pedes eius.

Reg. Latatum est cor eius, &c. in parte congeriei herbarum.

Cald. Venit ad iacendum in latere acerui, &c. retexit pedes eius.

Ionat. Curavit Booz corpus cibo & potu, & corde sobrio benedixit nomini Domini, qui illius orationem exaudierat, feceratque famem cessare in terra Israël, ac venit ut in extremitate acerui dormiret. Rutha autem clam venit, & pedibus illius detectis dormiuit.

Syr. Dormiuit in latere areæ, & in suauiori somno, cum dormiret in area, discooperuit alam vestimenti eius, & cecidit ad pedes eius, & dormiuit.

Arab. Et latata esset anima eius, & venit illa ad eum, & dormiuit ad latus eius, & in suauiori somno dum dormiret, ad latus areæ, venit clam, & discooperuit extremitatem vestimenti eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Discooperies pallium quo operitur: Alij, Discooperies à parte pedum, reuelabis pedale. Verum est in aliis difertè mentionem pallij fieri, nec tamen eadem est vox, ut planè videatur, stragulum, quod pedes tegebat, indicari: unde Sep. habent, *Quæ ad pedes eius*; Ex quo colligi potest quod licet Hebræi, vocem Heb. מרגלת *margerot*, vel pedes ipsos significare velint, vel eam partem lecti, ad quam extenduntur pedes; tamen rectius capi videtur pro ipsis stragulis, & operimentis, quibus obteguntur pedes; & ex aliis idem sensus eruitur, nam pedes non deteguntur, nisi stragulum quod tegit, amoueatur, quidam putant Margeloth esse nomen sceminini generis singularis numeri, & ut מראשית *meraaschoth*, capitale, ceruical, seu puluinum significat, ita hoc pedale, pedaneum, siue pedimentum significare. *Et factus esset hilarior*: Alij, *Et bonum fuit cor eius, exhilaratum, seu iocundum*. Potus enim recreat, & exhilarat, tamen non somno indulgit prius, quam orationi vacaret, ut notat Ionat. in sua paraphrasi. *Iuxta aceruum manipulorum*: Alij, *In summitate acerui*: Alij, *Ad latus areæ*. Id est, in extrema aceruorum parte: Nescio quid sibi velit Arab. cum vertit, venit illa ad eum, & dormiuit ad latus eius, cum Vulg. & alij asserant retexisse solum pedes eius, & ibi tranversim, & vestitam iacuisse.

ANNOTATIONES.

MENO C. Nota locum in quo dormiat. Moris tum fuit ut patres familias etiam diuites, vrgentibus præsertim negotiis rusticanis in areis etiam ipsis quietem caperent, ut vsurpari possit illud Ouidian. Fast. 1. Non pudor in stipula placidam cæpisse quietem, nec fœnum capiti supposituisse suo.

Ipse dicet tibi quid agere debeas. Sperat Noëmi Ruthæ quæ secuta sunt, satis ostendunt.

TIRINVS *Ipse autem dicet tibi quid agere debeas.* Sperabat enim Noëmi, quod Booz, audita Ruthæ iustissima nuptiarum postulatione, concessurus eas esset extemplo etiam ipsa illa nocte. Vult tamen, ex sapienti sapientis Booz consilio totam pendere, ut non nisi legitime, seu ex legum præ-

cripto res peragatur.

Quæ respondit. Hic consequenter describitur ipsius Ruth obtemperatio, quia fecit omnia quæ sibi focrus dixerat, credens se in omnibus benè agere. Et patet littera vsque ibi.

Et discooperto pallio, à pedibus eius se proiecit. Quæritur, an in hoc peccauerit Ruth? Sed non videtur hac in re peccasse. Nihil aliud enim voluit hoc suo facto, quam Booz ut propinquum requirere, ut secundum legem eam acciperet vxorem. Nec id sua sponte fecit, sed iussa & instructa à focru sua. Nec aliter ipse Booz factum interpretatus est, quin magnificè etiam collaudat factum.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 8.

Vulg. Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus est: viditque mulierem iacentem ad pedes suos.

Pag. Expauit vir, & inclinavit se, & ecce mulier dormiebat à parte pedum eius.

Vatab. Ac verteret, vel conuerteret se.

Tigur. Et cum contrectasset.

Malu. Et contremuit vir, & perculsus fuit, & ecce vira cubans pedali eius.

Sep. Rom. Expauit vir, & turbatus, & ecce mulier dormit.

Reg. Surrexit vir, & turbatus, &c. dormisbar.

Cald. Et miratus est vir, & mollificata est caro eius, sicut rapam ex tremore, & respexit, & ecce mulier dormiens omnino iuxta pedes suos.

Ionat. Accidit autem media nocte, vt expauerit vir, ac trepidarit, inquietumque redditum fuerit corpus, vt raphanum præ timore. Videns porro mulierem ad pedes suos dormientem, libidinem suam cohibuit, vt rem

cum illa non habuerit, Iosephi iusti imitatione, qui rem cum Ægyptiaca heri sui vxore habere recusauit, imitatione etiam Paltielis Pij, filij Laiisi, qui gladium applicuit inter seipsum, & Michalam Saülis filiam, quæ Davidis vxor erat, etenim rem cum illa habere noluit.

Syr. Excussit somnum suum, & obstupuit.

Arab. Et admiratus est.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Expauit & conturbatus est, Alij, Et inclinavit se. Vatab. Et verteret se. Heb. est *לפח* *laphath*, quæ vox significat, percellere, siue terrorem, tremoremque corpori ex subito pauore afferre; neque aliud volunt Hebraizantes, qui illud *לפח* *illapheth*, explicant, inclinavit, vel, inclinatus est, quàm vt sit inclinatio, vel corporis retractio ex pauore proueniens. Minus benè, qui vertunt, tetigit, contrectauit, quasi Booz contrectatione, & tactu deprehenderit esse mulierem. Vertendum enim erat potius passiuè, cum in Heb. sit coniugatio passiuæ, apprehensus est, correptus est, videlicet ex pauore. *Cald.* Emollita fuit caro eius sicut raphanum præ metu. Apud Rabb. & Arab. *לפח* *laphat*, seu *לפח* *lephoth*, est raphanum, seu rapa. *Vidit mulierem*; Alij, *Et ecce mulier*. Licet ex Heb. perspicuè colligi non possit, eam fuisse pro muliere cognitam, priusquam ipsa nomen proderet, nam interrogatio illa, *quæ es?* ex Heb. *מי מי*, qui vel quæ verti potuit, tamen noster Vulg. posuit, vidit mulierem: nam sub dio in area dormiebat, ac lucente luna, vel stellis, faciliè videri poterat Ruth esse mulierem, ex genere vestimenti, quo induta erat. *Iacentem*, Alij, *Et ecce dormiebat*, sed verius noster Interpres, verisimilius est enim eam nihil somni captasse, intentam ad omnem occasionem: verum est quod Ionatas addit, libidinem suam cohibuisse, ne eam contingeret.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Expauit.* Dicit Ra. Sa. quod timuit ne esset malignus A
 * 8. *Spiritus*, qui in corpore assumpto esset ad pedes eius, vel forsitan timuit de latronibus.

Et conturbatus. In Heb. habetur. *Et tenuit*, vel *amplexatus est*, quia extendit manum suam, & tetigit caput ipsius Ruth, & per hoc cognouit quod esset mulier, quia mulieres habent capita aliter parata, & recta, quam viri.

Viditque mulierem. Id est, cognouit per tactum, quia de nocte non poterat cognoscere per visum, sed nomine visus designantur aliquando alij sensus, sicut Exod. 20. cap. dicitur. Cunctus autem populus videbat voces, id est audiebat: tamen Booz adhuc nesciebat quæ esset mulier determinatè.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 9. & 10.

Vulg. Et ait illi: Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.

Guar. Expande oram pallij tui.

Malu. Expandes alam tuam, quia redimens tu.

Sept. Rom. Circumpones alas tuas super seruum tuam, quoniam redemptor es tu.

Cald. Vocetur nomen tuum super ancillam tuam, ad accipiendum me in vxorem.

Ionat. Accedat quæso nomen tuum ancillæ tuæ, vt me vxorem ducas.

Syr. Quodnam est nuntium tuum, &c. cooperi ancillam tuam ora vestimenti tui, quoniam tu es vendicator hæreditatis.

Arab. Quisnam est status tuus, &c. quare protege ancillam tuam extremitate vestimenti tui, quoniam tu es, cui conuenit suscitare hæreditatem.

Vulg. Et ille: Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes, pauperes siue diuites.

Pag. Meliorem fecisti misericordiam tuam posteriorem, quam priorem, vt non ambulares post iuuenes, tum pau-

perem, tum diuitem.

Tigur. Ampliasti pietatem tuam posteriorem, super priorem.

Alij. Meliorem fecisti gratiam, &c. si diues.

Malu. Bonificasti benignitatem tuam posteriorem de prima ad nequaquam ambulare post electos, si exhaustus.

Sept. Quoniam bonam fecisti misericordiam tuam postremam super primam, &c. siue inops, siue diues.

Reg. Quoniam lætificasti, &c.

Cald. Benedicta tu ante Dominum, & bona fuit bonitas tua posterior ab anteriori.

Ionat. Præstantiorem reddidisti pietatem, &c. ea enim est quæ profelyta facta es, posterior vero, quæ negotium tractasti tuum, velut mulier quæ ad coniugale sædus faciendum cum propinquo mariti demorari reseruat aliquo tempore, donec adoleuerit ille, non interim iuuenes sequendo, vt cum illis scortareris, siue pauperes, siue diuites fuerint.

Arab. Quoniam opus tuum nouissimum melius est priori, quoniam secuta non es iuuenes diuites, sed pauperes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Expande pallium tuum super famulam tuam: Alij, Expandes alam tuam. Quod metaphoricè volunt dici, pro recipere me in tuam fidem, & protectionem, nam aues alis protegunt pullos suos, & homines pallio, quos tutari volunt. Alij vertunt, *Expande oram pallij tui*, & volunt esse periphrasim coniugij: quasi diceret. Extende super me vestem tuam, obnubito me, desponde me tibi: vide Annotationes. Credo hac phrasi vtrumque complecti, & protectionem & coniugium: quasi diceret. Me ducens in vxorem protectionem meam suscipias: *Quia propinquus*, Alij, *Quia redemptor*. Vide dicta superius. *Priorem misericordiam posteriore superasti*, Alij, *Præstantiorem reddidisti pietatem, gratiam, &c.* Hanc posteriorem illa priore. Quasi diceret, pia fuisti in virum tuum viuentem, sed pientior, & benignior in mortuum, dum allaboras vt illi sine liberis deficienti suscites semen per matrimonium cum illius propinquo: Aliam adhibet rationem Ionatas.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 9.

Quaes. Sequitur. *Expande pallium tuum.* Per hoc requirebat desponsationem. Hic enim erat modus tunc temporis, quod sponsus contrahens sponsalia ponebat extremum vestis suae super sponsam. Alij autem dicunt, quod cum hoc curialiter petebat consummationem matrimonij, secundum quod erat edocta à focru sua, propter quod Booz habuit eam totaliter excusatam. Dicunt enim Hebr. quod Ruth dixit prius ipsi Booz, secundum quod eam focrus sua docuerat: *Socrus mea, & ego, necesse habemus vendere hæreditatem quæ fuit Elimelech, & filiorum eius, & tu es propinquus ad quem pertinet redemptio, vt habetur Leuit. 25.* Et ideo accipe hæreditatem, & me per consequens in vxorem, ad suscitandum nomen defuncti in hæreditate sua, & sic dixit.

Quia. Ad quem spectat redemptio hæreditatis, & suscitatio feminis secundum duplicem legem præallegatam, & hoc dictum consonat ei quod seq. cap. Booz dixit. *Partem agri vendidit Noëmi.*

MENO C.

Expande pallium tuum super famulam tuam. Cald. *Vocetur nomen tuum super ancillam tuam, ad accipiendum me in vxorem.* Pro pallio est in Heb. & LXX. *extende alam tuam super ancillam tuam.* Est adagialis formula loquendi, qua postulatur auxiliij, tutelæ, ac defensionis petitio. Hic tamen non qualiscumque tutelæ petitio est, sed eius quæ vxori à viro debita est. Itaque est modesta, & verecunda matrimonij petitio.

TIRINVS

Expando pallium, seu stragulum, *tuum super famulam tuam.*] Hebraicè & Græcè est, *extende alam tuam,* estque prouerbium quo implorat Boozij auxiliium, defensionem ac tutelam, non qualemcumque, sed matrimonialem, quæ vxori à marito debetur. Et verò solent tum olim, tunc nunc quoque Iudæi in nuptiis suis, cum sponsus fidem dat sponsæ, partem vestimenti sui imponere sponsæ, ita Lyranus, Vatablus, & Serarius. Est ergo modesta verecundaque petitio coniugij. Vnde Caldæus vertit. *Vocetur nomen tuum super ancillam tuam, vt accipias me in vxorem.*

LYRAN.

v. 10.

Et ille. Hic consequenter ponitur ipsius Booz rationalis responsio, & secundò curialis emissio, ibi: *Surrexit itaque.* Circa primum dicitur.

Benedicta, inquit es, &c. Et in hoc ostendit quod ipsa erat sine culpa ratione prædicta, & cum hoc ostendit eius affectum bonum, dicens.

Et priorem misericordiam posteriore superasti. Priorem misericordiam vocat, quia benè se habuerat ad vitum suum viuentem, & ad focrum suam, sicut audierat Booz à narrantibus, vt patet supra 11. cap. Secundam autem vocat bonum affectum, quem habebat ad suscitandum nomen defuncti per matrimonium, & hæc vocatur maior prima, quia maior misericordia est benè se habere ad aliquem post mortem eius, quando non potest se iuuare, quam dum adhuc viuit, & quod ipsa Ruth moueretur amore prolis, & non libidinis, ostendit dicens.

Quia. Querendo ei coniungi in matrimonio, sed me senem, in cuius copula non est talis delectatio.

ESTIVS.

Benedicat (inquit Booz ad Ruth) *es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti.* Priorem misericordiam vocat, qua vsa fuerat erga maritum suum adhuc viuentem; & erga focrum suam, quam pietatis affectu sequuta erat in terram Israël, relictis patriis sedibus. Posteriorem autem misericordiam vocat, pium illum affectum, quo mouebatur ad suscitandum nomen mariti defuncti per coniugium cum aliquo ex propinquis secundum legem. Hanc autem dicit maiorem illa priori, quia maioris charitatis ac misericordiae est, alicui benefacere post mortem, quando ab eo temporalis retributio nulla expectatur, quam dum adhuc viuit, & gratiam aliquam iis referre potest. Quod autem Booz addit. *Quia non es sequuta iuuenes pauperes, siue diuites,* hunc habet

A sensum, quasi dicat; non quæris iuuenem aliquem maritum, siue pauperem, siue diuitem; id est, qualemcumque inuenire posses, sed me iam senem, & prouectæ ætatis. Quod dicit ad comendandam ipsius pudicitiam, quod non instinctu libidinis, sed amore posteritatis ex propinquo suscitandæ, incitaretur ad coniugium. Quod ergo dicit Hieronymus in cap. 1. cap. Matthæi; Notandum in Genealogia Saluatoris, nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit. Vnde & in consequentibus Ruth Moabitibus ponitur, & Bersabee vxor Vriæ; exponendum est Hieronymum de Ruth agere, antequam ad ritum Iudaicum, & cultum vnius Dei conuerteretur. Vnde scilicet eam specialiter appellat Moabitidem.

Priorem misericordiam. Quam scilicet in maritum, & MENO C. focrum hæctenus contulisti.

Posteriore superasti. Quam scilicet nunc studes in maritum conferre, filios ei excitando, nomenque illius ad posteros propagando.

B *Quia non es secuta iuuenes pauperes, siue diuites.* Laudat Rutham, quod femina iuuenis non virum aliquem, defuncto Mahalone marito suo, quæsiuerit in patria iuuenem, siue diuitem, siue pauperem, sed relictis omnibus, in Iudæam venerit, ibidemque non cuilibet se matrimonio iungere voluerit, sed ei à quo restitui posset in familia extinctum defuncti illius nomen.

Mulierem te esse virtutis. Eadem Hebraica phrasid quæ hic habetur, Prou. 31. 10. vertitur, *Mulier fortis.* Itaque mulier fortis, siue virtutis, illa est, quam Italicè dicimus, *Donna di valore.*

Priorem misericordiam posteriore superasti.] Priorem TIRINVS

misericordiam Ruthæ vocat Booz eam benignitatem quam in defunctum maritum, & viuentem adhuc focrum contulit hæctenus: posteriorem verò, quam conferre nunc satagebat, nouis nuptiis filios defuncto excitando, nomenque ipsius ad posteros propagando. Nam hoc in magnis bonis, sicut contrarium in magnis malis, tum ponitur. Addit, & nouum aliud encomium, quod vidua iuuenula non virum aliquem marito defuncto superinduxerit in patria sua, iuuenem, siue diuitem, siue pauperem: sed relictis omnibus, exulatum in Iudæam venerit, ibidemque se matrimonio iungere studuerit non cuilibet, sed ei à quo posset restitui in familia extinctum aliqui mariti nomen.

Petes, An Noëmi & Ruth non peccarint tam periculosis vtentes modis ad nuptias Boozij extorquendas? Lyranus Noëmi grauiter accusat, Rutham propter solam ignorantiam excusat. Sed Respondeo, neutram peccasse, eo quod hoc omni apparatu, & lenocinio non aliud quam legitimum matrimonium, aut intenderint, aut postularint, confisæ sat probatæ tum tenis Boozij, tum Ruth continentia. Fas autem est, aptis verborum, gestuum, aliorumque generum signis ad matrimonium ineundum honestè inuitare, vt docet S. Thomas, Caietanus, Abulensis, & alij. Ferebat quoque tunc matrimonij natura, tulitque etiam diu apud Christianos ante Tridentinum Concilium, vt occulto consensu, seu clandestino posset contrahi. Propterea potuisset illa ipsa nocte inter Booz, & Ruth matrimonium conciliari & consummari, nisi remotam iniectisset alterius maior propinquitas.

Petes secundo, Quomodo saltem in eo non peccauit Noëmi, quod alterius propinquois nuptias non prius sollicitarit? Respondeo, Fortè ipsa hoc ignorabat: vel, si sciuit, ominabatur, quod euenit, eam illius propinquois, vel diuitiam, vel fastum fore, vt etiam si ei deferretur, recusaret tamen, & aspernaretur pauperula Ruthæ coniugium. Vide S. Ambrosium, S. Hieronymum, Auctorem operis imperfecti in Matthæum, Theodoretum, Feuarentium, & Serarium.

VARIETAS LECTIONVM. à *Verf.* II. ad 13.

Vulg. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vr̄bis meæ, mulierem te esse virtutis.

Pag. Et nunc filia meæ ne timeas, &c. quia mulier virtuosula es.

Cæc. Quod vxor.

Vatab. Scit omnis porta populi mei.

Guar. Quod mulier proba sis.

Tigur. Totum forum populi mei nouit.

Malu. Quia vira strenuitatis tu.

Sep. Rom. Vniuersa tribus.

Cald. Nunc manifestum ante omnes sedentes portæ Zzanhedrin magnæ populi mei, quod mulier iusta tu, & est in te virtus ad aspiciendum lucernam præceptorum Domini.

Ionat. Quidquid dixeris in fauorem tuum faciam, quoniam notum est omnibus senatoribus supremi senatus quod inculpatæ vitæ mulier tu sis, & ad portandum iugum præceptorum Domini, virtute prædita.

Syr. Omnis cognatio populi quod mulier sis fortitudinis.

Arab. Scit optimam te esse mulierem.

Vulg. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.

Pagn. Et nunc verè, quia propinquus sum.

Vatab. Iam igitur verum, quod cognatus tuus sum.

Tigur. Quod ego vindex, sed est alius vindex me propinquior.

Malu. Et nunc, quia fideliter, quia si redimens ego, & etiam existentie redimentis propinqui de à me.

Sep. Rom. Et nunc vetè redemptor ego sum, & quidem est redemptor propinquus super.

Reg. Est cognatus in terra existens magis quam ego.

Cald. Et nunc quoniam in veritate, &c. & etiam est redemptor alter quod dignum illi ad redimendum magis à me.

Ionat. Ad quem magis vt redimat, spectat.

Syr. Ego sum vendicator veritatis.

Arab. Cui conuenit suscitare hæreditatem.

Vulg. Quiesce hac nocte: & facto manè, si te voluerit propinquitatis iure retinere, benè res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque vlla dubitatione suscipiam, viuit Dominus, vsque ad manè.

Pag. Pernocta nocte, & erit manè, si propinquus tuus esse voluerit, benè propinquus sit, si vero propinquus tuus noluerit esse, propinquus ego ero tibi.

Guar. Si ille ius cognationis præstare voluerit, benè est, &c.

Tigur. Fietque cum illucescet, si ius vindicis tibi præstiterit, benè præstet, si verò non placuerit, &c. ego ius vindicis præstabo.

Malu. Si redimet te, bonum redimet, & si non beneplacitum habebit ad redimere te, redimam te ego. Viuens Iuh.

Sep. Rom. Maneto nocte, si redemerit te, bonum te redimat, si autem noluerit.

Reg. Si duxerit te, bonum ducat, si autem non velit ducere te, ducam.

Cald. Dixi in iuramento ante Dominum, vt id quod locutus sum tibi, sic faciam, iaceto vsque ad tempus matutinum.

Ionat. Et ipsa prima nocte, si te redimat vir ad quem ex lege pertinet te redimere, certè benè res habebit, si redemerit vt genus conseruet demortui, si verò id facere recusauerit, &c. Deumque testor, sicut tibi dico, faciam, quiesce ad auroram vsque.

Arab. Obnocta vsque ad diluculum: cum autem peruenis ad diluculum, & quæret te Dominus hæreditatis, iam benè faciet, si vero nolit facere, iuro per Dominum, quod si non quæret hæreditatem, quæram ego.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Scit omnis populus, Alij, Scit omnis porta populi. Id est, iudices, qui in portis sedere solebant iudicaturi, tamen per portam noster Vulg. Synechdochicos intelligit vniuersam ciuitatem, seu quicquid intra portas continetur. Scit te mulierem esse virtutis, Alij, Fortitudinis, strenuitatis. Dictio enim Heb. *חַיִל* *chail*, hæc omnia significat: significat etiam bonum animi habitum, ad honestas actiones inclinantem. Quod agnouit uterque Cald. in suis paraph. Nec abnuo me propinquum, Alij, Quod ego vindex, redemptor, &c. Vide Concord. v. 2. Bene res acta est, Alij, Bene, bonum. In Heb. vnica vox est respondens *טוֹב* *tob*, quæ bonum interpretatur, & ita appellatiue sumptæ sunt Hebraizantes: Estque loquendi modus familiaris Heb. & script. frequens, cum dicunt *טוֹב* *tob*, hoc est bonum, supp. est, vt ferè vbique suppleri debet, estque rei, factiue alicuius approbatio. Ne acquiescas Rabb. volentibus *tob* esse nomen proprium propinqui, quasi ille appellatus fuerit *Tob*, id est bonus, sicut *Tobias*, bonus Deo, vel bonitas Dei.

ANNOTATIONES.

LYRAN. Noli, &c. De matrimonio tibi affuturo.

ψ. II. Scit. Quasi diceret ex fama bonitatis tuæ paratus essem te accipere, sed non possum hoc licitè absque propinquioris cessione, ideo subditur.

LYRAN. Sed est. Iste propinquior est, cuius nomen non exprimitur, eò quod noluit suscitare semen fratri suo defuncto, propter quod fuit indignus nominari. Elimelech enim maritus Noëmi, & pater istius Booz fuerunt fratres, &

A sic vno gradu alter præcedebat eum.

Dormi. Et in hoc patet continentia vtriusque.

Surrexit. Hic consequenter describitur ipsius Ruth curialis recessus, seu emissio, & primo ex parte ipsius Ruth, & hoc cum subditur.

Vinit Dominus. Iuramenti formula frequens in scripturis sacris. Cald. habet. *Iuratus coram Domino, dico me, quidquid tibi dixi, facturum.*

LYRAN
ψ. 13.

MENOC

VARIETAS LECTIONVM. *Verf.* 14. ad 15.

Vulg. Dormiuit itaque ad pedes eius, vsque ad noctis abcessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, & dixit Booz; Caue ne quis noverit quod huc veneris.

Pag. A parte pedum eius, &c. non sciatur quod venerit mulier ad aream.

Arias. Accubuit pedibus eius, &c. antequam cognosceret vir focium suum.

Tigur. Ne palam fiat mulierem venisse.

Malu. Cubauit pedali: Non cognitum erit, quia venit vira aream.

Sep. Rom. Non innotescat.

Reg. Ne cognoscatur.

Cald. Iacuit iuxta pedes illius vsque ad tempus matutini, & surrexit in aurora, & dixit pueris suis, ne cognitum sit viro quod venit.

Ionat. Dormiuit vsque ad dubiæ lucis tenebras ob crepusculum.

Syr. Quæso homo nesciat, quod descenderim ad te in aream. Ita & Arab.

Vulg. Et rursus: Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, & tene vtraque manu. Qua extendente, & tene

mente,

nente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam, quæ portans ingressa est ciuitatem.
Pag. Affer linteum quod est super te, &c. mensus est sex mensuras, & ingressa est.
Arias. Da linteum, & apprehende in illud, & mensus est sex mensuras hordeorum.
Tigur. Mensus est sex Epha.
Mals. Da ventrale quod super te.
Sep. Fer cingulum quod super te.

Cald. Da sudarium, mensuravit sex Zzein hordeorum.
Ionat. Mensus est hordei sein sex, quæ illi superimpositum, ei enim concessæ fuerunt à Domino vires sufficientes, ad illa portanda, statimque (ab ea) creditum est per prophetiam, quod à se procederent iusti, qui futuri erant mundo, quorum quisque benedicendus erat sex benedictionibus, Dauid, Daniel cum sociis suis, & rex Messias. Boazus porro urbem est ingressus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

C *Aue ne quis nouerit quod huc veneris.* Alij, *Non sciatur, quod mulier venerit ad aream.* Verum est in Heb. non satis exprimi cui id dictum sit, imò cum per tertiam personam loquatur, suspicio nasci potest alteri quam Ruth, id dictum: vnde uterque paraphrastes vertit, dixit pueris suis, & Syr. & Arab. volunt à Rutha, id dictum Booz; tamen ex circumstantiis satis liquet id Ruth mandatum fuisse. *Expande pallium tuum,* Alij, *Linteum, sudarium.* Est מִטְפָּחָת *mitpachath*, quod est extremum subligaculum, seu ventrale, vel antependulum quod è lino gestare solent mulieres, vnde Vulg. per pallium, non intellexit vestem è crassiore villo, aut lana contextam, quæ corpori propius applicari solet, sed vt diximus, linteum succinatorium, muliebri sudarium. *Mensus est sex modios hordei,* Alij, *mensuras, sex Epha.* Sanè sex modij videntur onus grauius, quàm etiam homo robustus ferre possit. Scio Ionat. asserere à Deo concessas illi fuisse vires ad illud ferendum. Scio mulierem fuisse magnæ virtutis, vel vt alij, fortitudinis. Aduerte hîc per modios non intelligi nec sex fata, vel Epha, sed quasdam mensuras vsuales, tum notas, nobis autem incognitas, quas ferre potuit. *Quas portans ingressa est ciuitatem,* Alij, *Boazus porro urbem est ingressus.* Verum est ex Heb. videri posse non ipsa Ruth ingressa, sed Booz, quia verbum וַיֵּיבֹא *vaiibo*, est masculini generis. Verum cum sequentia, *Et venit ad socrum suam,* necessariò ad Ruth referantur, vbi & in Heb. est verbum fœminini, non videtur verbum præcedens: commodè ad alium, quàm ad Ruth referri posse: id enim continuata rerum series exigit, & apud Heb. in verbis sæpè fit hæc generum enallage, vt masculina ponantur pro fœmininis: vnde & Pag. vertit, & ingressa est ciuitatem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Antequam.* Nolebat enim ab hominibus videri in illo egressu, ne mala suspicio de ipsa, & Booz haberetur. Secundò ex parte ipsius Booz, quia monuit eam de fama vtriusque seruanda, dicens.

Antequam homines. Summo manè antequam dilucesceret.

Caue ne quis nouerit quod huc veneris. Oportet enim, vt monet Apostolus 1. Theff. 5. 22. vt ab *omni specie mala*, abstinemus, etiamsi ab omni peccato alioqui integri sumus, sic Booz suæ, & Ruth famæ consuluit.

MENOC. *Caue ne quis.* Et quia noluit eam redire vacuam: ideo subditur.

LYRAN. *Mensus.* In Heb. habetur, *sex hordea*, id est, sex mensuras hordei, sed cuius quantitatis fuerint, non exprimitur, tamen ex circumstantia textus habetur, quod non fuerunt multum magnæ, tum quia continebantur intra pallium ipsius Ruth, tum quia ipsa sola portauit super caput suum totum simul vsque ad ciuitatem, & vsque ad domum Noëmi. Dicit autem hic Rab. Sa. quod istæ sex mensuræ fuerunt signum, & præfiguratio sex benedictionum Dei quæ futuræ erant super Messiam nasciturum de Ruth per Dauid, & genealogiam regiam, secundum quod

dicitur Esa. 11. *Egredietur virga de ra. Ies. &c.* Sequitur. *Et requiescet super eum spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientia, & timoris Domini.* Quod autem in translatione nostra interponitur, & *pietatis*, non est in Heb. Ex hoc autem dicto in Ra. Sa. duo habentur, vnum est quod scriptura ve. te. non solum exponenda est historicè, sed etiam aliquando mysticè. Secundum est quod illud dictum Esa. allegatum intelligitur de Christo etiam secundum Heb. Cætera patent in litera.

Expande pallium tuum. Succinatorium, seu semicinctum linteum, quo sub pectore præcinctæ mulieres, domi præsertim vtuntur. LXX. vocant *ἐπιζώμα*, alij *ἐπιζώμα*. Itali vocant *Grembiale*.

Quas portans ingressa est ciuitatem. Mirum videtur quibusdam Rabbis mulierem tantum pondus ferre potuisse, ideoque ad allegoricas interpretationes confugiunt, sex modij iuxta ea, quæ dixi cap. superiori num. 17. libras conficiunt 160. quod pondus graue non diffiteor, puto tamen illi gestando mulierem parem esse potuisse. Vidi sæpius mulieres capite aut hydrias, aut alia vasa, pondera gestantes, tantæ molis, & grauitatis, vt obstupescerem.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 18.

Vulg. Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narrauitque omnia, quæ sibi fecisset homo.

Pag. Quæ es tu filia mea?

Sept. Et Ruth intrauit, &c. at illa dixit, filia, & dixit ei, &c.

Cald. Venit in aurora.

Ionat. Venit summo manè, &c. quæ illi dixit, qualis es tu filia mea? explicuit autem ei, quicquid vir ille fecerat, iuxta enim verbum prophetiæ, quæ Boazo ipsi reuelata fuerat, tractauerat illam Boazus.

Syr. Quæ est filia mea? Et dixit ei. Ego sum Ruth.

Vulg. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reuerti ad socrum tuam.

Pag. Sex horde mensuras, &c.

Alj vt vers.

Vulg. Dixitque Noëmi: Expecta filia, donec videamus

quem res exitum habeat, neque enim cessabit homo, nisi compleuerit quod loquutus est.

Pag. Manè, donec cognoscas quomodo cadet res, non enim quiescet vir nisi compleuerit rem hodie.

Arias. Quomodo cadat verbum.

Tigur. Donec hoc negotium compleuerit.

Mals. Non tranquillabitur vir, quia si consummauit verbum hodie.

Sept. Rom. & Reg. Quoad tu cognoscas quomodo non cadet verbum.

Cald. Sede filia mea mecum in domo vsque ad tempus, quo cognoscas, quemadmodum decretum est ex celo, & quemadmodum miserabitur verbum, quia non quiescet vir, qui consumetur ad bonum verbum die hac.

Ionat. Cognoscas, quomodo decisum fuerit negotium, non enim cessabit donec negotio finem impouerit.

Syr. Quoadusque obtulerit illi iudicium hodie.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quid egisti filia? Alij, *Quonam, qualis es tu filia mea?* Nam ipso diluculo venerat, ita vt de facie eam focrus agnoscere non posset: volunt aliqui fieri potuisse, vt focrus non viderit eam, vsque dum aperuerit ei fores, atque ex voce, & aliis circumstantiis, cognouerit eam fœminam aliquam fuisse: sed melius no-ster vulg. sensum expressit cum Sept. vnde in Hebræo *מי מי*, positum pro *מה מה*, hoc est, quæ pro quid. Accedit quod ista compellatio, *filia mea*, satis indicat focrum illam agnouisse. *Donec videamus quem res exitum habeat;* Alij, *Quomodo cadat verbum, negotium.* Res pro vtroque ponitur. Sep. *Quomodo cadet verbum.* Quasi cadere verbum hic sit inutile, reddi, & euentu suo frustrari; tamen eorum hic non est sensus, sed idem cum Vulg.

ANNOTATIONES.

AUCTOR
V. 16. 17.
& 18.

Quid egisti filia mea. Nihil in Annotationibus ad A Vulgatus solum habeat, *nisi compluerit*, Hebraicè Græcè, & Caldaicè additur *hodie*, quasi illâ ipsâ die quæ promiserat Boozus, impleturus esset.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Booz coram iudicibus ciuitatis, euocato altero affine propinquiore, illo iuri propinquitatis renunciantem, adit possessionem Elimelech defuncti, & Ruth nurum illius accipit in uxorem, ex qua gignit Obed auuum Davidis regis.

1.



Ascendit ergo Booz ad portam, & sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, & sede hic: vocans eum nomine suo. Qui diuertit, & sedit. 2. Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hic. 3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vender Noëmi, quæ reuerfa est de regione Moabitide: 4. Quod audirete volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis: eme, & posside: sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, vt sciam quid facere debeam, nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es, & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam. 5. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere: vt suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. 6. Qui respondit. Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor. 7. Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo, hoc erat testimonium cessionis in Israël. 8. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim soluit de pede suo. 9. At ille maioribus natu, & vniuerso populo, Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noëmi: 10. Et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis. 11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Israël, vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem: 12. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ, de femine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. 13. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem: ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus vt conciperet, & pareret filium. 14. Dixeruntque mulieres ad Noëmi: Benedictus Dominus, qui non est passus vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Israël. 15. Et habeas qui consoletur animam tuam, & enutriet senectutem, de nuru enim tua natus est, quæ te diligit: & multo tibi melior est, quam si septem haberes filios. 16. Susceptumque Noëmi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio. 17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: Natus est filius Noëmi: vocauerunt nomen eius Obed: hic est pater Isai, patris David. 18. Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Efron. 19. Efron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, 20. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, 21. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, 22. Obed genuit Isai, Isai genuit David.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1.*

Vulg. Ascendit ergo Booz ad portam, & sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, & sede hinc: vocans eum nomine suo. Qui diuertit, & sedit.

Pag. Sede hic talis vidue, & declinauit, & sedit.

Arias. Et ecce redemptor transiens, quem est allocutus, sede hinc o quidem singularis.

Tigur. Vindex ille de quo Booz dixerat, cui dixit: Accede, quisquis ille sis.

Malu. Discede, sede hinc Peloni Almoni, & discessit, &

fedit. *Sep.* Et ecce redemptor prætergredebatur, &c. declinans, sede hinc abscondite.

Reg. Ecce propinquus præteribat.

Cald. Ascendit ad portam domus iudicij qui locus Zzandrin, &c. sede hic vir cuius humiles viæ eius.

Jonat. Ad portam senatorum confessus, & illic sedit cum senioribus, &c. sede hic vir qui desertor est viæ suæ.

Syr. Et ecce vindicator progeniei.

Arab. Et ecce vir cui debebatur hæreditas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ad portam. *Cald.* Ad portam domus iudicij. Sed potius intellige de porta vrbs, ad quam conueniebant seniores iudicatorum. *Declina paulisper*, Alij, *Discede*, scilicet à loco tuo, & accede. *Vocans eum nomine suo*, Alij, *Sede hic talis vidue*, *Peloni Almoni*: Hebr. hisce duabus vocibus פלני אלמוני *Peloni Almoni* vtuntur, quando aliquem, & certum locum, cuius tamen nomen data opera exprimere nolunt, significare volunt, vnde exponunt, & sede hinc aliquò vel alicubi. Alij de persona dici potius existimant, aiuntque esse voces, quæ nihil denotant, sed sic Hebræos loqui cum certum hominem significare intendunt, neque tamen eum nominare, & volunt esse quod Græcè dicunt *o Nira*, quidam. Sic Latini litteram N. interponere solent, quando nomen alicuius scripto exprimere nolunt, sed voce pronuntiandum, aut nominandum intelligunt. Dicamus verba illa non fuisse Booz, sed posita loco nominis proprii, quod quidem nomen expressit *Vulg.* quemadmodum, & sua versione indicat noster *Interpres.* Neque enim ignorare potuit Booz, quo nomine propinquus ille diceretur, vel tam inciuilis fuit, & rusticus, vt cum nomen sciret, dixerit inurbane tu talis, tu quidam. Posita autem sunt hæc verba, loco nominis proprii à scriptore hagiographo, qui dum rem narrat, non putauit nomen illius propinqui exprimendum, sed voces illas eius loco apponere, quæ inter scribendum, vel narrandum solerent apponi loco nominis proprii.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Ψ. L.** **A**scendit. Hic vltimo describitur copula matrimonialis inter Booz & Ruth, per cessionem propinquioris. Circa quod primò tangitur dicti propinqui citatio, secundò vxoris acceptio, ibi: *At ille ma. na.* Tertio prolis conceptio, ibi: *Ingressusque est.* Quarto plebis congratulatio, ibi: *Dixeruntque mulieres.* Prima in duas: quia primo describitur citatio propinquioris: secundò cessio sui iuris, ibi: *Qui respondit.* Circa primum dicitur.

Ascendit. In porta enim ciuitatis antiquitus tenebantur iudicia, vt cito, & in promptu vnique pateret locus iustitiæ.

Et sedit. Tanquam iudex principalis secundum Heb. qui dicunt ipsum fuisse Abefan, vt dictum est supra i. cap.

Declina. Vt in loco iudicij respondeas.

MEN OC. *Ascendit ad portam.* In Iudaicarum enim urbium portis celebrioribus exerceri solebant iudicia, magnique, & publici contractus.

A *Vocans eum nomine suo.* In Heb. est פלני אלמוני *Peloni Amoni*, quod in Bibliis Pagnini ab Aria recognitis vertitur, *O quidam singularis.* Respondet phrasia Italica nostræ, *O tale*, Hispani dicunt, *Fulano*, quod cum prima voce *Peloni* affinitatem videtur habere.

Sede ibi. Quod ibi aliqua de retractantibus, sedere moris esset.

Cum vidisset propinquum præterire.] Fortè in agrum ad TIRINVS messores exeuntem, vel inde redeuntem.

Petes, Quare Samuel libelli huius auctor nominare illum noluit: Respondeo, Videtur hac nominis aterna obliuione merito voluisse multare virum ingratum ac superbum: & qui sui nominis adeo studiosus esset, vt de propinqui defuncti nomine nihil omnino laborarit, ipsamque illius viduam Ruth contempserit, indignus ipse censetur qui proprio nomine posteris innotesceret.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 2. 3. & 4.*

Vulg. Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hinc.

Tigur. Confedete hinc.

Arab. Vocauit, sedere fecit eos coram se.

Vulg. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noëmi, quæ reuerfa est de regione Moabitide.

Pag. Dixitque propinquo, &c. partem agri, &c. vendidit.

Mont. Dixit redemptori, &c. quæ reuerfa est ex agro Moab.

Sep. Rom. Quæ data est ipsi Noëmi, reuerfa est ab agro.

Reg. Quem vendit Noëmi.

Cald. Possessionem agri vendit.

Vulg. Quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis, eme, & posside: sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, vt sciam quid facere debeam, nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es: & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam.

Pag. Ego autem dixi, reuelabo aurem tuam dicendo, ac-

Tom. IV.

quire coram habitatoribus, si propinquus esse vis propinquus essendo, & si non propinquus esse vis, indica mihi vt sciam, quod non est præter te, vt sit propinquus, & ego sum post, & dixit, propinquus ero.

Mont. Si redemeris, redime, & si non redemeris, indica mihi, &c. & dixit redimam.

Caiet. Aperiam aurem tuam dicendo.

Tigur. Ego vero cogitavi, vt hæc ego tibi indicarem, diceremque, vendicares, si ergo vendicare volueris, vendica.

Sep. Rom. Discooperiam aurem tuam, &c. & ille dixit: Ego sum, redimam.

Reg. Si propinquus es, duc, si autem non ducis, annuntia mihi, & sciam quoniam non est præter te vt ducat, & dixit ille, ego ducam.

Cald. Ero perforans in te, & reuelabo aurem tuam ad dicendum, si voluntas tua ad redimendum, redime, &c. & ego ero redemptor post te.

Jonat. Ego vero deliberaui me tibi significaturum, dicturumque vt acquiras, &c. si tibi cordi sit redimere, non enim est cui ante te redimere liceat, & qui sicut tu ad

repetendum agrum ipsum, propinquus sit. Sciam igitur à te quid sentias, vt post te redemptor ego sim. *Syr.* Ego autem dixi vt aperiam, & indicem, & dicam tibi: Ego sum qui memetipsum ostendi ad dicendum, & possidendum coram istis senibus, nunc autem si vis vin-

dicare, indica.

Arab. Si vis petere, modo pete, si autem non petieris indica mihi, & sciam te nolle petere, & petam ego, & dixit, ego petam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vendet Noëmi, Alij, *Vendit, vendidit.* Sed rectè noster Interpres, vt ex sequentibus patet, quocirca illud Hebraicè vendidit explicandum est, vt idem sit, quòd vendere decreuit. *Quod audire te volui, & dicere, Alij, Et ego dixi, reuelabo aurem tuam dicendo; discooperiam aurem tuam perforans in te, & reuelabo aurem, &c.* Reuelare alicui, est reuelare ei aliquod secretum, indicare ei aliquid, & de illo admonere. Alij volunt hoc modo loquendi intelligi seriam, & attentam loquutionem: quasi diceret aurem, & animum attente aduerte ad ea quæ dicturus sum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *V. 2.* **T**ollens autem Booz, &c. Vt negotium fieret firmius.

MENOC. *Decem viros de senioribus.* Qui agendorum testes essent, vel arbitri, vt colligitur etiam ex Num. 9. & 11.

LYRAN. *V. 3.* *Partem.* Vocat eum fratrem, eo quod erat de cognatione sua, & hic modus loquendi frequens est in scriptura.

Vendi. Id est, in propositio vendendi, quia non erat adhuc ager venditus vt patet per sequentia. Heb. autem non habent tempus præsens in modo indicatiuo verbi, sed pro eo vtuntur participio præsentis temporis communiter dicentes, vendens pro vendit, & aliquando præterito verbi in modo indicatiuo, vt isto loco, vel fortè iam vendiderat. Et quod de emptione per propinquum subditur, intelligendum est de redemptione emptionis, quæ spectabat ad ius propinqui, vt habetur Leui. 25. Sciendum est autem hîc, quod licet mulieres non succederent in hæreditatem, tamen quia vxor post maritum defunctum sine liberis remanebat, ipsa tenebat partem hæreditatis ad vitam, & illam poterat vendere in quantum erat sui iuris, & sic dicitur hîc quod Noëmi eodem modo vendere volebat partem agri. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. *Fratri nostri.* Propinqui, cognati nostri.

Vendet Noëmi. Poterant agri vxoribus superstitibus relinqui à maritis morientibus, ex quorum fructibus, dum viuerent, alerentur. Hoc ius suum iam vendere volebat

Noëmi, vt sentit Lyranus. Abulensis putat hunc vsum fructuum iis tantum legari potuisse, quæ nubere vellet propinquo demortui, & semen suscitare, qualis erat Ruth, non Noëmi. Huius tamen fit mentio, ne proximo illi suboleret matrimonij necessitas, & quia Ruth iunior Noëmi senioris, & focus suæ consiliis regebatur.

Partem agri fratris, id est, propinqui, *nostri Elimelech vendet,* necessitate coacta Noëmi.] Scilicet nomine Ruthæ nurus suæ, quæ quòd vellet secundum legem Deut. 25. mariti vita functi cognatorum alicui nubere, atque ita filios illi suscitare, poterat vel ad vitam suam prouentibus agri frui, vel ea conditione vendere, vt saltem quamdiu primogenitus ex ipsa nasciturus, eius agri possessionem non adiret, esset dominium, vel vsus fructus penes emptorem.

Petes, *Quis peregrinante Elimelecho in Moabide, agrum illum tenebat, colebat, merebat?* Respondeo, verisimiliter alicui elocatum fuisse, qui pro annorum illorum sterilitate aliquid saltem quotannis penderet. Ita Abulensis, & Lyranus.

Nullus. Non est intelligendum quod nulli alij essent de consanguinitate illa, cum essent homines magni & potentes, sed quia nullus erat propinquior istis duobus, nec qui ita haberet ius in dicto negotio.

Ego agrum. Benè volebat habere possessionem, sed non vxorem, tamen vnum erat annexum alteri, ideo subditur.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 5. & 6.*

Vulg. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere: vt suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.

Pagn. In die qua adquisieris agrum, Ruth acquies.

Malu. In die acquirere te agrum, Ruth viram mortui acquisiisti, ad surgere facere nomen mortui.

Sept Rom. In die acquirendi te, &c. de manu Noëmin, & à Ruth Moabide vxore.

Reg. In die qua possidebis tu agrum.

Cald. Eris emens ad propinquandum eam, idcirco vt surgat nomen iacentis super possessionem illius.

Ionat. Teneberis tu redimere, & petere cognatam ipsam, vt eam vxorem ducas, ad conseruandum nomen defuncti.

Arab. Vt viuifices nomen defuncti in hæreditate sua.

Vulg. Qui respondit. Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo vttere priuilegio, quo me libenter carere profiteor.

Pagn. Dixitque propinquus: Ego propinquus esse non possum, ne fortè deleam hæreditatem meam, sis tu propinquus propinquitate mea, quia non possum esse propinquus.

Arias. Dixitque redemptor: non potero redimere, ne

fortè corrupam, &c. redime tu tibi redemptionem meam, quia non potero redimere.

Figur. Respondit vindex: Non possum mihi vindicare, ne fortè vastem, &c. vindica tu ius propinquitatis meæ.

Malu. Non potero ad redimere mihi, nequando funditus perdam, redime tu tibi redempturam meam.

Sep. Rom. Redime tibi redemptionem meam.

Reg. Non potero ducere mihi, &c. duc tibi tu propinquitatem meam.

Cald. Et dixit redemptor: Quia isto colore non ego potens ad redimendum mihi super quod est mihi vxor, & non est mihi facultas ad accipiendum aliam super eam, fortassè erit ad contentionem in domo mea, & ero corrupens possessionem meam, redime tu tibi, quia non est tibi vxor, possessionem meam.

Ionat. Hoc sanè damno non possum redimere ego mihi, quum enim habeam, me non deceret, aliam superducere, quandoquidem concitaretur ob id domi meæ discordia, & fraudarem hæreditatem meam.

Syr. Quia propter defectum fidei meæ, non possum vindicare.

Arab. At ille competitor, non possum facere hoc, &c. etenim non possum petere causa mei iuramenti.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE manu mulieris. Heb. exprimit nomen illius, nempe Noëmi, & addit, & à Ruth Moabitide, vnde etiam Ruth venditrix adiungitur, vnde cum Vulg. ait, *Partem agri vendet Noëmi*, intelligendus est tam pro se, quam etiam pro Ruth nuru sua. *Ut suscitetur nomen defuncti.* Alij, *Ut surgat nomen iacentis, ut suscitetur filium qui nominetur filius Mahalon. Iacentis*, id est, defuncti, siquidem cum defuncto filius, & hæres suscitabatur simul, & nomen suscitabatur. *Cedo iuri propinquitatis.* Alij, *Non possum te redimere, vindicare.* Vide dicta. *Neque enim posteritatem familiae meae delere debeo*, Alij, *Corrumpere hereditatem, vastare, &c.* Quomodo autem delere posteritatem familiae suae posset, vel hereditatem suam corrumpere, exprimit vterque Cald. quia cum haberet hinc propinquos filios, si alios à Ruth susciperet, hi paternæ hereditatis partem abstraherent, & sic paterna hereditas dissecta, & diuisa in plures filios, prioris & posterioris disperderetur. *Tu meo utere privilegio*, Alij, *Redime tu tibi redemptionem meam*, quod idem est, ac vindicare sibi ius propinquitatis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q**uando. Et patet litera.
Y. 5. *Ruth quoque debes accipere.* Viduæ, quæ marito suscitare semen volebant, de quibus dixi, statim post viri mortem, hereditatem capiebant. Deinde, qui eas uxores duxissent, ea hereditate fruebantur, donec ad primogenitum ex hac natum tandem perueniret; sicque ad illud tantummodo temporis vendi, vel ab uxore, vel à posteriori marito poterat, dum eam adire posset iste primogenitus. Generalis enim lex erat, vt si bonorum immobilium quid à quoquam Iudæo venditum esset, id vel ab eius propinquis, vel ab ipsomet vendente postea redimi posset. Porro ipsam Ruth in uxorem propinquus ille accipere debebat, si agrum habere volebat, quia hereditas, si vidua nuberet alicui, eam debebat comitari, & ad maritum eius peruenire. Vide Serarium in hoc cap. quæst. 30. vsque ad 61.

Ut suscitetur nomen propinqui tui in hereditate tua. Gignas filium, qui legis vi, & auctoritate, mortui illius filius censeatur, & legalis illius parentis sui hereditatem accipiat.

LYRAN. **Q**ui respondit. Hic consequenter describitur cessio iuris, cum dicitur.

Cedo iuri. Cuius ratio allegatur, cum dicitur.

Neque. Quod exponunt aliqui Heb. de posteritate egressura de Ruth, si eam acciperet, eò quod scribitur Deut. 23. *Moabites, & Ammonites non intrabunt in Ecclesiam Dei in eternum.* Sed si iste hanc causam allegauit, falsum dixit, quia illa pœna non cadit super mulieres, nec per consequens super prolem earum de viro Israëlita, sicut ibidem dictum fuit. Et ideo aliter exponitur, videlicet de prole quam iam habebat de alia uxore: quia si accepisset Ruth, oportuisset eum intendere educationi, & prouisio-

Ani prolis nascituræ de ipsa, & per consequens minus posset intendere prouisioni prolis iam habitæ de alia, & istud vocat deletionem secundum communem modum loquendi, quo dicitur de aliquo, si habeat aliquod damnum notabile, destructus est vel deletus.

Neque enim posteritatem familiae meae delere debeo. Imò **ESTIVS.** verò obedire potuisset legi, & non tamen delere posteritatem familiae suae; quia solus primogenitus ascribebatur fratri defuncto, reliqui autem ipsi generantur. Sed fortè hunc propinquum illud excusabat, quod videret alium paratum suscitare semen defuncto. Nam vno ex propinquis, licet remotiore, faciente quod lex exigit, ceteri liberabantur. Porro scriptura studiosè reticet nomen huius propinqui, idcirco fortassè quod indignus esset nominari, qui fratris sui nomen, iubente lege, ad posteros nollet transmittere.

B *Posteritatem familiae meae delere.* In Heb. est, *ne fortè corrumpam hereditatem meam*: quod accideret, si plures ex Ruth filios gignerem, quamuis enim primogenitus, Mahalonis filius censeretur, & illius hereditatem adiret, alij tamen mei essent, & cum filiis, quos iam habeo, hereditatem partirentur. **MENOC.**

Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiae meae delere debeo.] Hebraicè, Caldaicè, & Græcè, *corrumpere*, quasi dicat. Mihi & vxor, & filij multi sunt, qui possessiones meas, & posteritatem, ac nomen satis tuebuntur: ad hoc si ex iuuenula Ruth plures accederent filij (nam præter primogenitum, propinquo substituendum, reliqui omnes pari cum prioribus iure censebuntur mei filij, & hæredes) iam meæ possessiones nimium dissecerentur, & dispergerentur, forsitan & litibus inuoluerentur. **TIRINVS**

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 7 & 8.

Vulg. Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo, hoc erat testimonium cessionis in Israël.

Pag. Hoc autem erat ante in Israël super propinquitatem, & super permutatione, ad confirmandum omnem rem, &c. hoc erat testimonium Israël.

Arias. Super redemptione, & super permutatione ad confirmandum omne verbum.

Caiet. In propinquitatis cessione ad confirmandam rotam rem.

Guar. Ad confirmandum totum negotium, detrahebat aliquis, &c.

Malu. Et istud faciebas in Israël super redemptionem, & super permutatione ad surgere facere omne verbum, eduxit vir calceamentum suum, & dabit sodali suo, & ista testificatio in Israël.

Sept. Rom. Et hæc iustificatio erat antea super redemptione, &c. & dabat proximo suo redimenti redemptionem suam.

Reg. Et hic mos prius in Israël ad propinquitatem, &c. & dabat proximo qui ducebat propinquitatem, &c.

Cald. Et in hac consuetudine in tempore, quod ab anti-

Tom. IV.

quis consuetum est in Israël, in tempore quo ponderantes, aut ferentes, aut redimentes, aut permurantes vnus cum socio suo, ex calciauit vir vaginam suam, & porrexit in ea possessionem, socio, & ita consuescentes ad possidendum domus Israël vnus à socio suo ante testes.

Ionat. Erat autem vetus hæc atque vsitata consuetudo, &c. quando accipiebant, aut dabant, vel redimebant, vel commutabant inuicem, vt confirmarent totum negotium, extrahebat qui cedebat ius suum thecam dexteræ manus suæ, & per illam possessionem dimittebat proximo suo: sic sanè consueuerunt Israëlita coram testibus proximum suum, in possessionem mittere *Quinquarib.* chitotecam.

Syr. Hac autem vendicatio: Ecce coram filiis Israël, & mutatio vendicationis ad suscitandum.

Arab. Et hoc negotium sit coram, &c. & hæc est narratio eius qui continebat se à suscitanda progenie mortuo.

Alj. Hæc autem antiquitas, &c. obtinebat in vindiciis.

Vulg. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim soluit de pede suo.

Pag. Dixit propinquus ad Booz, acquire tibi, & soluit.

Arias. Dixit redemptor ad Bohaz, acquire tibi.

Q iij

Vatab. Dixit cognatus.
Sep. Rom. Acquire tibi redemptionem tuam.
Reg. Posside tibi propinquitatem meam.
Cald. Extende manum tuam ad possessionem, & eme tibi, & detrahit vaginam suam, & emit ab eo.

Jonatas. Tum tulit thecam dexteræ illius, & in possessionem venit.
Arab. Accipe tu tibimet, & soluit calceamenta sua, & tradidit ei.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT si quando alter iuri suo cedebat: Alij, *Super redemptionem, vindictis, &c.* Vide dicta superius. *Solvebat homo calceamentum suum.* Cald. *Excalceavit vir vaginam suam.* Ionat. *Thecam dexteræ manus.* Quinquarb. *Chirotecam.* Verum est Ioannem Quinquarb. in notis Ruth, mordicus tueri, hic debere verti chirotecam, quam vult voce *חַוְוָה* *nahal*, significari, & in suæ sententiæ confirmationem, ait duplicem morem indicari, vnum Deut. 25. quando ipsamet vidua senatum adibat, & agebat cum cognato, vt se in vxorem acciperet, tum enim si recusaret, viduam illi calceum detraxisse, & in faciem spuisse: alterum hîc habere, quando non per se præfens, sed per procuratorem absens id vidua postulabat (quod hîc factum censet) tunc enim ipsummet reculantem sibi ipsi chirotecam detraxisse, & poscenti actori tradidisse, signum cessionis iuris sibi competentis. Sed cur hic chirotecam, illic calceum posuit? Certè *חַוְוָה* *naghal*, vnum vel alterum, non ambo significat: deinde tota hæc distinctio imaginaria est, nec sacra Scriptura vel patribus confirmatur. Verum est nostrum Lyrantum illam prodidisse, sed non probasse. Ioseph. lib. 5. Antiq. scribit *τὰ χιρτέα*, tum quia Rab. Iatchius, Immanuel, Abenefra, Kimchi, & Elias de calceamento acceperunt; eos sequuti sunt Hebraisantes: tum etiam quia cuncta Scripturæ sacræ loca in quibus nomen hoc positum, commodè capi possunt de calceo, vel compede: paraphr. autem Cald. hoc loco nihil vrget, nam *נַרְתֶּקֶב* *nartekeb*, propriè significat thecam, vel vaginam, quod æquè conuenit calceo, ac chirotecæ: tum calceus in matrimoniali cessione videtur esse aptior, quia calceamento, subiectio indicatur; (vt in Psal. 97. & 107. in Idumæam extendam calceamentum, mihi alienigenæ amici facti sunt, alia versio, subditi sunt) cum calceo terram calcemus, & vxor viro subdita esse debeat: si autem in versione Ionatæ habetur chiroteca manus dexteræ, nihil mirum, quia sic vertit Quinquarb. defensor istius sententiæ.

Dixit ergo propinquo suo Booz, tolle calceamentum tuum; Alij, *Dixit propinquus ad Booz* (quod contrarium videtur) *acquire tibi*, tamen vtraque lectio sibi non est contraria, sed vtraque est vera: nam verum est Booz dixisse propinquo suo, vt tolleret calceamentum in signum sui iuris cessionis, & verum est propinquum Booz ei dixisse, vt sibi hac calcei detractioe ius suum acquireret.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **H**Omo. Hoc erat signum quod vnus spoliabatur iure, & alter inuestiebatur: dicitur autem Deut. 25. quod mulier defuncti solvebat calceamentum illud, & spuebat in faciem illius nolentis fuscitare semen defuncti. Sed hoc erat quando mulier conueniebat eum coram iudicibus, & ille recusabat illam accipere. Sed quando alter propinquus conueniebat eum, sicut fuit in proposito, tunc ipsemet solvebat: ideo subditur.

MENOC. *Solvebat homo calceamentum suum.* Is scilicet qui iuri suo cedebat, quamquam sunt qui sentiant eum calceamentum soluisse, cui fiebat cessio, sed quod dixi, verius est.

TIRINVS *Solvebat homo calceamentum suum.*] Nota. Præter *excalceationem religiosam*, qualem præcepit Angelus Moyfi ad rubum, Exodi 3. itemque Iosué propè Iericho, Iosué 5. duplex reperitur in Scripturis *excalceatio politica*. Vna in pœnam, quæ describitur Deut. 25. quæ ex lege præscripta erat, cum nollet frater germanus fratri defuncto semen fuscitare: nam inter solos fratres propriè dictos locum habebat: fiebatque etiam inuito, & cum conspuatione faciei, & erat valdè probrosa. Altera non in pœnam aut pro-

brum, sed in contractus solemnitatè ac firmamentum adhibebatur, vt apud nos *clauium traditio*. Et talis fuit hæc propinqui Booz *excalceatio*, ad confirmanda hæc sua pacta conuenta. Neque fiebat hæc ex legis præscripto, sed ex sola *consuetudine*, vt hîc dicitur. Et loco illius iam in contractibus maioris momenti vtuntur Iudæi *symbolo lintei*, teste Rabbi Elia, qui emptionem sic initam dicit inde vocari *emptionem sudarij*, vel emptionem *linteam*. Vide de his fusè Abulensem, & Serarium.

Petes, Quomodo licuit Boozo ducere Rutham Moabitidem, cum Deut. 23. Moabitis in æternum negetur aditus in Ecclesiam Dei? Hanc ob causam dicit Beza Boozum peccasse. Sed respondeo, legem illam non de fœminis, sed de solis viris ita statuisse. Nam solorum virorum, inquit S. Augustinus, culpa fuerat ob quam pœna ista Moabitis inflicta esset, vt colligit ex Num. 22. Addit Abulensis & alteram causam, nempè, quod nati ex matre Moabitide, sed patre Iudæo, non erant, nec censebantur Moabitæ, sed Iudæi: nam filij referri solent ad genus, & stirpem patrum, non verò matrum suarum.

VARIETAS LECTIO NVM. à Vers. 9. ad 12.

Vulg. At ille maioribus natu, & vniuerso populo, Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noëmi.

Pag. Quod acquisiui omnia.

Arab. Quod iam accepi omnia.

Vulg. Et Ruth Moabitidem, vxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, vt fuscitem nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis.

Pag. Acquisiui mihi in vxorem ad fuscitandum, &c. & non excidat nomen defuncti, &c. à porta loci.

Calet. Et non excidetur nomen, &c.

Malu. Ad surgere facere nomen mortui.

Sep. Rom. Et non exterminabitur, &c. de tribu populi

sui.

Reg. Et non delebitur de porta.

Cald. Emi mihi in vxorem ad statuendum nomen iacentis super hereditatem eius.

Ionat. Vt defuncti nomen conseruem, ne nomen pereat, &c. & à senatu loci huius.

Syr. Ne obliuioni detur memoria mortui, &c. & de cognatione.

Vulg. Respondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ edificauerunt domum Israël: vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem.

Reg. Faciat virtutem.

Theod. Et erit nomen apud omnes homines celebre.

Cald. Quæ ædificauerunt ambæ illæ domum patris vestri, in duodecim virtutibus, &c. & sit vocatum nomen eius.

Ionat. Teque strenuum præbe, &c. ac nomen in Bethleemo assequaris.

Syr. Et benedixerunt eum, & dixerunt ei, &c. & fecit virtutes in Ephrata.

Arab. Auxerunt Ephratam.

Alij. Et fac opes Ephrata.

Vulg. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.

Malu. De excussa ista.

Sept. Rom. Ex ancilla hac.

Reg. Det ex puella hac tibi filios.

Ionat. Sit etiam domus tua prospera de prole, quam ex hac puella dabit,

Arab. Concedat tibi Dominus progeniem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT sit exemplum virtutis in Ephrata; Alij, Et fac strenuitatem. Fac opes, vel compara opes. *חיל* *chail* enim non solum pro virtute, strenuitate, sed & pro diuitiis sumitur. Prouerb. 31. vers. 29. Psalm. 48. vers. 12. Vnde exponunt, quasi dicerent: Precamur vt qui opes in hoc matrimonio non spectasti, opulentus ex eo fias: secundum Hebraïfantes legentes, *Fac virtutem in Ephrata, & voca nomen in Bethleem*, videtur adhortatio ad Booz referri. Ita & Syr. & Arab. & Cald. necnon & Tigur. Imò & Sept. Reg. licet Rom. & Basil. efferant hanc sententiam per tertiam pluralis Num. Et fecerunt, & ad Rachelem, & Liam videantur referre, at in nostra versione ad Ruth manifestum est referri. Dicamus vel esse enallagen personæ, vt secunda ponatur pro tertia, vt fit nonnunquam, & ita videtur sensisse Pag. qui vertit, faciat, vel vt sæpè fit in huiusmodi acclamationibus, & faustis ominationibus, à tertia persona transiri ad secundam, licet ad eandem Ruth referatur. *Et habeat celebre nomen in Bethleem; Alij, Voca tibi, compara nomen*, id est, famam tibi acquire.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 9.** **A**T ille maior. Hic consequenter describitur vxoris acceptio, vbi ad maiorem solemnitatem Booz dixit.

MENOC. *Omnia, quæ fuerunt Elimelech, Chelionis, & Mahalonis. Quia Chelione mortuo absque liberis, & Orpha ad suos reuersa, nec curante suscitare semen Chelioni, orania ad Mahalonem, seu Mahalonis heredem deuoluebantur.*

ESTIVS. **Y. 10.** *Vt suscitarem nomen defuncti, ne vocabulum eius deleatur.* Quæritur, quomodo hoc præstitum fuerit à Booz, cum Obed ex hoc coniugio natus, non fuerit vocatus filius Mahalon, vel Elimelech, sed Booz, tum hoc capite, tum alibi, & potissimum Matthæi cap. 1. in Genealogia Christi? Respondeo, quod Booz satisfecerit legi, quantum in ipso erat: Per eum namque non sterit, quominus filius ex Ruth susceptus, vocaretur filius Mahalon, vt qui id fieri non prohibuerit. Sed cum Booz esset vir diues & potens, alter autem penè ignotus, vt qui in aliena terra, vbi fame pressus, peregrinatus fuerat, mortuus esset, vulgò à vicinis

A Obed filius Booz, non filius Mahalon fuit appellatus; eaque appellatio deinde in vsu obtinuit.

Vocabulum eius. Nomen eius.

Faciat. Quia filij earum facti sunt capita 12. tribuum Israel: præponitur autem Rachel ipsi Lia, licet esset minor: quia fuit prima & principalis vxor ipsius Iacob, vt habetur Gen. 29. quia in illam primò consensit, licet alia sibi fraudulenter supposita fuerit.

Sicut Rachel, & Liam. Nominantur hæc, quæ etiam ipsæ patria relicta, Iacob secutæ sunt. II. quia & ipsæ à marito suo Iacob prolem petierunt. Gen. 30. 1. & 16.

In Ephrata. In Bethleem.

Fiatque. Hoc expressit, quia genealogisatio ipsius David inchoatur à Phares postea cum dicitur: *Hæ sunt genealogia, &c.*

Sicut domus Phares. Ex quinque familiis, quæ ex Iuda profeminatæ sunt, familia Phares, ex qua erant Bethlehemitæ, præcipua censebatur. Optant ergo Booz parem gloriam ex matrimonio, quod nunc init.

MENOC.

LYRAN.

Y. II.

MENOC.

LYRAN.

Y. 12.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 13. 14. & 15.

Vulg. Tulit itaque Booz Ruth & accepit vxorem: ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus vt conciperet, & pareret filium.

Arias. Dedit Dominus conceptum.

Sept. Rom. Conceptionem.

Ionat. Ex congressu cum illa diuino beneficio grauida facta est.

Vulg. Dixeruntque mulieres ad Noëmi: Benedictus Dominus, qui non est passus, vt deficeret successor familie tuæ, & vocaretur nomen eius in Israël.

Pag. Qui non cessare fecit sibi propinquum hodie.

Arias. Redemptorem vt vocetur nomen eius.

Guar. Qui non permisit, vt deficeret tibi cognatus.

Tigur. Vindex.

Sept. Rom. Qui non fecit tibi deesse hodie redemptorem, & vocet nomen tuum.

Reg. Non deficere propinquum.

Cald. Benedictum sit nomen Domini.

Ionat. Benedicta sit diuina maiestas ex quo non defuit, &c. cuius nomen ex iustis ex Israël recenseatur.

Syr. Qui non transulit tibi vindicatore à te.

Arab. Qui non priuauit te hærede.

Alij. Qui animum tuum recreaturus est, & celebretur nomen tuum.

Vulg. Et habeas qui consoletur animam tuam, & enutriet

senectutem, de nuru enim tua natus est, quæ te diligit: & multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios.

Pag. Et erit tibi ad quiescere faciendum animam, & ad alendum senectutem tuam quia nurus tua, quæ diligit te.

Arias. Et peperisti eum qui est melior, & erit tibi in reducentem animam.

Lyr. Abul. Qui te diligit peperit eum, quæ ipsa bona tibi præ septem filiis.

Tigur. Qui sit tibi reductor animæ tuæ.

Malu. Et erit tibi reuertere facientis animam, & ab vniuersitate decrepitudinem tuam.

Sept. Rom. Erit tibi in reuocantem animam, & ad maturandum caniciem tuam, &c. super septem filios.

Reg. Erit tibi in conuertentem animam, &c. quæ est bona tibi magis quam septem filij.

Cald. Ad sustentandam senectutem tuam in delitiis, illa fuit bona tibi in tempore viduitatis tuæ à multis filiis.

Ionat. Tibi sane vitam incolumem conseruabit, tuamque fouebit senectutem, &c. ipsa profecto in viduitate tua, tibi magis frugi fuit, quàm filij multi.

Syr. Et erit consolator animæ tuæ, & sustentator ciuitatis tuæ.

Arab. Consolabitur habitatores ciuitatis tuæ, &c. benefecit tibi præ septem.

ET vocaretur nomen eius in Israel; Alij, Et vocet nomen tuum. Puta illius pij vindicis, & redemptoris, qui propinquo suo defuncto semen excitauit, vt ante viri precati fuerant vers. 12. Nec penitus aliene referas ad Deum: *Benedictus Deus, qui non destituit te redemptore*: Et celebretur, & prædicetur nomen ipsius Iehouah in Israël, qui singulari hanc exhibuit erga te pietatem. *Et habeas, qui consoletur animam tuam*; Alij, *Et erit reducens animam tuam*, id est, reuocabit tibi animum desperanti de prole, quam numquam ne sperasses quidem, sed referendum esse ad nurum, liquet ex Hebr. in quo licet relatiuum נשא possit esse ambiguum, ad quem referatur, nurum, vel puerum, & verti debeat qui, vel quæ, ex verbo tamen adiuncto quod est præteritum, & fœminini generis, satis liquet ad nurum referri vertendumque, quæ te dilexit: Sic & Sept. ἡ ἀγαπίουσα σε, maluit tamen Vulg. per spræfens reddere, vt indicaret eas loqui de amore præterito, qui etiamnum continuaretur, & perseveraret. *Et multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios*; Alij, *Quæ ipsa bona tibi præ septem filiis*: Hoc enim referri debet ad nurum, hæc enim omnia sunt fœminini generis. Septem pro multis notissimo Hebraismo ponitur, quia numerus septenarius est numerus vniuersitatis.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 13.

Tvlit itaque Booz Ruth. Videtur quod fecerit contra inhibitionem Domini de ducendis alienigenis mulieribus, vt habetur Deut. 7. Dicendum quod illa inhibitiō fuit facta, ne per vxores alienigenas filij Israël traherentur ad idololatriam. Ista autem Ruth iam erat conuersa ad fidem & cultum vnius Dei, & per bonam vitam in hoc firmata, vt patet ex prædictis, propter quod dicta inhibitiō non habebat hîc locum. Sed Mahalon & Chelion non videntur excusari à dicta transgressione, quia ceperunt vxores Moabitidas, antequàm essent conuersæ ad fidem & cultum vnius Dei, quod videtur ex hoc, quod Orpha rediit ad Deos suos, vt dictum fuit, suprâ cap. 1. & per hoc quod Noëmi suadebat ipsi Ruth similiter reuerti, quod non fecisset si antè conuersa fuisset, quia non suauisset ei apostatari à fide & cultu vnius Dei veri.

Ingressusque. Hîc consequenter describitur prolis conceptio; cum dicitur.

A Et dedit illi. Vnde videtur quod non solum virtute naturæ, sed cum hoc gratia naturam iuuante, eò quod ita citò concepit de homine iam sene. Et hoc fuit concessum à Domino, quia Booz acceperat Ruth ex fraterna charitate ad suscitandum semen defuncti in sua hæreditate & ex obedientia legis, quæ ad hoc inducit, Deut. 25.

Dixeruntque. Hîc consequenter ponitur plebis congratulatio & gratiarum actio, cum dicitur: *Benedictus Dominus, &c.*

Et vocauerunt nomen eius. Quia filius sic natus dicebatur filius defuncti, licet alio nomine vocaretur, sicut iste vocatus est Obed, non Elimelech, aut Mahalon.

Et multo tibi melior. Hyperbolica est locutio ad congraudendum ipsi Noëmi: vel quia melius erat ei habere vnum nepotem de patre diuite & potente, quàm septem filios de patre paupere, qualis fuit Elimelech, in fine, vt dictum fuit suprâ cap. 1. Cætera patent vsque ibi.

LYRAN.
V. 14.LYRAN.
V. 15.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad vltimum.

Vulg. Susceptumque Noëmi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

Pag. Et fuit ei nutrix.

Arias. Et cepit natum.

Tigur. Posuit eum in gremium.

Caier. Et fuit ei in nutricem.

Malu. Et fuit ei fideli.

Cald. Fuit ei ad nutricem.

Ionat. Eique nutricis vice fuit.

Vulg. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: Natus est filius Noëmi: vocauerunt nomen eius Obed: hîc est pater Isai, patris Dauid.

Pag. Et vocauerunt eum vicinæ nomen dicendo, &c. & vocauerunt nomen eius Obed.

Malu. Vocauerunt ei conseruatrices nomen ad dicere, Genitus fuit filius.

Arab. Et dixerunt vicinæ eius: Iam natus est Naama filius, & vocatum est nomen eius.

Vulg. Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Efron.

Arab. Hæc est memoria generationis Phares.

Vulg. Efron genuit Aram, Aram genuit Aminadab.

Malu. Cherison genuit Ram.

Ita Cald. vterque.

Vulg. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon.

Ionat. Aminadabus autem genuit Nafonem: Nafon au-

tem princeps fuit domus paternæ videlicet Iudæ, & genuit Salman iustum illum qui fuit Bethleemita: Concursum verò quem cessare fecerant custodes, quos per vias collocauerat Ieroboamus scelerosus certè fuerunt patris imitatores filijque strenui, vt decebat.

Vulg. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed.

Ionat. Salmon autem genuit Absanum Iudicem. Ille est Boazus iustus, ob cuius æquitatem conseruatus fuit populus Israëliticus ab oppressione capitalium hostium suorum, per preces illius etiam soluta fuit fames ex terra Israëlitarum: Boazus autem genuit Obededum, qui pectore candido, D. O. M. coluit.

Vulg. Obed genuit Isai, Isai genuit Dauid.

Sept. Genuit Iesse.

Arab. Iesse genuit Dauidem regem, super quem præstantissima pax.

Ionat. Obededus genuit Isaium cui nomen serpentis factum, est, eo quod animam suam non impia fraude obligauerat, quia dominium in eum habuerit diabolus, adeò etiam longæuus fuit vt redierit Deus in memoriam consilij, quod serpens dedit ipsi Euæ vxori Adami de comedendo de fructu arboris, ex quo qui comederent serpentes fierent, ad discernendum inter bonum & malum, ob hoc sanè consilium, morti obnoxij facti sunt omnes terræ incolæ, eademque fraude mortem etiam sensit iustus, videlicet qui genuit Dauidem regem Israëlitarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nutricis ac gerulæ fungebatur officio. *Malu.* Et fuit ei fideli, quod explicat in fidelem, in nutritiam. *Vicinæ mulieres congratulantes.* *Malu.* Conseruatrices. Explicat, cohabitantes, vicinæ. *Efron genuit Aram*; Alij, *Ram.* *Vulg.* sequutus est Sept. qui tum hîc, tum i. Paralip. 1. Aram vocant, quomodo & Matth. 1. & Luc. 3. habetur. *Expositionem Paraphr.* *Ionat.* omittimus: Plura interserit quæ non sunt huius loci. *Obserua,* Salmon non idem esse quod Salomon, licet id velit Arias in apparatu Bibl. Reg Nam Salmon scribitur per sin, Salomon per Schin. Salomon etiam dicitur Hebr. שלמון *selomab*, habetque vltimam litteram He. שלמן Salmon autem vltimam litteram Nun, denique Salomon Hebr. idem est quod vestiens, Salomon vero idem quod pacificus.

ANNOTATIONES.

MENO C.
ŷ. 17.

Vocauerunt nomen eius Obed. Noëmi hoc illi nomen imposuit, vt censet Serarius quæst. 14. aliis mulieribus vicinis suadentibus, parentum enim est filiis nomina imponere. Obed significat *seruiens*, cuius nominis causas alij alias assignant. Ea verissima esse videtur, quod anui Noëmi omne obsequium, ac seruitutem exhibiturus esset, & senectutem illius curaturus, idque dicere, & ominari videntur vicinæ, dum dicunt num. 15. *Qui consoletur animam tuam, & enutriet senectutem.*

TIRINVS.

Isai patris David.] Non primò sed septimo loco ex eo prognati, vt dicitur 1. Paralip. 2. v. 13. Vide quàm promptum sit Deo, plebeios vulgaresque homines, etiam ad summum euehere fastigium dignitatis, cum è pauperula, externa & obscurissima muliercula Ruth, tot tantosque reges, adeoque & ipsum quoque Regem regum Christum profeminari voluerit? Vnde & ab Hebræis *Ruth* vocari solet *Emah malculth*, id est *mater regni*, putà Iudaici.

A Allegoricè Booz Christum Dominum, Ruth Ecclesiam præfigurasse: Moraliter, perfectissimarum virtutum exempla fuisse, docent Dionysius Carthusianus, Hugo Victorinus, Feuarentius & Serarius, ex SS. Ambr. Hieron. Chrysof. Petro Damiano & Isidoro. Sed præ omnibus elegantissimè Lud. de Puente, in priori parte Ducis sui spiritualis.

Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz. Non improbabiler aliqui putant omitti hic parentes aliquot medios, ob distantiam temporum inter Naasson, & Booz. Vide Iansenium cap. 7. in Concord. Euang. Et licet hæc genealogia texatur eodem modo 1. Par. cap. 2. Matth. 1. & Lucæ 3. nihil tamen hoc impedit, quin aliqui medij potuerint esse omitti. Nempe, quia Matthæus & Lucas ex hoc loco accepisse potuerunt.

Salmon genuit. Tres fuerunt Booz sibi succedentes hic comprehensi sub vno nomine, sicut dictum est supra cap. 2. ESTIVS,
ŷ. 20.
LYRAN.
ŷ. 21.

FINIS LIBRI RVTH.





LIBER PRIMVS REGVM.

LIBRi Regum recto temporum ordine proximè sequuntur librum Iudicum. Cuius appendix est liber Ruth. Post Iudices enim regnarunt reges in Israële: quorum gesta hîc describuntur, ideoque libri Regum nuncupantur. His 4. Regum libris Spiritus sanctus prosequitur historiam Gentis Iudaicæ, siue Synagogæ veteris, quia ab eo facta est mutatio regiminis Aristocratici in Monarchicum & regalem. In 1. Lib. agitur de ortu, educatione, & principatu Samuelis, ac de regno & morte Saulis. In 2. agitur de regno Dauidis, qui Sauli à Deo per inobedientiam reiecto, à Samuele iussu Dei subrogatus est: quocirca hi duo primi apud Hebr. vocantur libri Samuelis, siue quia à Samuelis gestis incipiunt, siue quod gesta Saulis & Dauidis gesta Samuelis censeantur: eo quod Samuel eos reges constituit: Duo posteriores libri enarrant acta Salomonis, qui Dauidi patri successit, eiusque filiorum & nepotum qui in Iuda à Salomone vsque ad vltimum Sedeciam regnarunt. Item gesta Ieroboam, & posterorum eius, qui schisma facientes à Roboam & Iuda in Israële id est, in 10. Tribubus, regnarunt vsque ad vltimum regem Osee, qui à Salmanasar captiuus abductus est in Assyriam anno 6. Ezechiaë regis Iuda. Igitur hi duo libri historiam omnem Regum, tam Iuda quam Israël à primo ad vltimum per annos 430. pertexunt.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Stirps Samuelis, quem Anna mater voto & precibus obtinet à Deo: & ab lactatum offert pontifici Heli in Silo, vt seruiat eternum Domino.

I.



Vit vir vnus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephratæus: 2. & habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi. 3. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius & filiabus partes: 5. Annæ autem dedit partem vnã tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluderat vuluam eius. 6. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod Dominus concludisset vuluam eius: 7. sicque faciebat per singulos annos, cùm redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic pro-

uocabat eam, porrò illa flebat, & non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filij? 9. Surrexit autem Anna postquam comederat & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, 10. cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, 11. & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius. 12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius. 13. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam, 14. dixitque ei: Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. 15. Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini, 16. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mœroris mei, locuta sum vsque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. 18. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. 19. Et surrexerunt manè & adorauerunt coram Domino, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam: & recordatus est eius Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel: eo quod à Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum, 22. & Anna non ascendit: dixit enim viro suo, Non vadam, donec ablaçtetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter. 23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablaçtes eum: precorque vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte. 24. Et adduxit eum secum, postquam ablaçtauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: 25. & immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna: Obsecro mi domine, viuat anima tua domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hîc orans Dominum. 27. Pro puero isto orauit, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulauit eum. 28. Idcirco & ego commodauit eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna, & ait.

VARIETAS LECTIONVM. *Verf. i. & 2.*

Vulg. Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrataeus.
Pag. Filij Zuph Ephrataei.
Guar. Et fuit vir quidam.
Sept. Rom. Homo fuit de Aramathæon Sipa, &c. filius Ieremeel, filij Eliu, filij Thou in Nasib Ephraim.
Reg. Et fuit homo vnus de Aramathaim Sophim, &c. filius Ieroam, &c. filij Soph.
Cald. Et fuit vir vnus de Ramatha ex discipulis prophetarum, ex monte domus Ephraim, &c. vir diuidens

partem in sanctis, in monte domus Ephraim.
Syr. Fuit vir quidam à colle specularum.
Arab. A colle explorationis.
Alij. E duplici Rama Tzophæorum.
Vulg. Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi.
Pag. Non fuerunt nati.
Arias. Et non fuit nati.
Sept. Rom. Non erat filius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fuit vir vnus; Alij, *Et fuit*, sed hîc & non copulat, sed tantum vertit futurum in præteritum. *De Ramathaim;* Alij, *De Aramathaim.* Est quidem in Hebr. cum articulo notificatio: solent enim Hebræi efferre propria nomina, quæ ex appellatiuis propria euadunt. *Sophim;* Alij, *E colle specularum, explorationis.* Hebr. צופים *sophim*, speculam significat: Alij exponunt de duplici Ramatha, quæ erat Ramath specularium, seu speculatorum, id est in qua habitabant speculatores, hoc est prophetæ, siue viri sacrarum litterarum studiosi. Propheta speculator vocatur Ezech. 3. Sic *Cald.* Paraphr. Nonnulli tamen putant dictam Ramathaim speculatores, quòd ibi speculatores ad custodiam regionis impositi, speculas, seu excubias agerent. Ramathaim autem est nomen duale, quia vt aliqui volunt, hæc vrbs erat bipartita, & bicollis, vt pote in monte bicipiti siue bicolli sita. Alij volunt dici Ramathaim in duali hanc urbem eo quòd vicina esset alteri Ramæ, quæ erat in tribu Benjamin: quia duæ hæ vrbes ob vicinitatem in vnum corpus coaluisse videbantur. *Ephrataeus;* Alij, *Ephrataei*, quia istud ad Suph referri nolunt: Habitatat etiam in Ephraim, vt & maiores sui, sed *Vulg.* retulit ad Elcanam. *Rom. Sept.* habent. *In Nasib Ephrem, év vâonß,* sed *Reg.* & alij *Codices* *ἐξ ὄρους.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** **F**uit vir vnus. Circa materiam istius libr. & Paral. sic **A**rum. Primus qui vocatur Samuel, continens 1. & 2. libr. proceditur. Quia primò describitur populi Israel per Regum. Secundus vocatur Malachim, id est regum, continens tertium & quartum. Prima adhuc in duas: quia primo agitur de rege seu de regno Israël ex electione: secundo ex paterna successione lib. 2. Circa primum sciendum: quod ibi inchoatur vnus modus regiminis sub iudicibus: secundo de inchoatione regiminis sub regibus cap. 9.

Circa primum sciendum: quod occasio terminationis regiminis Iudicum: & petendi regem super populū, fuit malitia filiorum Heli & natiuitas Samuelis: vt habetur inf. c. 8. Et ideo primò agitur de natiuitate Samuelis sub Heli iudice: secundò de malitia filiorum vtriusque cap. 2. ibi. *Porro filij Heli, filij Belial.* Prima in tres: quia primò describitur ipsius Annæ petitio: secundò petitionis exauditio, ibi: *Cognouit autem Elcana:* tertio gratiarum actio ibi: *Et orauit Anna.* Prima adhuc in duas: quia primo describitur occasio petendi: secundò modus postulandi, ibi, *Surrexit autem Anna.* Occasio autem petitionis Annæ fuit malitia Phenennæ exprobrantis ei sterilitatem etiam in diebus solennibus quando esse debebat in quiete orationis: & hoc est quod dicitur.

Fuit vir vnus de Ramathaim. Per m, in fine debet scribi: quia sic est in Hebræo, & Ramathaim vna dictio. Ex quo patet error illorum qui scribunt n, in fine, facientes inde duas dictiones: ita quod ly in, sit præpositio iuncta cum dictione sequente, vt Ramatha sit nomen villæ, & Sophim nomen regionis in qua est Ramatha. Et hoc dictum procedit ex ignorantia Hebraicæ veritatis. Sic igitur exponunt Hebræi de Ramathaim Sophim: id est, de excelsis respicientibus, quia sunt ibi duo montes mutuo se respicientes. Aliter exponunt alij de Ramathaim Sophim, id est, de excelsis respicientium vel speculantium, quia ly *Sophim*, quod est pluralis numeri indifferenter potest stare pro quolibet casu, eo quod nomina Hebraicæ sunt indeclinabilia. Et dicuntur excelsa respicientium, quia inde potest videri longè. Secundum alias vero dicuntur excelsa speculantium, quia ibi habitabant viri in lege studiosi.

Et nomen, &c. Iste fuit Leuita de filiis Core vt habetur i. Paral. 6. *Ephraeus.* Non quod esset de tribu Ephraim, sed quia manebat in monte Ephraim, vt prædictum est, sicut aliquis dicitur ciuis parisienfis, quamuis sit natione Anglus. Aliqui vero dicunt quòd dicitur Ephraeus, ab Ephrata, quæ alio nomine dicitur Bethlehem, eò quòd mater eius fuit de Bethlehem, sed hoc non est verisimile, quia filij non cognominantur à matribus, sed patribus.

EST IVS. *Fuit vir vnus de monte Ephraim, & nomen eius Elcana.* Idem hîc vocatur paulo post quoque Ephraeus. Quo posteriori loco quidam putant intelligi illum Bethleemitam ab Ephrata, id est, Bethleem, vt auctor quæst. in lib. Reg. apud Hieronymum. Verum Ephraeus non tantum ab Ephrata, sed etiam ab Ephraim dicitur.

MEN OC. *Ramathaim.* Non vna fuit Rama, sed duæ saltem, quod vox dualis *Ramathaim*, significat; quasi diceret sacer textus, ex duabus Ramath illa, quæ Sophim dicitur patria fuit Elcanæ. Saligniacus tamen cap. 3. tit. 6. quinque huius nominis ciuitates facit Dicebatur hoc oppidum etiam

A Ramatha, vt patet infra num. 19. & aliqui volunt esse idem cum Arimathia, ex qua Ioseph, qui Christum de cruce deposuit.

Sophim. Quæ vox speculam significat, ita dicta vrbs vel quòd in edito esset loco, iuxta vocis Rama interpretationem, quæ excelsam significat; vel quòd turris aliqua ibi extructa esset, è qua distita longè loca speculari liceret.

De monte Ephraim. Vide dicta Iudic. cap. 17. num. 1. Habebat Elcana in monte Ephraim, sed ipse alioqui erat de tribu Leui, ex filiis Core, vide i. Paralip. 6.

Nomen vni Anna, &c. Duas habuit vxores, illo enim æuo licita erat polygamia. Anna primaria erat, & mater familias, Phenenna thori tantum consors, vxorque secundaria, quales vxores scriptura vocat concubinas.

Ascendebat vir ille, &c. Tribus anni temporibus à lege constitutis. Deut. 16. v. 16. *In solemnitate Azymorum* (hoc est Paschate) *in solemnitate hebdomadarum* (hoc est Pentecoste) & *in solemnitate Tabernaculorum*, quæ etiam dicebatur Scenopegia.

Sacrificaret. Non per se, sed per sacerdotes.

In Silo. Qui Adrichomio mons est altissimus terræ sanctæ, quare meritò dicitur eò ascendisse Elcana de Ramatha, quæ licet excelsa esset, adhuc tamen Silo tabernaculi locus altior erat. Porro tabernaculum fuit in Silo à Iosué temporibus vsque ad tempus Heli, quando arca à Philistæis capta est annis ferè 360.

Vir Ephraeus. Vocatur Elcana, seu Ephramira, non quòd genus duceret ex tribu Ephraim, (nam erat ex tribu Leui, vt apertè dicitur i. Paralip. 6. versu 33.) sed quia in ciuitate Leuitica Rama, sita in tribu Ephraim, natus erat & educatus. Quomodo in Actis Apostolorum multi Iudæi appellantur Cretes, Arabes, Græci, &c. ea solum de causa, quòd in Creta, Arabia, Græcia nati vel educati essent, vel domicilium fixissent. Ponitur verò Rama hîc in numero duali Ramathaim, quòd duplex esset ciuitas, seu duabus constans partibus, quarum vna videtur inferiori loco sita fuisse, altera superiori, & quasi in monte, vnde additur hîc Sophim, id est specula: vt designetur, Elcanam ex ea vrbs parte ortum traxisse quæ superior erat, & quasi Specula, longè lateque quidquid circum actitaretur, detegere posset. Stephanus Ragusinus, citatus à Duce Raxiuilio, putat hanc Ramatha illam esse ciuitatem, quæ subsecutis temporibus, præfixa littera A, dicta fuit Arimathia, cuius ciuis fuit ille Iosephus, qui Christum Dominum è cruce deposuit: tempore S. Hieronymi nominabatur Remphtis, hodie Ramula à Turcis vocatur: in qua præcelsæ turres, in quibus lampades perpetuæ, inquit Saligniacus, & ex eo Serarius.

Et habuit duas vxores, &c. Prima enim, scilicet Anna, fuit sterilis, & ideo aliam superduxit.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 3. 4. & 5.

Vulg. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, sacerdotes Domini.

Pag. Annuatim ad adorandum & immolandum, &c.]

Mont. A diebus in dies ad incuruandum.

Malu. Ad procumbere se facere.

Sept. Rom. Ex diebus in dies de ciuitate sua, de Aramathaim.

Reg. Sacerdotes Dei.

Cald. A tempore solemnitatis ad solemnitatem, &c. ministri coram Domino.

Syr. De tempore ad tempus.

Arab. Ad offerendum sacrificia Domino potentissimo in Silo.

Vulg. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius & filiabus partes.

Pag. Et fuit dies.

Arias. Dedit distributiones.

Vatab. Portiunculas.

Alij. Missiones.

Sept. Rom. Et facta est dies, &c. & filiis eius.

Reg. habent. [Et filiis, & filiabus.]

Cald. Et fuit dies solemnitatis.

Syr. Accidit autem quadam die.

Arab. Cum itaque adfuisset dies peregrinationis, peregrinatus est Elcana, & cum obtulisset sacrificia, dedit Phenennæ, de sacrificiis suis, deditque omnibus filiis & filiabus eius partes eorum.

Vulg. Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluderat vuluam eius.

Pag. Dedit illi partem vnam honorabilem.

Arias. Dedit distributionem vnam facierum.

Ita & Isid. Clar.

Tigur. Annæ duntaxat dabat partem vnam demisso vultu.]

Malu. Dedit portionem vnam narium, &c. & luh clausit matricem eius.

Sept. Rom. Dedit portionem vnam, quia non erat filius, verumtamen Annam diligebat super hanc, &c. circa vulnam eius.

Reg. Dedit secundum faciem: verum, quia diligebat Annam magis quam Phenennam, & Dominus conclusit.
Cald. Dedit partem electam, &c. & ex ante Dominum prohibitus fuit ab ea natus.
Syr. Annæ vero dedisset partem vnam duplam.

Arab. Dedit partem vberem duplo maiorem his quas dederat illis.

Alij. Dabat vnam partem facie. *Alij.* Furorum.

Alij. Dabat vnam partem tristem.

Alij. Annæ tristi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Statutis diebus; *Alij*, *A diebus in dies*. *A tempore solemnitatis ad solemnitatem*, *Annuatim*, &c. sed omnes eò tendunt quasi dicerent per singulos annos, sed eorum translatio indefinita est, & non explicat quoties in anno ascenderit: Expressior est igitur Latina, *statutis diebus*, nisi velis dicere, vtramque simul coniungi debere, vt Exod. 13. Custodies huiusmodi cultum statuto tempore, à diebus in dies, hoc est certis diebus per singulos annos: *Dedit partes*; *Alij*, *Distributiones*; *Missiones*, hoc est fercula, nempe partes quæ ex sacrificio superfuerant, non autem vestes præciosiores, vt Sept. Rom. solum habent, *Et filiis*, sed *alij* Codices Græci addunt, *Et filiabus*.

Partem vnam tristis; *Alij*, *Partem facierum*, *honorabilem*, &c. Hebr. est מַנַּח אֶפְהַיִם *manach aphaïm*, id est partes facierum (licet *alij* aliter sentiant) quod Dei oculos ad se raperent. Vatab. legens *portionem iræ*, &c. in idem recidit, quod *alij* vertunt. *Præcipuam honorabilem*; *Alij*, *Partem duplicem*, id est partem vnam æquipollentem duabus. *Tristis*; *Alij*, *Demisso vultu*. Non est in Hebr. aliquod nomen quo propriè tristis significetur, sed solum nomen אֶפְהַיִם *aphaïm*, quod propriè significat faciem, & translata ab effectu, iram, furorem, tristitiam, quæ præcipuè in facie cernuntur. Aliter hoc nomen ab aliis sumitur; quidam enim cum parte iungunt, *partem vnam tristem*, nempe ab effectu, quia posset Anna tristitiam inferre. *Alij*, cum Anna, *Anna tristi*, quod vnam tantum partem acceperit, plures *amula eius recipientes*; Vulg. tandem cum pluribus aliis, cum Elcana, *tristis Elcana*, quia non poterat tantum Annæ dare, quantum vellet. Omnes quidem hæ constructiones admitti possunt, sed tertiã præferenda. Demisso vultu dicitur à Vatabl. Elcanam dedisse, quia qui amat, pudore suffunditur dum parua donat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 3.** **E**T ascendebat, &c. Id est in festo Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum. Istitis enim tribus temporibus debebat apparere omne masculinum coram Domino, vt habetur Exod. 23. verum tamen aliquando parcebatur populo de duabus festiuitatibus vltimis, propter longitudinem viæ ad locum cultus diuini vel alia causa rationabili. Vtrum autem iste ascenderet semel in anno, vel pluries, non habetur expressè in textu. Videtur tamen magis, eò quod subdit postea. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore, &c. *Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni*. Sic debet scribi per *i* in fine.

TIRINVS *Ascendebat statutis diebus*. Ter in anno, purà in festo Paschæ, Pentecostes & Scenopegiæ, vt statuit Deus Deut. 16. *Ascendebat*, inquam, etiam propriè dicto ascensu: nam licet Ramatha in monte sita esset, vt iam dixi: Silo tamen, vbi tabernaculum erat iam in die à temporibus Iosué, longè altiori loco erat, teste Adrichomio, qui ait: *Silo mons altissimus est omnium in circuitu Ierusalem: atque adeo supereminet vniuersis terra sancta montibus*.

LYRAN. **Y. 4.** *Deditque Phenenna uxori suæ, &c.* Id est nouas vestes pro solemnitate vt dicunt aliqui: Melius tamen videtur scilicet quod per hoc intelligantur partes sacrificij: faciebat enim Elcana hostiam pacificam Domino pro gratiarum actione, de qua vna pars incendebatur super altare: scilicet adeps, reliqua erant sacerdotis, vt pectusculum & armus dexter, reliquæ carnes erant offerentis, & de istis dabat partes filiis & filiabus & vxoribus, quasi quid sacrum.

ESTIVS. *Venit ergo dies, & immolauit Elcana*. Nota, dicitur immolasse, quia hostiam sacerdoti attulit offerendam pro se, suæque familia. Sic ergo intelligendum quoque, quod filius eius Samuel aliquando obtulisse legitur: nimirum opera sacerdotum, cum ipse sacerdos non esset, iuxta illud Psal. 98. *Moses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius*. Sic & Saul, Dauid, Salomon, Absalon, imo & Manasses, 2. Paralip. 33. immolasse dicuntur victimas, & pacifica & laudem super altare Domini: nempe quia victimas præbebant immolandas per sacerdotes. Vide etiam Hieronymum lib. 1. contra Iovinian. clare ex genealogia Samuelis ostendentem, eum non fuisse sacerdotem. Atque item lib. contra Vigilant. Samuelem vocat, minime taciturus eo loco, vbi dignitatem

A eius prædicat, si sacerdos fuisset. Contra tamen obiicitur illud 1. Reg. 9. *Quia ipse benedicit hostia*. Sed vide eius loci annotat.

Venit ergo dies. Festus aliquis ex tribus memoratis nu. 3.

Immolauit Elcana. Hostias pacificas, cuius bona pars ad MENOC offerentem post immolationem redibat, ex quibus offerens cum domesticis suis vesci poterat, vide Leuit. 3. & 7. & Deut. 12. & cap. 16. nu. 12.

Partes. Ciborum, immolatarum carniū.

Venit ergo dies. Vnus ex tribus iam dictis.

Et immolauit Elcana. Scilicet hostiam pacificam: nam **TIRINVS** ex ea sola redibat bona pars ad offerentem. In holocausto totum igni absumebatur: hostiam pro peccato totam sibi sacerdotes ex lege vendicabant: ex pacifica verò solus adeps Deo adurebatur, armus & pectusculum sacerdoti cedebat; quidquid erat reliquum, reddebatur offerentibus, vt ex eo epularentur cum quibus vellent, dummodò in vrbe sacra, & loco mundo, vt dixi Leuit. 7. & Deut. 12. Ex his victimis pro numero capitum diuisis, distribuere pater familias cuique coniuæ partem seu portionem suam. Sed hanc suam portionem Anna, licet primaria vxor Elcanæ & domina familias, quia à Phenenna secundaria vxore, & perpetua æmula, ob sterilitatem (vt olim Sara ab Agar) amarit probris lacerata, animo indignante, stomacho fastidiente capere non poterat.

Anna autem dedit partem vnam tristis. Non scilicet de datione, sed quia non habebat liberos de Anna, quibus **LYRAN.** partes darentur, ideo subditur. **Y. 5.**

Quia Annam diligebat. Propter quod magis tristabatur de sterilitate ipsius. In Hebræo habetur. *Vnam partem pulchram, vel duplicem*, cuius ratio subditur: *Quia Annam diligebat*, & in hoc volebat honorare eam.

Partem vnam tristis. In Hebr. pro tristis, est, *facierum*, id est, *honorabilem*, vt reddit Rabbi Dauid, vel electam, vt **MENOC** habet **Caldæus**. Verum quia vox Hebraica etiam *furorem, iram, tristitiamque* significat, pars ista sic dicitur, quod significatione illa benevolentia electo illo cibo exhibitæ, tristitia iraque Annæ leniri posset.

Dominus concluderat vuluam eius. Qua phrasi Hebræa sterilitatem significant. Sic de se Sara Gen. 6. v. 2. ait: *Conclusit me Dominus ne parerem*.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 6. & 7.

Vulg. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod Tom. IV.

Dominus concludisset vuluam eius.
Pag. Irritabat eam inimica eius.

Ihdor. Etiam ira, propterea quòd impropertit ei.
Arias. Angustiatrix eius, &c. vt fremere eam faceret.
Caiet. Et coangustabit, &c. vt faciat irasci eam.
Vatab. Prouocabat autem eam ad iram.
Tigur. Porro diuexatrix eius.
Malu. Et commouebit eam coangustiatrix eius etiam commotione in transitione attonare eam, quia claudit in vsque ad matricem eius.
Sept. Rom. Quia non dedit ei Dominus filium secundum tribulationem eius, & secundum tristitiam tribulationis eius, & tristabatur propter hoc.
Reg. Et affligebat eam & irritatione eo quòd sperneret ipsam, &c. vt non daret ei filium.
Cald. Etiam prouocans illam vt ad inuidiam duceret illam, quoniam vetitus fuit ab ante Dominum ab eâ natus.
Syr. Prouocabat eam quatenus tædio afficeretur.
Arab. Et riuialis eius eam æmulabatur, & ad eam con-

citabat; volens per idem affligere ob sterilitatem, quâ affecerat eam Dominus.
Alij. Vt murmurare, vel conqueri faceret eam.
Vulg. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic prouocabat eam, porro illa flebat, & non capiebat cibum.
Pag. Annuatim à tempore, quo ascendebat ipsa ad domum Dei, sic irritabat eam.
Malu. Et sic faciet anno in anno de sufficientia ascendere eam, sic commonebit eam, & lachrymata fuit, & non comedet.
Sept. Rom. Et tristabatur, & plorabat.
Cald. Sic fecit anno in anno, in tempore ascendendi ad domum sanctuarij Domini.
Syr. Prouocabat eam ad iram adeo vt fletet.
Arab. Exasperans eam, &c. quapropter nec gustauit quicquam.
Alij. Quamquam is annuâ vice id faceret.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Affligebat quoque eam; Alij, Coangustabat, irritabat, כעס *cighas* in pihel, tantum hîc, & Deut. 32. reperitur: Et hæc omnia subsunt, & commouebat, irritabat, irasci faciebat, contristabat, prouocabat, laceſſebat, & vehementer angebat. Hebr. etiam כעס *caghas* nomen eiusdem verbi commotionem, prouocationem, exſtimationem dicit. *Emula eius;* Alij, *Angustiatrix, riuialis eius.* Hebr. צרתה *tsaratha*, quæ omnia hæc cõplectitur, aduersatrix, infestatrix, inimica, riuialis eius: *In tantum vt exprobraret;* Alij, *Vt faciat eam irasci, &c.* Verbum רעס *raghas*, in hiphil, varia etiam significata admittit, sed etiam tonare, seu intonare, & ita semper à nostro Vulg. redditum præterquam hîc. Notant Hebr. commotionem, fremitum, indignationem, vnde Malu. transtulit, *attonare eam*, optimo Hebraismo, quasi diceret; Obtundebat eam, & quasi quodam tonitru concutiebat eam, & attonitam, & stupeſcentem reddebat. Alij reddunt, *vt murmurare, vel conqueri faceret eam*, vnde notant apud Cald pro Hebræo נלון *passim esse* ארעס *murmurauit*: significat enim רעס *ragham* murmurare, ac strepitum edere, non tantum, qualis est nubium tonantium, sed etiam qualis est maris tempeſtate commoti, Psal. 96. v. 11. Ergo & qualis est hominis conquerentis, & statum suum deplorantis.

Sicque faciebat; Alij, *Quamquam is annuâ vice sic faceret*: non enim id ad Phenennam, *faciebat*, est referendum; sed ad Elcanam, est enim verbum in Hebr. masculinum, יעשה *iaghase*. *Ascenderent;* Alij, *Ascenderet ipsa*: Aliis ascendentibus etiam ipsa ascendebat, sed exprobrans. *Ad templum Domini;* Alij, *Ad domum Dei*, non erat enim tunc templum Salomonis ædificatum, sed tabernaculum Moyſis, quod in Silo constitutum erat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**ffligebat quoque eam, emula eius. Id est, Phenenna, v. 6. dicendo ei verba pungitiua, intantum vt ei exprobraret sterilitatem.
 MENOC. *Affligebat quoque eam emula eius.* Quotidiano conuitio sterilitatem exprobrans.
 LYRAN. *Porro flebat.* Præ tristitia.
 V. 7. *Et non capiebat cibum.* Id est, parum de cibo capiebat: & quod modicum est quasi nihil reputatur, vt habetur 2. Physicorum.
 MENOC. *Cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini.* Occasio eo tempore exprobrandi duplex videtur fuisse:

A Altera quod Phenenna sciret Annam vt in votis habebat fecunditatem, ita illam à Domino postulare tunc potissimum cum ascenderet ad locum Tabernaculi. Exprobrabat ergo, quasi Deus illi iratus quod postulabat, concessurus non esset. Altera frequentius Annam incessendi causa erat, quod occasione itineris cum marito Elcana, simul ipsa ferè semper agere cogerentur, cuiusmodi necessitatem domi non habebant, vbi cum in diuersis conclauiibus habitarent, commodius Phenennæ exprobrationes Anna poterat declinare.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 11.

Vulg. Dixitque ei Elcana vir suus, Anna, cur fles, & quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum, nunquid non ego tibi melior sum, quam decem filij? *Pag.* Vt quid malè se habet cor tuum?
Arias. Vt quid flebis, & vt quid non comedes, nonne ego bonus tibi præ filiis?
Vatab. Nonne præstantior?
Tigur. Cur turbatur cor?
Malu. Ad quid malum cor?
Sept. Rom. Dixit ei Elcana, &c. Anna, & dixit ei, Ecce ego Domine, & dixit ad eam, &c. vt quid verberat te cor tuum?
Reg. Quare affligit te cor tuum?
Cald. Cur malè est cordi tuo? Nonne voluntas mea bona tibi à decem filiis?
Arab. Quid rei est, quòd cibum minimè gustaueris, & cur video te iniquo animo?
Vulg. Surrexit autem Anna, postquam comederat & bi-

berat in Silo, & Heli sacerdote sedente super sellam, ante postes templi Domini.
Pag. Postquam comederant & biberant in Siloh, &c. super solium iuxta postem.
Malu. Super thronum super postem basilicæ Ihu.
Sept. Surrexit, &c. & stetit coram Domino & Heli sacerdos, &c. super limina templi.
Reg. non habent. Et stetit coram Domino, sed quod sequitur, sedebat Heli in liminibus.
Cald. In latere postis.
Arab. Ascendit ad domum Domini.
Vulg. Cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter.
Arias. Orauit super Dominum, & flendo fleuit.
Malu. Et ipsa amara animæ, & ipsa interpellare se fecit super Ihu.
Sept. Rom. Et ipsa mœsta animo.
Arab. Flebatque dum oraret.

Vulg. Et votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.

Malu. Si videbis in afflictione ancillæ tuæ, &c. & dabis semen hominum.

Sept. Adonai Domine Eloë Sabaoth, si respiciens respexeris super humiliationem, &c. dabo eum coram te vsque ad diem mortis eius, & vinum, & ebriamentum

non bibet, & ferrum non ascendet, &c.

Reg. Si videris humilitatem.

Cald. Iuravit iuramentum, &c. si reuelare reuelabitur ante te humilitas, &c. & intrabit memoria mei ante te, & non elongabis ancillam tuam, & dabis filium in medio filiorum hominis, tradam eum, quod erit ministrans ante Dominum.

Syr. Si respicias omnino subiectionem, &c. addicam illud Domino, nempe semen.

Arab. O Domine potentia, & veritatis, &c. constituam tuum ministrum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quamobrem affligitur cor tuum? &c. Omnes hæc lectiones inter se conueniunt, nec non & in verbo Hebraico ירַגַח, à radice ירַגַח roach, quod est affligere, conterere, malignari. Postquam ederat, & biberat. Cald. Postquam comederat, & biberunt, quasi ipsa solum comedisset, reliqui autem insuper eius familiares & bibiscent: quod fortè dixit modestiæ causa, ne fœminæ quæ in potu frugalior esse debet, actum bibendi tribueret, vel certe quòd vinum & omne quod inebriare potest, non biberit; quicquid sit de alio potu, quem solum hoc loco secundum *Vulg.* significabitur accepisse. Imo & *Sept.* Rom. omnino tacent actum bibendi illum, fortasse *Reg.* exprimunt vtrumque, ita tamen vt neutrum Annæ tribuere videantur, sed familiaribus, sic enim vertunt: Surrexit Anna postquam ipsa comederunt, & biberunt. Heli sedente super sellam; Alij, Thronum, solium, erat enim iudiciarius thronus, & sedes Pontificis. Ante postes templi Domini; Alij, Super postem basilicæ, super limina, hoc est, in ipso vestibulo, vbi sedebat iudicaturus.

Oravit ad Dominum: *Sept.* Six. addunt, stetit coram Domino: standi autem verbum non significat hîc statum erectum, sed præsentiam, aut assistentiam, genibus enim flexis orabat. Flens largiter; Alij, Flens fleuit, quæ verborum geminatio, Hebraismus est, quo ingens lachrymarum copia significatur. Votum vouit. Cald. Et iuravit iuramentum, sed idem est, nam iuramenti nomine quælibet promissio, aut firmum propositum indicatur: Dabo eum, &c. *Sept.* Rom. addunt, Vinum & ebriamentum non bibet, quæ *Theod.* etiam agnoscit, sed absunt ab aliis codicibus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ŷ. 8.* **N**unquid non ego melior sum tibi quam decem filij? **A** Quod exponunt Hebræi de pueris Phenennæ. Quasi dicat: intantum diligo te, quòd ego sum melior tibi quam decem filij Phenennæ matri suæ: hoc dicens ad ipsius consolationem. Alij exponunt, quàm decem filij, id est, quàm si haberes decem filios. Sed ista expositio non videtur rationabilis: quia si haberet decem filios, non propter hoc excluderetur amor Elcanæ ad ipsam vel minueretur, sed magis includeretur & augetur.

MENOC. *Nunquid non ego melior tibi sum quam decem filij?* Illa fœmina fortunata creditur, quæ virum habet honestum, nobilem, & sui amantem, & cum quo illi bene conuenit. Talis erat Elcana, qui hinc petit argumentum vt probet se viuente, & sospite non debere Annam tanto prolis desiderio se conficere.

LYRAN. *ŷ. 9.* **Surrexit autem Anna, &c.** Hic consequenter describitur modus orandi humilis & deuotus, cum dicitur: Surrexit autem Anna. Vt iret ad locum orationis iuxta tabernaculum.

Postquam comederat. Ex quo patet quòd suprâ dictum est, scilicet quòd comederat aliquid: licet modicum.

Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini. Id est, super sedem magnam & honorabilem, vt dicunt Hebræi: Ex hac sessione dicentes, quòd illa die fuit institutus iudex super populum. Sed hoc non videtur verum, quia infra cap. 4. dicitur, quòd ipse iudicauit Israël quadraginta annis. Item capitulo sequenti dicitur, quòd Samuel adhuc iuvene existente, Heli erat senex valde. Ex quo videtur quòd per plures annos fuit iudex ante natiuitatem Samuelis, qui conceptus fuit & natus eodem anno quo mater eius oravit pro ipso habendo, vt confitentur Hebræi, & satis apparet ex sequentibus. Nec valet morium allegatum, quia infra cap. 4. dicitur: Heli sedebat super sellam, de qua cecidit & mortuus est, vt ibidem dicitur: ex qua sessione non potest dici quòd illa die fuerit factus iudex, nec similiter ex ista.

MENOC. *Postquam comederat, & biberat.* Obsecuta ergo est suasionibus mariti.

In Silo. Vel in priuata aliqua domo, vel coram Domino, id est, in vestibulo atrij. Vide dicta Deut. 12. v. 16. vide etiam Deut. 16. v. 11.

Heli sedente ante postes templi. Vt ad se venire volentibus facultas esset. Nomine templi intelligitur atrium, quòd Tom. IV.

circa tabernaculum erat, nondum enim erat extructum templum.

Et nouacula non ascendet super caput eius. Ex hoc datur intelligi: quòd deberet tenere ritum Nazaræum, sicut dictum fuit Iudicum 13. de Samfone.

Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius. Quæritur quorsum promittat se eum daturam Domino, cum ipso iure Domini esset, tanquam Leuita? Nam tota Leuitica tribus erat Domino consecrata, ad vsum sacri ministerij. Respondeo, ita quidem, sed non omnes debebant, nec poterant actu seruire in tabernaculo. Multi enim habitabant dispersi per omnes tribus, in quibus & separatas habebant vrbes, & suburbana, vt patet ex libro Iosué. Erant ergo omnes Domino consecrati, quatenus opus erat eorum ministerio in rebus sacris, & non ante ætatem à lege constitutam. At Samuel ita donatur Domino à matre, vt mox à primis annis pueritiæ, & per totam vitam permanere deberet in ministerio tabernaculi. Si obiicias id non fuisse factum. Samuel enim quando iudex erat, non videtur mansisse in ministerio tabernaculi, imo nec habitasse in eo loco, vbi erat tabernaculum. Nam infra cap. 7. dicitur habuisse domum in Ramatha, ibique habitasse: Respondeo ibidem subiungi, quòd ædificauerat ibi altare Domino. Quare nec quando iudex erat, videtur desisse ministrare Domino, quatenus officium iudicis sinebat. Et alioqui vocatus à Domino ad officium iudicis totius populi, poterat interpretari eo ipso, secum à Domino dispensatum fuisse, ne ita perpetuo in tabernaculo teneretur ministrare. Nam & Heli simul fuit sacerdos & iudex.

Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius. Leuitæ ante 30. ætatis annum non cogebantur interesse templo, & anno 50 à ministerio vacationem habebant Num. 4. 3. Anna verò suo hoc voto nascituram prolem perpetuo addicit tabernaculi ministerio.

Nouacula non ascendet super caput eius. Erit perpetuo Nazaræus, quorum præcipuum erat institutum vt capillum Nazaræus tempore nunquam tonderent. Vide Num. 6. 5. & 7. & ibi notata.

Dabo eum Domino. At Leuitæ, qualis futurus erat quicumque nasceretur Annæ masculus, de iure addicti erant ministerio Domini, vt sacerdotibus ministrarent in templo. Respondeo: Sed non nisi à 25 ætatis anno, vsque ad 50. vt expresse decernitur Num. 4. & 8. Anna verò filium

R ij.

LYRAN.
ŷ. 11.

ESTIUS.

MENOC.

TIRINVS

suum æterno deuouet templi seruitio, seu omnibus diebus vite eius. Insuper addit, *Nonacula non ascendet super caput eius.* Id est, perpetuo erit Nazaræus, instar alterius Samsonis, Iudicum 13. Sed de Nazaræorum institutis, vide Leuit. vlt. & num. 6. Porro potuit Anna suo voto perpetuam sibi necessitatem imponere, numquam filium à templi seruitio, vel Nazaræatu reuocandi: sed non po-

tuit cogere filium, ne, cum plenum habuerit rationis usum, si vellet, aliter de se, vitæque modo statuere, posset. Neque enim filij tenentur vota parentum, quæ personalia dicuntur, implere. Vnde prudens mater infra v. 28. dicit, *se eum commendasse, seu dedisse Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus,* id est quandiu vita & voluntas eius tulerit.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 12. 13. & 14.

Vulg. Factum est autem, cum illa multiplicaret precibus coram Domino, vt Heli obseruaret os eius.

Pag. Vt diu oraret.

Arias. Cum multiplicaret orare facies Domini.

Tigur. Cum constanter oraret.

Cald. Heli expectans illam, vsquequo finiat.

Arab. Auscultabat Heli, vt obseruaret verbum eius.

Vulg. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Estimauit ergo eam Heli temulentam.

Pag. Tanquam ebriam.

Malu. Loquens super cor suum, reputauit eam Gheli

ebriosam.

Vulg. Dixitque ei: Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.

Pag. Dixit ei Heli, remoue vinum tuum à te.

Arias. Super te. Alij. Depone.

Sept. Rom. Dixit ei puer Heli, aufer vinum tuum, & vade à facie Domini.

Reg. vt Vulg.

Cald. Dixitque Heli, vsquequo tu delirans? an non digeres?

Syr. Quousque inebriaberis? tempera vinum tuum.

Arab. Resipisce tandem ab ebrietate tua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dixitque ei. Sept. Six. Dixit ei puer; Alij, Dixitque Heli: verum est ita haberi apud Phil. de ebriet. & D. Chryf. Homilia 1. de fide Annæ. Vulg. non exprimit, quisnam hoc dixerit: Exprimitur tamen in Hebr. fuisse Heli. Vnde veritas Hebræa præferenda. Et videtur tandem etiam D. Chryf. consentire: nam ibidem admiratus patientiam Annæ, humiliter respondentis. Non dixit, inquit, Istene sacerdos, iste qui alios docet, temulentiam, ac vinolentiam, mihi exprobrat? Quibus verbis satis indicat, ab ipso sacerdote eam obiurgationem processisse. Imo & Vulg. mihi videtur hoc ipsum non obscure insinuare, cum enim dixit: *Estimauit eam Heli temulentam;* ac statim subdit, *dixitque ei,* sine dubio ille de quo sermo proximè præcesserat; alioqui expressura de quo loqueretur. Sed quid ad Septuaginta? Responderi primo potest mendum irrepsisse in eorum translationem scriptoris incuriâ, & ita à Codicib. Compl. & Reg. hoc expunctum est: secundo bis dictam fuisse Annæ illam contumeliam, semel ab Heli: vt est in Hebr. & iterum à puero Heli, vt habent Sept. Syr. & Arab. Poteris addere illam orationem, *dixit ei Heli,* intransitiuam esse, ita vt puer non sit alter ab Heli, sed vnus atque idem sacerdos puer appellatur, quo pacto veteres Patriarchæ frequentissime in scriptura pueri dicuntur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**t Heli obseruaret os eius. Attendens si aliquid verbum exprimeret, vel à motu labiorum cessaret.

LYRAN. *Estimauit ergo eam Heli temulentam.* Id est plenam bono vino, & dicitur à temeto quod significat bonum vinum, & lentos quod est plenum.

MENOC. *Labia illius mouebantur.* Naturale est vt iis qui commo-

to sunt animo siue ira, siue timore, siue dolore, labia moueantur, & quasi tremant.

Digere paulisper vinum. Quasi dicat, vade prius ad dormiendum, & postea venies ad orandum.

Digere vinum. Quasi ebriam monet vt abeat; non enim decebat temulentam cum sobriis in orationis loco versari.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 15. & 16.

Vulg. Respondens Anna, Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

Pag. Non, Domine mi, sum ebria, sed mulier dura spiritus sum, vinum, & sechar non bibi.

Vatab. Mulier ægto animo.

Malu. Sustentator mi, vira perplexa spiritus ego.

Sept. Rom. Mulier dura dies ego sum, vinum & inebriamentum non bibi.

Reg. Mulier in dura die ego sum.

Cald. Mulier tribulata spiritu ego, vinum nouum, & antiquum, &c. & dixi afflictionem animæ meæ in oratione ante Dominum.

Syr. Mulier ego sum animi.

Arab. Tristis, quæ vehementia mæroris, qui me occupat proieci animam meam coram Domino.

Vulg. Ne reputes ancillam tuam quasi vnã de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mæroris mei, lo-

cuta sum vsque in præsens.

Mont. Ne dederis ancillam tuam ad facies filix sine profectu, quia ex multitudine mutationis meæ, &c.

Vatab. Ne conferas me filix impiæ, & improbæ.

Tigur. Ex multitudine turbationis meæ.

Malu. Commotionis meæ.

Sept. Ne dederis seruam tuam in filiam pestilentem, &c. extendi vsque nunc.

Theodot. Nedes ancillam tuam, tanquam vnã indisciplinarum, seu inereditarum.

Cald. Ne exprobres ancillæ tuæ filiam improbitatis, nam à multitudine inuidiæ mei, & irritationis mei, dilataui in oratione vsque nunc.

Syr. Ne reputes apud temetipsum, &c. filiam peccati, nam ex multitudine dolotis & iræ, &c.

Arab. Nec habeas in gradu scelestarum, nam equidem orationem meam, huc vsque protraxi ob vehementiam mæroris, & iræ, qua teneor.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Mulier infelix nimis ego sum; Alij, *Mulier dura Spiritus sum, in dura dies*, sed idem sensus, nam duri vocabulum, licet sæpe actiue sumatur, scilicet pro moroso, & difficili, aliquando tamen sumitur passiuè, pro misero, & calamitoso. Duram igitur se dicit Anna, hoc est, miseram, & calamitosam. Sept. Rom. habent *dura dies*. Ita & Philo: sed Reg. *In dura die ego sum*: Ita & D. Chrysostom. *Sed effudi animam meam*. Sept. *Effundo*: vel quia præsens pro præterito præsertim, quod proximè antecessit, vsurpant, vel quia significant Annam, nunc etiam, cum sacerdotem alloquebatur, Deum deprecari. *Quasi vnā de filiabus Belial*; Alij, *Tanquam filia impia*, &c. Vide Concord. vers. 13. cap. 13. Deuter. *Quia ex multitudine doloris*; Alij, *Eloquio meditationis*, &c. Hebr. est פִּיחַ *fiach*, quæ vox quicquid generaliter ex voce, vel ore enatat, vt sunt meditationes, disputationes, &c. preces, querelæ, colloquia, & id genus alia, & vniuersè sumitur pro negotio & meditatione, quam quisque ore vel corde meditatatur ac versat; hinc varia lectio. *Et mæroris mei*; Alij, *Præcommotionis*, &c. Hebr. פִּיחַ *schagas*, quando passiuè sumitur, vt hic notant Hebraisantes sumi pro mæstitia, perturbatione, commotione, indignatione, &c.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **N**Equaquam, inquit, domine. Scilicet sum ebria, vt tu A *Ne reputes ancillam tuam quasi vnā de filiabus.* Id est, LYRAN.
 15. credis. *sine iugo disciplinæ.*
Nam mulier infelix. Tum propter defectum prolis, tum *Quasi vnā de filiabus Belial.* Belial idem est ac sine iu-
 propter verba Phenennæ me prouocantis. *go.* Ait ergo Anna, ne putes me ex carum numero esse
Vinumque & omne quod inebriare potest, &c. Quia li- *quæ legis iugum, & disciplinæ pati non possunt, quales*
 quorem inebriatum non biberat illa die. Velsi biberat, *sunt, qui sibi omnia indulgent, lege neglecta, aut etiam*
 acceperat ita parum, quod quasi nihil esset reputandum. *spreta, in quos conuenit illud Ierem. 2. 25. A seculo con-*
Effudi animam meam. Orationem, votum, ac desiderium *fregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam.*
 animæ meæ. MENOC.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 17. ad 20.

Vulg. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israël
 det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.
Malu. Ambula paci, & Elohim Israël dabit postulationem.
Sept. Rom. Det tibi omnem petitionem.
Arab. Conficiat negotium tuum.
Vug. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis, & abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati.
Pag. Iraque illius non fuit ei amplius vltra.
Mont. Et facies eius non fuerunt ei vltra.
Tigur. Neque fuit amplius mæsta.
Isid. Clar. Non sunt collapsi.
Sept. Rom. Inueniat serua tua gratiam: Iuit mulier in viam suam, & intrauit in diuersorium suum, & comedit cum viro suo, & bibit, & facies eius non concidit vltra.
Cald. Inueniat misericordias, & vultus mali non fuerunt ei vltra.
Arab. Adueniat ancillæ tuæ misericordia, & gratiam assequatur à Domino te superstiti, non immutatus est deinceps vultus eius ob exprobrationem corruialis eius.
Syr. Non est turbatus.
Vulg. Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram Domi-

no, reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramathà. Cognouit autem Elcana vxorem suam, & recordatus est eius Dominus.
Arias. Et manicauerunt in mane, & incurauerunt se ad facies Domini.
Malu. Procumbere se fecerunt.
Sept. Rom. In domum suam Armathaim.
Reg. Aramathaim.
Cald. Intrauit recordatio ab ante Dominum.
Arab. Deus recordatus est eius ex clementia sua.
Vulg. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel: eo quod à Domino postulasset eum.
Pag. Et fuit in reuolutione dierum.
Mont. Reuolutionibus, &c. quod à Domino petiui eum.
Vatab. In circuitionibus dierum.
Tigur. Reuolutis aliquot diebus.
Malu. Circumvolutionibus.
Sept. Rom. Factum est tempore dierum, quoniam à Domino Deo exercituum.
Reg. A Domino omnipotente.
Cald. Et fuit in perfectione dierum.
Arab. Et cum aliquot dies mansisset.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati; Alij, *Vultus eius non sunt collapsi, &c.* illa enim frons quam ex sacerdotis oraculo assumpsit, nunquam amplius in tristem ac lugubrem recessit. Simili enim phrasi, significatur tristitia Cain. Cur concidit facies tua? In eundem sensum transferunt Pag. & Vatab. *Iraque illius non fuit vltra*, nam cum facies quæ est in Hebræo, pro ira vel tristitia vsurpetur, illi iram pro tristitia figuratè transfulerunt. Neque enim Anna irata fuerat, sed tristata. Omnibus his concinit Vulg. nam cum expresserit Annam post illud oraculum comedisse, vtique tristitia ex animo deterfa, & noua hilaritate induta, subdit, *Vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati*, hoc est, in parem tali contrariam lætitiæ, scilicet tristitiæ. *Recordatus est eius Dominus.* Arab. addit, *Ex clementia sua*: recordari enim in Deo, idem est, quod misereri. *Factum est post circulum dierum*; Alij, *In reuolutione dierum, in perfectione*, id est post illud temporis spatium, quo factus in vtero ad partum maturefcit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**eus Israël det tibi petitionem. In Hebreo habetur: B *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro seore, quod*
 17. *Dabit tibi petitionem.* *commodasti Domino.* Imo & mox subiungitur. *Visitauit*
 ESTI VS. *Vade in pace, & Deus Israel.* Hoc loco notanda est vis & *ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, &*
 efficacia benedictionis sacerdotalis. Anna orat Dominum *duas filias.* Ex quibus ostenditur quantum valeat benedi-
 pro filio obtinendo: bene precatur ei sacerdos. Et hac be- *ctio sacerdotis, etiam si forte non fuerit vsquequaque pro-*
 nedictione tanquam quadam intercessione mulier audir- *batus.* Nam Heli, vt postea patebit, propter disciplinæ
 tur à Domino. Et ne quis soli orationi mulieris exauditionem ascribendam putet, capite sequenti rursus legitur ei benedixisse sacerdos, cum dicit ad eius maritum:
 Tom. IV. *Vade in pace.* Fausta imprecatio, quia abeuntes conse-
 R iij MENOC.

quebantur. Apud Hebræos verò hoc vocabulo, *Pacis*, bonorum omnium cumulus significatur.

LYRAN. *Vtinam inueniat ancilla, &c.* Ut velis orare pro me dominum.

ψ. 18.

Vultusque illius non sunt. Quia passiones iræ & tristitiæ quæ mutant faciem in diuersos colores, recesserunt ab ea ex consolatione exteriori verborum Heli, & ex interiori consolatione gratiæ diuinæ.

MENOC. *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.* Ut scilicet pro me ores.

Vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. Adeo post orationem & votum sedato fuit animo, quippe spei plena, vt placido deinceps semper fuerit vultu.

LYRAN. *Reuersique sunt, & venerunt.* Ista est eadem ciuitas, quæ supra nominata est Ramathaim. Ramathaim enim quod significat excelsa, plurale est huius nominis Ramatha, quod significat excelsum, sicut in Latino eadem ciuitas aliquando nomine plurali sicut ciuitas Ebroidensis, aliquando vocatur Ebroidas, aliquando Ebroidæ.

ψ. 19.

Cognouit autem Elcana Annam uxorem suam. Scilicet postquam reuersus fuit in domum suam, quia Iudæi cunctes in Ierusalem cum vxoribus suis ad diem solennem, vel causa sacrificij seu orationis, vsque ad reditum suum in domos suas continebant ab vxoribus suis. Et ad hoc melius seruandum postea fuit constitutum, quod quando de eadem ciuitate ibant Ierusalem propter dictam causam, plures viri, & plures mulieres; viri ibant in vna comitiua, & mulieres in alia. Pueri autem de quibus non

erat suspicio poterant ire in ista comitiua, vel in alia. Et ideo cum Saluator noster Iesus Christus ascendisset in Ierusalem ad diem festum, & ibi recedentibus parentibus remansisset, non cognouerunt parentes eius, existimantes illum esse in comitatu, vt habetur Luc. 2. quia Ioseph existimabat eum esse in comitatu mulierum. Maria autem mater eius in comitatu virorum.

Recordatus est Dominus. Humano more loquitur scriptura, vt sæpe alibi.

Vocauitque nomen eius Samuel, &c. Samuel enim interpretatur quasi postulatus à Deo.

Post circulum dierum. Post aliquot dies; euolutis aliquot diebus.

Eo quod à Domino postulasset eum. Nam verbum *למנו* saal postulare significat, sed vt monet Vatablus, mulier Hebræi verbi primam tantum literam retinuit.

Samuel, quasi dicat. *Sam ou El*, id est, *posuit ipsum Deus*, scilicet in rerum natura, & quasi genuit, cum nempe sæcundam reddidit Annæ vuluam, ante prorsus sterilem: vocauit autem eum hoc nomine mater, *eo quod à Domino postulasset eum*, & consequenter impetrasset eum, quasi dicat. Eò quod nullo humano, sed solo diuino beneficio sibi obtigisset. Simulque intendebat pia mater, vt Samueli, quoties suum hoc audiret nomen, recordaretur se Deo tamquam præcipuo parenti deberè, & quod esset, & quod viueret; atque ita libentius perpetuas Nazaræi status molestias sustineret.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 21. 22. & 23.*

Vulg. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum.

Pag. Ad immolandum hostiam anniuersariam.

Arias. Hostiam dierum.

Sept. Rom. Ascendit sacrificare hostiam in Selom sacrificiorum dierum.

Ita Caiet. Et vota sua, & omnes decimas terræ suæ.

Reg. Hostiam dierum. Cald. Et ad reddendum vota sua.

Syr. Ad purificandum Domino sacrificia dierum voti sui.

Arab. Sacrificia diebus voti sui.

Alij. Sacrificium congruum tempori.

Vulg. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablaçetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.

Pag. Et adducam, vt conspiciatur coram Domino, & maneat ibi vsque in sæculum.

Vatab. Adducam eum, & conspicietur.

Malu. Vsque ad retribuetur excussus, & venire faciam eum, & visus erit ad facies Iuh.

Sept. Rom. Donec ascendat puer si ablaçtauero eum, & ap-

parebit faciei Domini, & sedebit ibi.

Arab. Maneatque ibi toto spatio ætatis suæ.

Vulg. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablaçtes eum: precorque vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte.

Pag. Fac quod bonum in oculis tuis, verumtamen confirmet Dominus verbum suum, &c. donec ablaçtaret eum.

Malu. Sede vsque ad retribuere re eum: Verumtamen surgere faciet Iuh verbum suum, & sedit vira, & surgere fecit filium suum, vsque ad retribuere eam eum.

Sept. Rom. Firmet Dominus, quod exiit ab ore tuo.

Reg. Statuat Dominus omne exiens ex ore.

Cald. Verum firmabit Dominus verbum suum, & expectauit filium.

Syr. Verumtamen euentu confirmet Dominus verbum tuum.

Arab. Fac vt optas, & vt tibi placet, maneat, &c. verum Deum precor, vt verum reddat sermonem tuum, votumque tuum absoluat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT immolaret hostiam solemnem; Alij, *Anniuersariam dierum*, &c. quæ statutis anni temporibus offerri solebat. Et *votum suum*. Addunt Sept. Rom. *Et omnes decimas terre suæ*: quæ verba in aliis codicibus græcis non habentur: *Non vadam, donec ablaçtetur infans*: Hebr. tantum, *donec ablaçtabitur puer*, sed subaudiendum, non ascendam. Et *maneat ibi iugiter*: Bene Arab. explicat; *Maneat ibi toto spatio ætatis suæ. Precor vt impleat Dominus verbum suum*; Alij, *Stabiliat, confirmet*, id est, ratam habeat promissionem tuam. Quasi diceret; Peto tantum, vt non infirmet quod nobis promisit per Heli.

ANNOTATIONES.

MENOC. **A**scendit Elcana. Anno vertente, & recurrente eo festo quo ante annum ascenderat cum vxoribus in Silo.

ψ. 21.

Hostiam solemnem. Heb. *hostiam dierum*. Qualis nimirum statutis à lege diebus immolari solet.

Et votum suum. Fortasse susceptum simul cum Anna ad prolem ex ea impetrandam.

LYRAN. *Non vadam, donec ablaçtetur.* Duplex est ablaçtatio, vna est abstractio à lacte mammillæ, & ista fit circa principium tertij anni vel circiter. Alia est ablaçtatio, quando abstrahitur puer à lacte pueritiæ, quando incipit vt aliis cibis communibus & lacticiniis non nutritur amplius. Et hoc fit circa decimum annum vel circiter, & de hac ablaçtatione loquitur hic scriptura, quia ante decimum annum

vel circiter pueri non sunt apti ad faciendum aliquod officium in templo Domini, sed extunc possunt aliqua parua officia facere, vt accendere lampades, vel huiusmodi, & sic paulatim assuefieri ad maiora.

Et maneat ibi iugiter. In Heb. habetur, *vsque ad sæculum*. Id est vsque ad quinquagesimum annum, quia ultra non debebant Leuitæ seruire in templo: vt habetur n. 9. vnde & infra cap. 7. dicitur, quod Samuel factus iudex populi, ibat per singulos annos circumiens Bethel & Galgal & Masphath, & iudicabat Israël in suprascriptis locis.

Donec ablaçtetur infans. Triennio ferè lac infantibus eo tempore dabatur. Vide 2. Machab. 7. v. 27. nunc eos citius nutrices à lacte depellunt.

LYRAN. *Precorque ut impleat, &c.* Quale autem fuerit istud verbum, nō exprimit hīc scriptura. Et propter hoc dicunt aliqui Hebræi, quod ante natiuitatem Samuëlis audita fuit vox de cælis, quod futurus erat quidam iustus nomine Samuël: propter quod mulieres plures parientes masculos illo tempore vocabant eos nomine Samuëlis, quousque per opera apparebat, quod de illis non intelligebatur vox diuina. Et secundum hoc sic intelligitur verbum Elcanæ prædictum. *Precorque, &c.* Id est, precor Dominum vt per bonam indolem istius pueri appareat, quod ille sit Samuël, de quo audita est vox à Deo emissa. Sed istud videtur fictitium: tum quia de scriptura non habetur, tum quia Anna non vocauit filium suum Samuël propter aliquam vocem de cælo auditam, sed quia postulauerat eum à Domino, vt prædictum est. Et ideo aliter dicitur quod

A verbum Domini, hīc accipitur verbum ipsius Heli sacerdotis, qui secundum veritatem Hebraicam dixerat Annæ deprecanti: *Dabit tibi Dominus petitionem tuam*, vt supra dictum est, & hoc dixit instinctu Spiritus sancti. Anna verò petebat à Domino filium qui viueret, & ministraret in templo Domini, vt patet ex prædictis: & hoc precabatur Elcana à Domino impleri, quia licet puer Samuël esset natus, non tamen adhuc erat in statu quo posset in tabernaculo ministrare.

Impleat Dominus verbum suum. Verbum in scriptura idem est quod res. Sensus ergo est, impleat Dominus ac perficiat quod cœptum est. Natus est infans, adolescat, confirmetur, vt gaudium nostrum inchoatum perfectum esse possit. MENO.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 24.*

Vulg. Et adduxit eum secum, postquam ablauctauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinae, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.

Pag. Ascendere fecit eum secum cum ablauctasset eum tribus iuencis, & modio vno farinae. (*Ita & Clar.*) & vt re vini, & puer erat valdè puer.

Calet. Et puellus puellus.

Vatab. Et Ephī farinae.

Malu. Et excussus excussus.

Sept. Rom. Ascendit in vitulo trienni, & panibus, & E-

phi similaginis, & nebel vini, & intrauit in domum Domini, & puer cum eis.

Reg. In vitulo trimo, & Ephī similaginis, & amphora vini, & ingressi sunt.

Theod. Obtulit eum Domino, & cum eo vitulum eiusdem ætatis.

S. Chrysof. In vitulo trienniali.

Cald. Et mechilta vna farinae, &c. & adduxit eum ad domum Sanctuarij Domini.

Syr. Cum iuueno trienni, fato vno simila.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In vitulis tribus, *Sep.* In vitulo trimo, seu trienni. Idem D. Chryf. Theod. qui dicit obtulisse puerum, & vitulum eiusdem ætatis. Cum autem Samuël tertio ætatis anno oblatus fuerit, vitulus quoque triennis videtur fuisse oblatus, non tres vituli, nihilominus nostra lectio est verior: ita enim in omnibus aliis; sed vt omnes in Concordiam reuocet, dices *Sep.* loquutos fuisse de vitulo immolato, qui vnus fuit, vt patet in num. seq. alios autem de vitulis oblati, qui fuerunt tres, quorum vnus cessit in holocaustum, alij duo (de quibus nihil dicit textus) destinati sunt vel in epulum commune, aut in sacrificium pacificorum, aut in manus proprium ipsius sacerdotis Heli, vt parentes hac mercede laborem pueri instituendi præuenirent. *Cum tribus modiis, Alij, Vno modio.* Scio aliquos credere mendum aliquod esse in Vulg. cum omnes alij legant vno modio, imo plura exemplaria Latina M. S. Meus codex paruus ita habet: Nihilominus Vulg. lectio tenenda, cui conueniunt plura exemplaria Latina etiam M. S. sic vtrumque nostrum in quarto. Et non aliena ab Heb. & Græco textu, habentibus in Ephī, seu farinae: est autem Ephī, seu Ephā genus mensuræ continens tres modios, seu tria fata, vt habetur Ruth. 2. inuenit hordei, quasi Ephī mensuram, id est tres modios, vbi vides hanc versionem adeo esse certam, vt ab ipso textu adhibeatur, *Cald.* etiam concordat habens tria fata. Dicendum est ad alios, habentes vnum modium, loqui de modio altero, qui tres modios ex eis, quæ fata dicuntur, includit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *In vitulis tribus.* Postea dicitur: *Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* Ex quo videtur, quod vnum vitulum obtulerunt in sacrificium Domino, & alios duos obtulerunt Heli sacerdoti, quia puerum dimittebant in cura ipsius, vnde subditur.

MENO. *In vitulis tribus.* Quorum vnus tantum immolatus est, vt patet Num. seq. reliquos duos, aut sacerdoti dedit, cui filium commendauit; aut pro statis atque solemnibus victimis reliquit in templo. Vitulus videtur immolatus fuisse

B se ritu hostiæ pacificæ, cui farina addebatur, & vinum, vt habemus Num. 15. sacrificiumque oblatum est in actionem gratiarum pro suscepta prole.

Et tribus modiis farinae. Tres modij faciunt vnum Ephī. In immolatione autem vituli in hostiam pacificam, Ephī vnum farinae simul offerre oportebat, Ezech. 46. 7. dicitur: *Ephī per vitulum, Ephī quoque per aristem facient sacrificium.*

Adhuc infantulus. Triennis scilicet.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 25. ad 28.*

Vulg. Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.

Pag. Iugulauerunt iuuenem, & adduxerunt.

Malu. Mactauerunt, & venire fecerunt excussum.

Sept. Adduxerunt coram Domino, & mactauit pater eius sacrificium, quod faciebat à diebus in dies Domino, & adduxit Anna mater pueri. *Reg. vt Vulg.*

Arab. Mactauerunt ergo taurum.

Vulg. Et ait Anna: Obsecro mi Domine, viuit anima tua Domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hīc orans Dominum.

Malu. Sustentator mi, viuens anima tua, sustentator mi, ego vira stans tecum in isto, ad facere ad interpellandum me Ihuh.

Sept. Rom. In me Domine viuit anima tua, &c. quæ steti Tom. IV.

coram te tecum.

Reg. Coram te in loco.

Cald. Obsecro per vitam animæ tuæ.

August. Quæso vt audias sermonem meum, vitas tu incolumis.

Chryf. Intende in me Domine.

Vulg. Pro puero isto ora, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulauit eum.

Malu. Ad excussum istum interpellare me feci.

Cald. Super puerum hunc orauit.

Arab. Exaudiuit Dominus.

Vulg. Idcirco, & ego commodauit eum Domino, cum ætis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna, &c.

Arius. Ego te petere feci eum.

Tigur. Mancipauit eum.
Malu. Omnibus diebus, quibus postulatus fuit.
Sep. Rom. Et ego eum commodo omnes dies, quos ipse
 viuit, commodationem Domino.
Reg. Vsum Domino.
Cald. Ego tradidi illum, & erit ministrans ante Domi-

num omnes dies, quibus ille superstes ministravit ante
 Dominum.
Syr. Muruauit.
Arab. Addixi, &c. vt sit minister in ipsius æde, &c. quan-
 doquidem munus est quod postulaueram.
Bibl. Clar. Bened. Quibus fuerit commodatus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Obscuro mi Domine: Alij, *In me Domine.* Est enim Hebr. *כי בי*, *In me.* Vide Concord. v. 10. Exod. 4. *Viuit anima tua*, Alij, *Obscuro per vitam anima tua*: formula est iuramenti, *Viuit anima tua. Commodauit eum Domino*, Alij, *Mancipauit addixi*, id est, tradidi illum Domino, illi donauit. Verbum *מָלַח* *scaal* varias quidem habet significationes, sed non displicet illa, in qua sumitur pro eo quod est dare aliquid ad vsum retinendo dominium: vnde merito Anna potest dici commendasse filium Domino, quia sic eum non amittebat, sed conseruabat; ad hunc sensum transferunt *Sep. Reg. Commodo vsum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino.* Plura exemplaria non habent, *Omnibus diebus, quibus fuerit, &c.* Sed solum quibus fuerit commodatus, hoc est vtilis, & idoneus, quasi vltra senilem, & effectam ætatem, ad seruiendum in tabernaculo, iam non obligaretur. Leuitæ enim solum ad quinquagesimum annum in tabernaculo ministrant, vt patet ex Num. 8. v. 25.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET ait Anna.* Obscuro. Et subintelligitur, quod iste puer sit discipulus & minister eius. Cætera patent in litera.

MENOC. *Obscuro.* Vox ista interiectionis attentionem excitantis vim obtinet.

Viuit anima tua. Iuramentum Hebræis familiare, quasi dicat, ita viuas, Itali dicunt. *Per vita vestra.*

LYRAN. *Et adorauerunt.* Hic consequenter ponitur gratiarum actio pro beneficio recepto, & hoc fit in Cantico Annæ: In quo primo gratiarum actio redditur, secundò Anna contra superbiam, & ingratitude inuehitur, ibi: *Nolite multiplicare loqui sublimia.* Tertio Dei magnificatio subditur, ibi: *Domini enim sunt cardines.* Circa primum

A dicitur. *Et adorauerunt ibi Dominum.* Quia gratiarum actio, est quædam species orationis, vt habetur 1. ad Timoth. 2. vbi dicitur sic. *Obscuro igitur primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, &c.*

Commodauit eum Domino. Voto nuncupato, quantum in me est, sacro ministerio toto vitæ tempore mancipauit.

Cunctis diebus quibus fuerit commodatus. Quantum ipsius vita, aut voluntas tulerit, neque enim tenentur huiusmodi vota parentum filij implere.

Oravit Anna. Canticum sequens cecinit.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

Annæ Canticum in gratiarum actionem: quæ tres alios filios, & duas filias generat. Porro Heli Pontifici ob scelera filiorum, nimiamque ipsius in illos indulgentiam prædicitur excidium domus, & Pontificatus amissio.



1. **E**xultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. 2. Non est sanctus, vt est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes, recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. 5. Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est. 6. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. 7. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. 8. Suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. 9. Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt aduersarij eius: & super ipsos in cælis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. 11. Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. 12. Porro Heli filij Belial, nescientes Dominum, 13. neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, 14. & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum: & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi, sic faciebant vniuerso Israëli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequa-

quam; nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini. 18. Samuël autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo. 19. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam solemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius: Dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuël apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia quæ faciebant filij sui vniuerso Israël: & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi: 23. Et dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio: res pessimas, ab omni populo? 24. Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuël proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino quàm hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. 29. Quare calce abiecasti victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei? 30. Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. 32. Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: In die vno morientur ambo. 35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 36. Futurum est autem, vt quicumque remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. 2. & 3.*

Vulg. Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.

Arias. Et orauit Ihanna, lætata sum in salute tua.

Vatab. Exultat: dilatauit sese os.

Malu. Interpellare se fecit, &c. eleuatum fuit cor meum, &c. super maleuolentes meos.

Sept. Rom. Confirmatum est cor.

Reg. Firmatum.

Cald. Orauit in spiritu prophetiæ, valuit cor meum in parte, quam dedit mihi, &c. eleuatum cornu meum in dono quod numerauit mihi Dominus, apertum est os meum ad loquendum magnalia, quoniam gauisa sum in liberatione tua.

Arab. Magnificata est fama tua, &c. quoniam exhilarasti me.

Vulg. Non est sanctus, vt est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

Pag. Quia non est præter te.

Arias. Et non est petra sicut Deus noster.

Sept. Rom. Non est iustus sicut Deus noster, non est sanctus præter te.

Reg. Extra te.

Cald. Non qui sanctus, nisi Dominus, quoniam non est præter te, & populus tuus dicent, non est qui fortis nisi tu.

Arab. Non est purus, &c. nec qui gloriosus ac potens.

Vulg. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes, recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum,

Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.

Pagn. Ne multiplicetis vt loquamini valde sublimè verbum, egrediatur vetus verbum ex ore vestro, &c. & ipsi directæ sunt opera.

Arias. Ne & altum, &c. & non directæ opera.

Calet. Non multiplicemini, loquemini celsitudinem, exhibit vetustas, vel exhibit fortitudo.

Anonym. Ne & verba superba, ne egrediatur verbum arrogans.

Varab. Ne egrediatur durum ex ore vestro, & ipsi numerantur opera eius.

Malu. Exhibit durabile, quia & cognitionum Ihu, & non demensa fuerunt ludicra.

Sept. Rom. Nolite gloriari, & nolite loqui excelsa, non procedat magniloquentia, &c. & Deus præparans adinventiones suas.

Codex M. S. in Bibliis Sixtina. Deus scientiæ.

Cald. Ad loquendum magnalia, non exhibunt blasphemiam, &c. quoniam Deus nouit omnia, Dominus super omne factum extendens iudicium, etiam vobis futurus ad retribuendum vltionem culparum vestrarum.

Syr. Neque subsistunt astus coram eo.

Arab. Neque prodeat iniquitas ex oribus vestris, quia Deus scientissimus, nec profunt artes coram eo.

Alij. Et non disponuntur actiones.

Alij. Et conatus eius perficiuntur.

Orig. Nolite loqui superba in superbia, neque exeat mali loquacitas de ore vestro.

Theod. Ne loquamini sublimia ad fastum.

Cyp. Nolite gloriari, neque loquamini electa.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

E*Xultauit cor meum*: Alij, *Oravit ad Dominum, & letata sum*. Hæc verba, *oravit Anna*, noster Vulg. non in principio huius capituli, sed in fine præcedentis posuit, quasi ad illud potius, quam ad hoc referri oporteret; sed hoc mihi durum videtur, cum statim primo intuitu legenti appareat orandi verbum cum sequenti Cantico potius quam cum præcedente oratione coniungendum: imò ipsa Vulg. editio, dum illa verba duplicat, *oravit & ait*, per hoc posterius, quod sine dubio ad sequens Canticum refertur, significare videtur illud prius ad idem Canticum referendum, ut nulla hinc cum homine loquutio, sed sola cum Deo oratio exprimat. *Exaltatum est cornu meum*, Alij, *Magnificata est fama tua*. Licet per cornu significetur fortitudo, tamen symbolum est etiam victoriæ & famæ. *In salutarium tuo*. Sep. *In salute tua*. Vocat beneficium, quod acceperat à Deo, salutem, quasi saluationem, quia per illud saluata fuit à sterilitatis opprobrio; licet D. Aug. lib. 17. Ciuit. cap. 4. referat hoc ad Christum saluatorem, qui in scriptura frequenter salutare nuncupatur: sic Genes. 49. v. 18. Psal. 50. v. 14. & alibi. *Nolite multiplicare*, Alij, *Ne multiplicetis*. Si ad fontem respiciatur, non est illud nolite, sed tantum על טרבו *ghal tharebu*, ne multiplicetis, à radice רבה *ra-bah*, id est, multiplicare: imò & Sep. Hebræam linguam exprimentes transfulerunt *אנא לא יתגאב*, hoc est, non gloriemini; illud *nolite* prætereuntes: sed hic loquendi modus est peculiaris, si non Latinitatis, saltem ipsius Latini Interpretis idiotismus, qui præceptis, aut consiliis negatiuis verbum *nolite* frequentissimè præfigit.

Loqui sublimia gloriantes, Alij, *Ne loquamini altum, celsitudinem*; Quæ geminatio, non solum multam iactantiam significat, sed etiam nimis effusam, & insolentem, ut videre est in versione Theod. Orig. & D. Cypr. *Superbia & arrogantia*, Alij, *Pro conuitiis, & opprobriis*: Vnde Cald. *Non exhibit sermo blasphemia*. Caiet. legit, *Exibit vetustas, & fortitudo*. Verbum enim *קטף gharbak*, significat inueterascere, & roborare: verba enim contumeliosa, non solum vetera, sed etiam fortia appellantur, quia peccata inueterata sic in animo insolescunt, & roborantur, ut difficillimè eradicentur. *Deus scientiarum Dominus*, Alij, *Cognitionum*. Quia nulla eum omnino latet. Nec refert quod liber M. S. in Bibl. Sixt. Græc. habeat, *Deus scientiæ*: nam & in Heb. est דעוה *deghoth*, & in Græco γνωστων, id est, scientiarum. *Ei ipsi preparantur cogitationes*, Alij, *Et non directa sunt opera vestra, & ipsi numerantur opera eius*. Sicque hinc aliqui auferunt negationem, alij eam ponunt. Ratio diuersæ lectionis est, quia in Heb. est ולו *velo*, quæ dicitio significat, vel & non, vel ipsi, quamuis enim לו *lo*, per א significat non, & לו per ו significet illi, tamen & vice versa, aliquando significat. Hinc factum, ut aliter alij vertant, vel affirmando, vel negando: & tamen vna lectio alteri non est contraria: affirmatiua enim est de cogitationibus diuinis, quæ à Deo semper diriguntur, seu nunquam à suo proposito deficiunt: Negatiua est de humanis, quæ frequenter excidunt à suo fine ad quem destinantur. Et vtraque expositio in vnam optimè coalescit, nam & diuinæ cogitationes numquam, humanæ verò frequentissimè frustrantur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E***Xultauit*. Gaudium propriè loquendo est delectatio appetitus intellectiui ab intra in bono adepto, vel in præsentia. Sed quando resultat in signis exterioribus, tunc dicitur exaltatio, & dicitur quasi extra saltatio. Totaliter autem gaudebat Anna de beneficio sibi collato à Deo, secundum illud Psal. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum vinum*.

Et exaltatum cornu. Cornu in sacra Scriptura accipitur pro motu cordis tendentis in aliquid arduum. Et si careat regula rationis, & legis diuinæ, dicitur cornu superbiæ: si autem dictis regulis mensuretur, dicitur cornu magnanimitatis, vel magnificentiae, quod est quando animus ex beneficio à Deo collato in præsentia per spem tendit ad maius beneficium ex Dei liberalitate consequendum. Sic autem mouebatur Anna in augmentum gratiæ consequendum à Deo in vita præsentia, & complementum gloriæ in futuro.

Dilatatum est. Ad Deum apertè, & magnificè laudandum de collato mihi filio, & quia Phenenna, & liberi eius de hoc torquebantur, ideo subditur.

Super inimicos. Odiebat enim eorum malitiam, sed diligebat naturam secundum charitatis formam.

MENOC. *Exultauit in Domino*. A quo beneficium susceptæ proli agnosco.

Exaltatum est cornu meum. Cornu potentiam significat, pulchritudinem, & gloriam. Exaltatur ergo cornu, cum decus alicuius, potentiam capit, aut incrementum.

Dilatatum est os meum. Nam prius mutire non audebam.

Super inimicos meos. Contra Phenennam æmulam meam, vel etiam illud *super*, idem est ac magis, quasi dicat, plus ego possum vnico Samuèle nato, quam Phenenna multiplici sua prole gloriari.

In salutarium tuo. In te Domine, qui vera salus es, vel, in salute, quam cum nato Samuèle adepta sum.

TIRINVS *Exaltatum est cornu meum*. Id est potentia, pulchritudo, & gloria mea, metaphora ab illis animantibus sumpta, quibus hæc omnia præstat præfixum fronti cornu.

Dilatatum est os meum super inimicos meos. Hactenus pudor sterilitatis, cum hæc illi exprobrarentur, Annæ linguam constrinxerat, & os obstruxerat: iam cum se tam

nobili prole decoratam videt, *leta in salutarium Dei*, id est, ob salutem à Deo sibi concessam, liberrimè linguam expedit, fauces & os dilatat, non solum ad depellendam à se contumeliam, sed & ad insultandum, si vellet, hostibus suis. Quia cælitus aucta tanto filio, multo potiori iure poterat suam commendare fortunam, quam posset suis omnibus prolibus æmula Phenenna.

Non est sanctus, &c. Quia ipse est sanctus per essentiam: alij autem per participationem, & hoc modo exponatur quod subditur. *Et non est fortis, &c.*

Non est sanctus ut est Dominus. Idem videtur esse cum eo quod ait Dauid Psal. 85. 8. *Non est similis tui in diis Domine*.

Neque est alius extra te. Qui videlicet sit sanctus, id est Deus, qui talia præstare possit.

Non est fortis sicut Deus noster, id est fortis in Hebræo est צור *isur*, quæ vox petram rupemve significat, ac per metaphoram, eum, ad quem tanquam ad munitum locum perfugium est, & sæpe Deo tribuitur Psal. 17. 2. Deut. 32. 15. & alibi.

Nolite multiplicare, &c. Hic consequenter Anna inuehitur contra ingratam superbiam, qua Phenenna de prole sibi à Deo data superbiat: de quo tamen deberet esse humilior & Deo gravior, & hoc est quod dicitur: *Nolite multiplicare, &c.* Id est, superba, & aliorum contemptiua, qualia erant verba Phenennæ contra Annam, ut patet ex prædictis cap. 1.

Recedant vetera, &c. Id est, mala verba iam quasi ex longa consuetudine inueterata.

Quia Deus scientiarum, &c. Quasi diceret, nihil latet eum: sed omnia certitudinaliter retinet ad iudicandum etiam secreta cordium, ideo subditur. *Et ipsi preparantur cogitationes*.

Quia Deus scientiarum Dominus est. Sensus, Deus cognitionum. id est, omnia nouit, etiam intimas hominum cogitationes. Vnde & sequitur: *Et ipsi preparantur cogitationes*, quasi dicat, nullæ cogitationes eum fugere possunt, incurrunt omnes in eius notitiam.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Noli ô Phenenna adhuc gloriari, & magnificè de te loqui.

Recedant vetera de ore vestro. Iam aliter de te senti, &

LYRAN.
V. 2.

MENOC.

LYRAN.
V. 3.

ESTIVS.

MENOC.

loquere, quam prius solebas.

Deus scientiarum Dominus. Omniscius, cui omnia patent.

TIRINVS

Et ipsi preparantur cogitationes. Est etiam omnipotens; quia quæ cogitat, & vult, effectu dat. Cogitatio ergo hîc accipitur pro re cogitata, vel etiam sensus est, ipsi omnes hominum cogitationes apertæ sunt, & expositæ. Prior explicatio magis est genuina.

Nolite multiplicare loqui sublimia. Iubet, ab insolenti spiritu, inflatisque verbis, quibus hæctenus assueverunt, imposterum abstineant, & vetera, seu antiqua diæteria, nescio quid superbum resonantia, commutent cum noua cantilena qua Deo laudem, & gloriam omnem transcribant.

Quia Deus scientiarum, Dominus est. Id est, exactissime nouit omnia cognoscibilia: *Et ipsi preparantur cogitationes.* Id est, diuinis eius oculis omnia etiam intima cordium perinde patent, atque patere posset oculis regis imago aliqua in eius gratiam viuis expressa coloribus, vel ludi theatrales ipsi oblectando præparati. Neque oculis tantum diuinis, sed & manibus, seu potentia ac prouidentia diuinæ patent, & subiacent omnia: neque enim solum

A intuetur, sed & appendit & numerat, & condignis præmiis prosequitur omnia, nihil impunitum relinquens quod malum, nihil non immuneratum quod bonum deprehenderit. Quod mox probat exemplis, Primò, ab arcu, seu robore militari, verbi gratia, in Iosue, Samfone, Goliath, & Dauide. Secundò, à repletione seu diuitiis, verbi gratia, Iob & Ruth. Tertio, à fecunditate miraculosa, verbi gratia Sare, Rachelis & Annæ. Vnde pro *donec*, in Hebræo est, *vsque adeo ut & sterilis pariat, &c.* Tradunt vero Hebræi (vt refert S. Hieron. & ex eo Vatablus, Abulensis, Iansenius & historia Scholastica) cum primum natus est Samuël, interiisse Phenennæ primogenitum, & alios eodem ordine deinceps omnes. Quarto, exemplum desumit à morte. Quintò, ab inferis, vel propriè sump-tis: vel pro extrema miseria, & calamitate, quæ morti vel inferis opinione vulgi comparari solent. Sextò, à paupertate. Septimò, ab humili, seu vili statu. Octauo, à puluere & stercore, seu fordido, & hominibus execrabili vitæ genere: vt Iosepho, Dauidi, Mardocheo, & mille aliis ad solium inde euectis contigit. Quarum omnium mutationum, & quasi metamorphoseon hæc verissima propriissimaque causa est, quæ hîc insinuatur.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 4. & 5.*

Vulg. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

Pag. Arcus, & fortes confracti sunt, & debiles, &c.

Mont. Vacillantes.

Caiet. Qui cespitabant.

Vatab. Accincti viribus.

Tigur. Arcus fortium contritus est, & qui impingebant, accinxerunt robur.

Malu. Arcus præualidorum consternatorum, & impingentes accincti sunt strenuitate.

Sep. Rom. Arcus potentium infirmatus est, &c. accincti sunt virtute.

Reg. Arcus potentium infirmauit.

Cald. Arcus virorum confringetur, & qui fuerunt debiles, fuerunt eis virilitates.

Syr. Arcus gygantum frangentur, & infirmi confortati.

Arab. Imbecilles virtute confirmabuntur ab eo.

Alij. Arcu valentes conteruntur, & collapsi accinguntur, &c. cinxerunt se.

S. Aug. Arcus potentium fecit infirmum.

Cypr. Inualidus factus est arcus.

Vulg. Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.

Pag. Et qui fuerunt famelici desierunt famescere, do-

nec sterilis peperit septem. *Ita & Angelomus.*

Arias. Saturi in pane se locauerunt, &c. & multa filiis infirmata est.

Caiet. Et famelici cessauerunt, vsquequo sterilis genuit septem, & multa filiorum fuit incisa.

Tigur. Saturi cibo, coacti sunt pro mercede seruire.

Malu. Saturi in pane mercede conducti fuerunt, &c. vsque ad eruncata genuit.

Sep. Rom. Pleni panibus minorati sunt, transferunt terram.

Aquil. Contriuerunt se.

Sym. Abundantes facti sunt.

Orig. Deducti sunt ad seruitutem, esurientes dereliquerunt.

Cald. Qui fuerunt saturi in pane, redierunt ad locandum se in pane cibi oris sui, & qui fuerunt obscuri, diuites facti sunt, & obliui sunt egestatem suam, & mulier sterilis, quæ non peperit, futura ad implendum, & plenæ filii finierunt.

Syr. Famelici habuerunt annonæ residua, sterilis peperit, & saturata est, abundans verò filius, facta est infœcunda.

Alij. Abundans filiis elanguescat.

D. Isidor. Et fecunda in liberis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Arcus fortium, Alij, Potentium, virorum: Sed coincidunt omnes: nam potens, & fortis, & vir, tam significatione, quam re ipsa idem dicunt: coniungunt Alij, Arcus fortes, seu & fortes, non quidem substantiuo, cum adiectiuo coherente, cum vtrumque nomen *קֹשֶׁת* *koseth*, id est arcus, & *גִּבּוֹרִים* *gibborim*, id est fortes, sit substantiuum, & præterea hoc sit plurale, illud singulare, quæ non coherent. Infirmi, Alij, Qui cespitabant, vacillantes, impingebant, &c. Verbum *סָפַסַּף* *sosaf*, significat vacillare, impingere, pedibus debilitari. Accincti sunt robore, Alij, Strenuitate, virtute, sed Cald. aliquid magis exprimit dicens. *Facta sunt eis virilitates.* Videtur enim innuere non vnam tantum virilitatem & fortitudinem, sed plurimas accedere iis qui à Deo roborantur.

Repleti prius pro panibus se locauerunt, Alij, Qui prius fuerunt saturati in pane, id est qui fuerunt abundantes: Pro panibus se locauerunt, Alij, Se attriuerunt, minorati sunt, non tantum pro comparando sibi victu, suas operas Dominis alienis locauerunt, sed suam libertatem in seruitutem, & hanc asperam tradiderunt: vnde aliqui transferunt, *Se attriuerunt: Et famelici saturati sunt.* Cald. illustrem continet explicationem. *Et qui fuerunt obscuri, diuites facti sunt, & obliui sunt egestatem suam,* quibus verbis à miseria ad magnam felicitatem transitus indicatur: Alij legunt, *Cessauerunt, desierunt,* scilicet, famescere, esurire: Origen. *Dereliquerunt,* scilicet famem: *Donec sterilis peperit plurimos,* Alij, *Septem,* quia septem pro plurimis sæpissimè accipiuntur. Alij, *Et sterilis futura ad implendum,* hoc est sterilis implebitur filiis, seu futurum est vt impleatur. Alios enim filios postea habuit. *Quæ multos habebat filios infirmata est:* Alij, *Quæ fecunda, fecunda in liberis, secta est, diuisa.* Hebr. est *אִמָּל* *amal*, quod verbum significat infirmari, seu succidi: & lenius est quod Phenenna secta fuerit, hoc est separata, & succisa à filiis non solum genitis eos amittendo, sed etiam à gignendis, nunquam amplius pariendo.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 4.

Arcus fortium. Arcum fortium vocat linguam Phenennæ, & puerorum eius ex qua procedebant verba pungitiua quasi sagittæ.

Et infirmi, &c. Loquitur pro se, & sibi similibus: natura enim in ea erat infirma, & impotens ad prædicandum: sed roborata est ad hoc ex dono Dei.

MENOC.

Arcus fortium. Arcus arma significat, & generatim id in quo quis præsidium suum constituit. Arcus Phenennæ fœcunditas.

Infirmi accincti sunt robore. Quasi dicat, ego prius infirma, iam verò diuino munere roborata, & quasi armis munita, instructa, & accincta.

LYRAN.
v. 5.

Saturati prius, &c. Loquitur metaphoricè: quia prius satiati si postea incurrunt famem, & defectum cibi, plus cruciantur: sic fuit de Phenenna, quæ fuit prius liberis plena, & postea mortui sunt.

Et famelici. Quia Anna prius famelica, & desiderans de prole habenda, habuit prolem ad sufficientiam: ideo subditur.

Donec. In Heb. *Donec sterilis peperit septem.* Sed hoc videtur esse contra illud, quod postea dicitur eodem capite, quod Anna concepit & peperit 3. filios, & 2. filias. Et ideo dicunt aliqui Hebræi, quod duo filij Samuëlis computantur hic inter liberos Annæ, quia de ipsa exiuerunt mediante Samuële, & sic dicitur peperisse septem. Alij verò Hebræi dicunt, quod quando Anna pariebat vnum puerum, Phenenna sepeliebat duos de suis. Et ideo nato 4. ipsius Annæ puero, 8. liberi Phenennæ fuerunt mortui, & sic non remanserunt illi nisi duo pueri, quia secundum ipsos decem habuit, vt dictum est supra i. cap. Igitur quando vidit quod Anna quintum conceperat, & appropinquabat partui, timuit de morte duorum liberorum qui sibi remanserunt: propter quod humiliavit se coram Anna, & instanter petiit, vt oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est. Et ideo illi duo pueri, licet essent ipsius Phenennæ, tamen de cætero vocati sunt pueri Annæ, eo quod eius orationibus erat vita eis concessa. Istæ expositiones non habentur de textu, sed ponuntur ab Heb. ad verificandum hoc dictum, peperit septem. Et ideo melius videtur dicendum, quod translatio nostra sit melior in qua dicitur *peperit plurimos.* Ad cuius intellectum sciendum, quod dictio Hebraica, quæ ponitur hic, scilicet sibeath, æquiuoca est ad designandum septem, & hanc significationem sequuntur hic Hebræi moderni, vt prædictum est, & ad designandum satietatem, & hanc significationem sequutus est translator noster: & forsitan illo tempore Hebræi illum sequebantur. Secundum hoc igitur Anna peperit satietatem, id est, habuerat pueros ad sufficientiam, quam sufficientiam expressit translator no-

ster, dicendo, plurimos, quod conuenientius fuit dicere, quam si dixisset satietatem, vel satis. Secundum enim quod dixit Hieron. in Epist. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, Melior Interpretatio non semper est transferendo verbum ex verbo, sed aliquando melius est transferre sensum ex sensu, vt eadem veritas diuersis idiomatum proprietatibus applicetur.

Et quæ multos. Quia sicut Anna multiplicabatur in prole, ita Phenenna diminuebatur, secundum quod dicunt expositores Hebræi, & Catholici.

Donec sterilis peperit plurimos. Pro (*plurimos*) Hebræa & Septuaginta Interpretes habent (*septem*). Quæ occasione Hebræi tradunt (vt testis est Hieronymus in tradit. Heb.) quod nato Samuële, mortuus quoque fuerit primogenitus Phenennæ, ac deinde alij eius filij vsque ad septem: atque ita intelligendum esse quod subiungitur: *Et quæ multos habebat filios infirmata est*; dum filij scilicet Phenennæ moriendo decrescunt, & filij Annæ nascendo multiplicantur vsque ad septem. Adduntque iidem Hebræi hoc: quod cum Anna tantum legatur habuisse tres filios, & duas filias, addendos esse illos duos filios Samuëlis, vt septenarius numerus impleatur. Sed expedita responsio est iuxta versionem nostram, quæ numerum non exprimit, sed tantum dicit (*peperit plurimos*) in Hebræo proinde, & Græco septem posita esse pro multis, numerum certum pro incerto, quod in scriptura sacra frequens est, vt in illo Isaïæ 4. *Apprehendent septem mulieres virum vnum*, & alibi.

Repleti. Diuitiis abundantes.

Pro panibus se locauerunt. Operas suas vilissimo pretio locarunt, scilicet pro diurno cibo. Italicè dicimus, *saccor-darons per le spese.*

Et famelici saturati sunt. Esurientes enim impleuit bonis, vt in suo Cantico cecinit B. Virgo Luc. i. Remotâ allegoriâ eadem est sententia: Phenenna filiis abundans, & superbiens, ego sterilis, ac propterea despecta, iam ego etiam fœcunditatem adepta, & prolem, quæ hæres erit in domo viri mei, Phenennam ad paupertatem redactam video. Bene dicit, pro panibus se locauerunt, quia qui prius ius habebant ad paternam hæreditatem, iam filio ex primaria vxore Anna nato, munera tantum à patre habituri erant, vt filij concubinæ, hæreditas vero ad primitiæ vxoris Annæ filium pertinebat. Imò pro panibus se locare, hoc est, industria sua victum sibi quærere debebant, vide Genes. 25. 6.

Donec. Heb. *W had*, LXX. vertunt *on*, quia.

Sterilis peperit plurimos. Vnum Samuël, qui multorum sit instar.

Infirmata est. Infirmior apparuit, succubuit.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 7. 8. & 9.

Vulg. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.

Pag. Descendere facit & ascendere.

Caiet. Facit descendere in foueam.

Tigur. Neci dat, & vitæ restituit, deiicit in extremum baratrum sursumque euehit.

Sept. Rom. Deducit ad infernum.

Cald. Dominus qui ipse regnans in sæculo mortificat, & dixit ad viuificandum, descendere facit ad infernum, etiam futurus ad educere faciendum ad vitas sæculi.

Arab. Deiicit ad sepulchra, & ex iis extrahit.

Vulg. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & subleuat.

Arias. Cadere facit, etiam exaltat.

Tigur. Deiicit, & sublimem facit.

Malu. Iuh exterminio funditus delens, & ditescere faciens, humiliare faciens, etiam eleuare faciens.

Cald. Egere faciens, &c. deprimens, etiam extollens.

Vulg. Suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ

teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

Pag. Eleuabit mendicum vt solium gloriæ fortiti faciat eos.

Mont. Suscitatur tenuem, &c. ad sedere faciendum ingenius, & solium gloriæ faciat hæreditare.

Clar. Quia Domino stationes terræ, & posuit super eos confusionem.

Caiet. Domino sunt fortitudines, seu vires terræ.

Vatab. Domini sunt columnæ, &c. suffulcit eis orbem.

Malu. Surgere faciens de puluere exhaustum, de fimeto eleuabit egenum ad sedere facere cum beneficiis, & solium grauitatis, &c. quia Iuh fusiones terræ.

Alij. Soliditates, stationes, compacta terræ.

Sept. Rom. Vt sedere faciat cum potentibus sæculi, & sedem gloriæ hæreditatem dans eis, dans votum viuenti.

Cald. Statuens ex puluere egenum, ex stercore extollens obscurum ad sedere facere cum iustis magnatibus sæculi, & solio gloriæ fortificans eis, quia ante Dominum reuelata sunt facta filiorum hominis, inferius apparabit gehennam

gehennam improbis transgressoribus dictorum suorum, & iusti facientes voluntatem eius, fundavit illis orbem. Syr. Vt sedere faciant cum magnatibus: obumbravit Dominus ima terræ, usque orbem imposuit.

Arab. Et obtinere faciat eum thonum honoris, obumbravit profunda terræ, & habitabiles reddit super eam regiones.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Deducit ad inferos, Alij, Sepulchrum, foueam. De vi, & ratione nominis שְׁאוּל schol, Vide Concord. v. 35. Gen. 37. De stercore eleuat pauperem, Alij, Exhaustum de fimo. Heb. אֲשֵׁפֹת aschphoth, & deducunt à שֵׁפֶת scaphat, posuit, exponuntque repositorium fimi, locum inclusum certis limitibus, quo proicitur fimo, fimum, sterquilinum. Cardines terræ, Alij, Columnæ. Heb. מֵצָוִים metzuchim, à duobus cognatis verbis deducunt, quæ significatu communicant, יָצַק iatzak, fundere, & יָצַק tsuk, premere, coarctare, comprimere, compingere, consolidare, quod res fusione comprimantur, & compingantur, ac veluti contorqueantur; vnde varia lectio: per hos autem cardines terræ intelligo ipsam terræ stabilitatem, & firmitatem, quæ ponderibus librata suis, tanquam centrum in medio mundi immota existit, & omnia velut fulcit, & sustinet: vnde quidam verterunt, Columnæ terræ. Quæ autem aliæ columnæ terræ fingi possunt, quam terræ pondera? Alij, Fortitudines, seu vires terræ, quasi hæc terræ pondera sint quædam veluti munimenta, quibus ipsa aduersus externas incursiones stabilitur, ne à loco suo conuellatur: Et posuit super eos orbem, Alij, Confusionem. Heb. est תְּבֵל thebel. Notant Heb. esse mixturam, seu confusionem à verbo בָּלַל balal, id est orbem habitabilem, in quo omnia sunt mixta, & confusa, vt homines iumenta, &c.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ominus mortificat. Pueros Phenennæ. **Y. 6.** Et viuificat. Pueros Annæ. Deducit ad inferos. In Heb. habetur. Ad fossam. Id est sepulchrum.

Et reducit. Quia aliquando contingit, quod aliqui, de quorum sepultura iam tractatur, ad vitam referuantur: sicut de Ezechia habetur 4. Reg. 20. Pro humiliatone sua coram Domino.

MENOC. Dominus mortificat, & viuificat. Deus vitæ, & mortis Dominus est.

LYRAN. **Y. 7.** Deducit ad inferos, & reducit. Eos, qui mortui sunt, si velit, excitat, & vitæ restituit. Remotâ allegoriâ, significaretur Deum infelices, & miseros fœlicitati, & florenti statui pro sua voluntate restituere, vt sequenti versiculo clarius repetit.

Dominus pauperem. Quia de diuitiis, & honoribus frequenter deicit aliquos propter eorum superbiam: & aliquos pauperes, & abiectos eleuat ad diuitias, & honores, propter eorum humilitatem, per hoc innuit Anna, quod sic factum est à Domino de ipsa, & Phenenna.

LYRAN. **Y. 8.** Suscitatur de puluere. Sedere in puluere est mœrentium

A habitus; itaque suscitatur de puluere, aut de stercore, est excitare à misero statu, & conditione ad felicem. Hæc eadem sententia iisdem prope verbis repetitur Psal. 112. 7. & Luc. 1. 52.

Domini. Hic consequenter ponitur Dei magnificatio: & primò quantum ad potentiam, & hoc est in actu creationis, cum dicitur. Domini. Secundò quantum ad sapientiam, in actu gubernationis, cum dicitur.

Domini enim sunt cardines terræ. Vniuersæ terræ Dominus est ab vno ad alterum polum, ipse enim eiusdem auctor est, fabricator, & gubernator. MENOC.

Quia Domini sunt cardines terræ. Id est, à diuina potentia, sic omnia humana facillimo nutu vertuntur, & sus deque feruntur, ac si terra suos haberet cardines, super quos nullo negotio illam, & omnia in illa contenta, Deus quamcumque vellet in partem raperet ac versaret: sicut in cælo, quia cardinum illius Dominus est, pro libito illud, & omnia in illo fixa astra, perpetuo rotatu circumfert & voluit, quæque manè vel meridie attollit, vespere deprimat. TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 9.

Vulg. Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Pag. Pedes piorum.

Angelomus. Electorum.

Rupert. Humilium.

Arias. In obscuritate, &c.

Caiet. Pedes misericordium suorum custodiet, impij erunt taciti, vel incisi.

Tigur. Pedes bonorum suorum seruabit, & compefcentur, quoniam non in robore validus erit quispiam.

Malu. Pedes benignorum suorum obseruabit, & improbi in tenebrositate in silentium redacti erunt, quia non in virtute præualefcent vir.

Sep. Rom. Benedixit annos iusti, quoniam non in virtu-

te potens est vir. Dominus infirmum faciet aduersarium suum: Dominus sanctus, & non gloriatur diues in diuitiis suis, sed in hoc gloriatur qui gloriatur intelligere, & scire Dominum, & facient iudicium, & iustitiam in medio terræ.

Reg. Benedixit annis iusti, quia non in fortitudine, vir potens in fortitudine sua.

Cald. Corpus suorum iustorum custodiuit à gehenna, & improbi transgressores dicti sui in gehennam, in tenebris iudicabuntur ad ostendendum quod non quisquam, quod sit in eo fortitudo puritatis ad diem iudicij.

Syr. Non enim viribus suis roborabitur gygas.

Arab. Mutos reddit impios in tenebris.

Theodor. & Lucifer pro Athanasio. Sapiens in sapientia sua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Pedes Sanctorum suorum seruabit, Alij, Piorum, misericordium, &c. Est enim חֹסֵדִים chosidim, à radice חָסַד chasad, quod est misereri, & sic per sanctos suos, verè iustos, & pios intelligit: fauent Sept. transferentes, benedixit annos, vel annis iusti, vbi iustus dicitur, non à sola fidei professione, sed à propria iustitia inhaerente, quæ sola æternam benedictionem, de qua hîc sermo, promeretur. Sed vbi legimus pedes, Cald. transfert corpus, Vulg. enim pedes figuratâ loquutione pro toto corpore sumit, si enim Deus pedes abiectissimas corporis partes custodit, cur pectus, caput, & alias nobilissimas partes immunitas defereret? Aduerte pro pedibus Sep. vertisse annos, sed quid commune pedibus & annis? Hoc equidem, quia sicut via decurritur pedibus, ita vita transigitur annis. Nihil autem addunt de illo impiorum silentio, seu supplicio, cum tamen, & in fonte, & in Vulg. exprimat: sed mirandum non est, quia Sep. vt docet D. Aug. lib. 18. Ciuit. solebant aliquid prætermittere, & etiam aliquid addere. In tenebris conticescent, Alij, Taciti, vel incisi. Incisi enim erant ab omnibus bonis, impij.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**edes Sanctorum suorum seruabit. Dirigendo eos in via A parant impij.
 V. 9. morum. Tertio, quantum ad eius iustitiam in actu debita^A punitionis, cum dicitur.

Et impij. Scilicet, in tenebris culpæ, & postea in tenebris gehennæ.

Quia non, &c. Quia per potentiam secularem nullus poterit manum Dei euadere.

MENOC. **P**edes Sanctorum suorum seruabit. Diriget eorum gressus ne impingant, nec incurrant in offendicula, quæ illis

Et impij in tenebris conticescent. Angulo aliquo, aut carcere reclusi, mœrentes, & afflicti conticescent; quia iam magnificè, & gloriôsè de se loqui non audebunt, ut prius faciebant.

Quia non in fortitudine sua roborabitur vir, & vir, idem est ac quilibet, quasi dicat, nemo viribus suis, aut suæ felicitati confidere debet, sed tota spes, & fiducia in Deo locanda est.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 10. ¶ II.

Vulg. Dominum formidabunt aduersarij eius: & super eos in cælis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

Pag. Domini conterantur rixæ eius, & dabit fortitudinem regi suo.

Arias. Rixantes eius.

Calet. Frangentur litigatores eius super eum.

Malu. Consternabuntur litigatores eius, & in cælis tonare faciet, iudicabit defectus terræ, & dedit obfirmationem regi suo, & eleuabit cornu Messia sui.

Sep. Rom. Dominus ascendit in cælos, & tonuit, ipse iudicabit extrema terræ, & dat virtutem regibus nostris.

Reg. Dominus infirmum faciet aduersarium suum, Dominus sanctus, &c. ipse iudicabit fines terræ, iustus existens dabit fortitudinem regibus, &c. & reliquerunt ipsum coram Domino ibi, & adorauerunt Dominum.

Cald. Dominus franget auctores inimicitia qui surgentes ad malidicendum populo suo, super illos de cælis in voce excelsa impellet, faciet ultionem de Gog, & de exercitu gentium, raptorum, qui venerunt ex finibus terræ, &c. & multiplicabit regnum Messia sui.

Syr. Dominus confringet exasperantes se, &c. præstabit magnificentiam regni sui, attolletque cornu.

Arab. Ad iram se prouocantes, & tonitruum fragorem edet super eos, &c. exaltabit gloriam Christi sui.

Vulg. Et abiit Elcana, Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.

Arias. Ministrans Domino cum faciebus Heli, & excusus fuit ministrans ad facies.

Sept. Abiit in Amathem, & puer erat ministrans faciei Domini.

Cald. In vita Cheli.

Syr. Abiit Elcana, & Anna vxor eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dominum formidabunt aduersarij eius, Alij, Conterentur, seu frangentur rixa, seu rixantes, aut litigantes eius super eum. In Heb. est. יַחַד יַחַד יַחַד iechata, à חָתַת chatat, id est frangere, contere, id est, qui cum eo disceptant, aut rixantur, aut cum eo contendere volunt, in nihilum redigentur. Hebræorum quidam volunt, hic Annam precari pro filio suo, & simul pro Israël, quem iudicaturus erat, ut Dominus conterat aduersarios eius: quod factum fuit cum Dominus intonuit voce grandi super Philistæos, qui Israël aggreffi fuerant infra cap. 7. Græca in Compl. & Reg. editione claudunt vers. 9. his verbis. Dominus infirmum faciet aduersarium suum, Dominus sanctus, ubi illud ἀντιστοιχῶν αὐτῶν, verti potest vel aduersarium eius, scilicet iusti, cui impius inuidet, vel aduersarium suum, hoc est ipseus Dei: Sixt. vero prædictis verbis addit. Et non gloriatur prudens in prudentia sua, &c. Quæ verba ita legunt Euthym. Theod. D. Aug. quæ Sep. à Jerem. 9. à Num. 23. sumpserunt, & paucis mutatis, in hunc locum transtulerunt. Non audiendus est Cald. qui hunc versic. sed totum hoc Cant. de sua rep. interpretatur, cum hic versic. sit propheticus de Christi nouissimis temporibus. Dabit imperium regi suo. Alij, Dedit obfirmationem. Est חַזַק Ghaz, quod obfirmationem, robur, potentiam significat, sed metaphoricè regnum, imperium: Et sublimabit cornu Christi sui. Alij, Gloriam. Heb. קַרְנֵן keren. Et quia cornua animalium dura sunt, & summum in eis est robur & potentia, & suam fiduciam in illis collocant, illisque armata impetum in alia faciunt, figuratè sæpissimè pro potentia, regno, præsidio, fiducia, gloria sumuntur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ominus. In iudicio extremo.
 V. 10. Et dabit. Id est, ipsi Christo, cui pater dedit iudicium, ut habetur Ioan. 5. Et quia iudicabit in forma humanitatis, in qua fuit coram Pilato iudicatus, ideo sequitur.

Et sublimabit cornu Christi sui. Id est, vncti sui. Christus enim in humanitate fuit vnctus plenitudine gratia. Licet autem Christus appareat in iudicio in forma humanitatis, tamen non erit infirmitati subiectus, sicut fuit coram Pilato. Sed apparebit in forma gloriosa omni creaturæ, etiam supremis Angelis prælata. Ideo bene dicitur. Et sublimabit cornu. Id est, potestatem, Christi sui. Tunc enim potestas Christi sublimabitur, quando omnia ei perfectè subiiciuntur, quod non adhuc impletum, secundum quod dicit Paulus Apostolus Heb. 2. Nunc autem necdum videmus omnia esse subiecta ei. Ad cuius intellectum considerandum, quod in Christo est duplex natura, scilicet diuina, & humana. Secundum diuinam omnia plenè sunt ei subiecta, nec potestas eius deprimi potest, aut sublimari, cum sit infinita. Secundum vero naturam humanam sublimata est potestas Christi, & ad-

B huc sublimabitur: licet enim ab instanti illius sanctæ vnionis naturæ diuinæ, & humanæ in supposito verbi, omnia plenè subiecta fuerint humanitati Christi authoritatiuè, non tamen executiuè. Primum patet, quia quanto aliqua sunt deitati propinquiora, tanto alia sunt ei magis subiecta: sicut patet de elementari regione quæ tota subiecta est latiori astrorum, ut omnis virtutis eius inde gubernetur, ut dicitur i. Meteororum. Corporaverò celestia subiecta sunt Angelis siue intelligentiis mouentibus ea: & iterum Angeli inferioris, & mediæ Ierarchiæ, subiecti sunt Angelis Ierarchiæ superioris. Natura autè humana in Christo ab instanti vnionis prædictæ propinquior fuit deitati omnibus Angelis: quia vnita est ei in esse hypostastico. Angeli enim quânticūq; supremi nō sunt ei sic vniti, quia nusquā Angelos apprehēdit, ut dicitur ad Heb. 2. sed tantū per operationē, scilicet, per apertam visionem, & fruitionem perfectā: & ideo ab instanti vnionis prædictæ omnia sunt subiecta Christo homini authoritatiuè. Secūdū similiter patet: quia ante resurrectionē natura humana in Christo fuit passibilis, & subiecta pœnalitatibus ad cōplendū mysteriū nostrę redēptionis, & sic nō fuerunt ei omnia subiecta executiuè. Sed quā-

do resurrexit ad vitam immortalem, natura illa fuit plenè gloriosa in anima, & corpore, & per consequens potestas eius tunc fuit sublimata, propter quod tunc dixit Apostolis Matth. 6. *Data est mihi, &c.* Et adhuc sublimabitur in futuro iudicio quando sententia eius quam proferet in natura humana, vt prædictum est, perfecte implebitur in omnibus, tam in electis quàm in damnatis, & secundum hoc dicit hic: *Et sub.* Sciendum autem, quòd Ionathan filius Ozihel in translatione Caldaica aliter exponit canticum Annæ prædictum, cuius sensum accipiam prout potero, addendo etiam aliqua ad maiorem intellectum. Dicit igitur, quòd Anna per spiritum propheticum cognouit statum Iudæorum futurum tempore filij sui Samuëlis, & temporibus sequentibus: & secundum hoc prophetiam suam protulit per modum orationis, & diuinæ laudis, sicut & Psalmi sunt quædam prophetiæ prolatae per modum laudis diuinæ. Dicit igitur, quòd Anna primò spiritu prophético cognouit filium suum Samuëlem futurum prophetam magnum in Israël: & facturum signa, & mirabilia, sicut patet, infra 7. cap. quòd ipso offerente sacrificium pro filiis Israël, Dominus intonuit fragore magno, & exterruit Philistæos, & debellauit. Et infra 12. cap. Samuële rogante Deum, Dominus dedit voces, & pluias contra solitum cursum naturæ: vt per hoc populus Israël, petendo regem cognosceret se peccasse; vt habetur ibidem. Cognouit etiam, quòd tempore filij sui, Israëlita de seruitute Philistinorum essent liberandi, saltem in parte, & secundum hoc dixit: *Exultauit cor meum in Domino:* propter prædicta. Secundo cognouit in spiritu prophético, quòd filius filij Samuël, scilicet Heman, cum quatuordecim filiis suis futuri erant cantores laudū diuinarum in templo Domini, vt habetur 1. Par. 25. & propter hoc dicit: *Et exaltatum est cornu meum,* id est, gloria mea in Deo meo. Tertio vidit Anna per spiritum prophetiæ, quòd Philistæi propter captionem arcæ, & deductionem in terram suam percutiendi erant à Domino: intantum, quòd compellerentur eam remittere super plaustrum nouum cum emenda, pro peccati sui recognitione, ponendo in capsella iuxta arcam mures aureos, & anos aureos: vt habetur infra c. 6. & propter hoc dicit: *Dilatatum est os meum,* ad narrandum vindictā Domini, *Super inimicos meos,* id est, Philistæos, qui erant inimici populi Israël, *Quia latata sum in salutaris tuo,* in hoc quòd coges hostes remittere arcam modo prædicto. Quarto vidit Anna, quòd Sennacherib diciturus foret blasphemias contra Dominum: & quòd niteretur destruere ciuitatem Ierusalem & templum, sed ab Angelo Domini percuteretur eius exercitus vsque ad 185 millia virorum, & sic compelleretur fugere in terram suam verecundè, vt habetur 4. Reg. 19. Et propter hoc dixit Anna: *Non est sanctus, vt est Dominus,* quia ipse est Sanctus Sanctorum, vt habetur Daniel. 9. *Neque enim est alius extra te,* scilicet, verus Deus, quia aliqui dicuntur Dij erroneè: sic Iupiter & Saturnus & consimiles, vel participatiuè, vt iudices & viri sancti. *Et non est fortis sicut Deus noster,* quia in momento, & per vnicum Angelum conteret ipsius Sennacherib exercitum. Quinto vidit futurum esse, quòd Nabuchodonosor rex Babylonis destrueret ciuitatem, & templum, & populum Israël captiualet, vt habetur 4. Reg. vltim. & de hoc multum gloriaretur, propter quod dixit: *Nolite multiplicare loqui sublimia,* de ciuitatis destructione, & populi Israël captiuatione. *Recedant vetera de ore vestro.* Id est, verba superba, quæ dicuntur vetera, quia initium omnis peccati est superbia, vt habetur Eccl. 10. *Quia Deus scientiarum Dominus est,* quasi dicat, ipse scit tempora futura determinata, in quibus adducet super vos vindictam propter peccata, vnde & postea Nabuchodonosor in furiam versus est, vt habetur Daniel. 4. Et Balthasar eius abnepos, secundum Iosephum occisus est. Secundum verò alios Hebræos Balthasar fuit eius nepos, cui concordat dictum Ierem. 27. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis, & seruient ei omnes gentes, & filio filij eius.* Nec plures ibi exprimuntur: & Babylon destructa fuit per Cyrum & Darium, vt habetur. Dan. 5. *Et ipsi preparantur cogitationes:* Quia

Tom. IV.

A *homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Vt habetur, infra 16. Sexto vidit, quòd Græci afflictiuri essent filios Israël tempore Antiochi illustris, qui coëgit filios Israël transire ad Gentilem ritum, & in templo Domini posuit abominandum idolum, vt habetur. 1. Machab. 1. Et quòd per Mathatiam, & filios eius Græci forent debellandi, & mundandum templum Domini, vt habetur 1. Mach. 3. Et propter hoc dicit. Anna. *Arcus fortium superatus est, id est, virtus Græcorum est debellata. Et infirmi accincti sunt robore.* Id est, Machabæi, qui respectu Græcorum videbantur nullius momenti, & tamen pluries eos superauerunt, & de terra Israël eiecerunt, vt patet in processu libri Machab. Septimo vidit in spiritu tribulationem futuram Iudæis tempore Aman Agagitæ, & filios Israël liberandos ab illa per Mardocheum, & Esther, vt habetur in processu libri Esther. Et quantum ad hoc dixit Anna; *Repleti, aliàs saturati, prius,* id est, Aman & filij eius pleni diuitiis, & delitiis temporalibus. *Pro panibus se locauerunt,* quia pro seruanda, & sustentanda vita sua libenter supposuissent se seruituti Esther, & Mardochei, vnde Esther 7. dicitur, quòd Aman rogauit Esther reginam pro anima sua: *Et famelici saturati sunt,* id est, Iudæi qui tunc erant pauperes, & abiecti, per Esther, & Mardocheum fuerunt eleuati per totum imperium Assueri. *Donec sterilis peperit plurimos.* Id est Ierusalem siue Iudæa, quæ secundum Hebræos modo dicitur sterilis, eo quòd Iudæi, qui sunt eius filij inde sunt eiecti, & per orbem dispersi: pariet tamen plurimos, vt dicunt, quia in aduentu Messia quem expectant, dicunt Ierusalem, & Iudæam debere repleti filijs Israël, ibidem de diuersis mundi partibus congregandis, & dicunt quòd tunc omnes aliæ nationes subiicientur. *Et quæ multos habebat filios, infirmata est,* id est, Roma, siue Romanum imperium, quòd vastauit Iudæam, & dispersit Iudæos, tunc debilitabitur, & ad nihilum deducetur. Sed illud quòd hic dicitur, de partu sterilis, secundum veritatem intelligitur de Ecclesia, quæ primo videbatur sterilis propter paucitatem fidelium: sed *peperit plurimos* in conuersione multitudinis gentium ad fidem. Et sic exponit Apostolus ad Galatas 4. c. *Latere sterilis, &c.* Et quæ multos habebat filios, infirmata est, id est, Synagoga, vt patet per orbem vniuersum. *Dominus mortificat.* Hic consequenter ostenditur secundum dictum Ionathan filij Ozihel, vnde prædicta contingant, scilicet ex virtute diuina, quæ potest mortificare viuentes, & viuificare mortuos, id est, potentes huius seculi deducere ad nihilum, & abiectos, & impotentes, qui quasi mortui, & descendentes ad inferos computantur, reducere ad prosperum, & potentem statum. Et eodem modo exponitur quòd subditur. *Dominus pauperem facit, &c.* Quia secundum ipsum populum Iudaicum quem depauperauit, & humiliavit per Romanos, ditabit, & subleuabit per regem Messiam, & sic eleuabit eum de stercore vilificationis ad sedem gloriæ, & exaltationis temporalis. *Domini enim sunt cardines terra.* In Hebræo habetur: *Fortes terra. Et posuit super eos orbem,* quia terra tenet infimum locum, sicut in domo fundamentum. *Pedes Sanctorum suorum seruabit,* ne ruant in culpam, & inde in gehennam. *Et impij in tenebris conticescent,* scilicet, in tenebris gehennæ. *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir,* quia non potest propria virtute subsistere, nisi diuina virtute sustentetur. *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Id est, omnes Gentiles, quos vocat omnes extra sectam Iudaicam existentes: & ideo vocat eos aduersarios Dei, & in aduentu Messia deterreri, & subiugari: ideo subditur. *Dominus iudicabit fines terra,* reddens penam pro peccatis perpetratis: *Et dabit imperium regi suo.* Id est, Messia futuro secundum ipsos. *Et sublimabit cornu,* id est, potestatem Christi sui, id est, Messia, quòd idem significat. Messias enim Hebraicè, Christus Græcè, & vinctus Latinè idem significant: Reges enim per inunctionem instituebantur, & Iudæi expectant Messiam futurum regem, & dominari temporaliter super totum mundum. Ex prædictis patet, quòd expectant prædictum Messiam circa cessationem Romani imperij: & secundum veritatem, ille qui tunc veniet in maxima potestate temporali erit Antichristus, secundum quòd dicit Apostolus 2. ad

S ij

Theſſalonicenſes 2. vbi ſignum præcedens aduentum Antichriſti, dixit eſſe ceſſationem Romani imperij, dicens. *Quoniam niſi venerit diſceſſio primum*, id eſt, diſceſſio à ſubiectione Romani imperij, ſecundum quod exponunt Doctores, *Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, id eſt, Antichriſtus, &c.

MEN OC.

Dominum formidabunt aduerſarij eius, &c. Oſtendit quam tutum ſit præſidium in Domino locatum, argumento à diuina potentia ſumpto, quam de cælo tonantem, & contra rebelles pugnantem, timent aduerſarij eius. Peculiariter verum hoc fuit in Samuële, de quo infra dicitur c. 7. 10. *Factum eſt autem cum Samuël offerret holocauſtum, Philistiim iniere pralium contra Iſraël. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſupra Philistiim, & exterruit eos, & caſi ſunt à facie Iſraël.*

Dominus iudicabit fines terræ. Quippe illius princeps, ac Dominus.

Et dabit imperium regi ſuo. Chriſto Domino, de quo iſta paſſim accipiunt Interpretes, ab Anna ſcilicet pro-

A pheticè dicta.

Et ſublimabit cornu. Vide dicta num. 1. huius capituli. Cornu Chriſti prius depreſſum, & abiectum (ipſe enim ſe vermem appellat, & non hominem, opprobrium hominum, & plebis abiectio) ſublimatum eſt reſurrectione, in cælos aſcenſione, &c. & iudiciaria poteſtate, de qua hic agitur. Poſſunt etiam hæc accommodari regi Sauli, qui à Domino per Samuëlem inungentem, imperium adeptus eſt, & ſublimatus, vt eſſet Chriſtus Domini.

Puer autem. Ex hoc patet, quod ſupra dictum eſt, ſcilicet, quod Elcana pater Samuëlis fuit de tribu Leui, aliter filius eius non poſſet miniſtrare in templo Domini.

Erat miniſter in conſpectu Domini. Cum ſcilicet creſcente ætate factus eſt grandiuſculus. In conſpectu Domini, idem eſt ac in miniſteriis tabernaculi.

Ante faciem Heli. Cui aſſiſtebat, miniſtrabatque, ſub diſciplina, & imperio Heli.

LYR AN.
v. 11.

MEN OC.

VARIETAS LECTIONVM. Verſ. 12. ad 14.

Vulg. Porro filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum.

Pag. Erant impij.

Arias. Abſque profectu.

Sep. Rom. Filij peſtilentes.

Cald. Viri improbi.

Syr. Filij peccati.

Arab. Peccatores, & impij.

Vulg. Neque officium ſacerdotum ad populum: ſed quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer ſacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua.

Pag. Et conſuetudo ſacerdotum cum populo erat, quod omni viro ſacrificante ſacrificium, &c.

Arias. Et iudicium ſacerdotum, &c. veniebat puer circa coqui carnes, & fuſcinula trium dentium.

Clar. Et ius fecerant ſacerdotes erga populum, quod

quicumque.

Sept. Rom. Et iuſtificatio ſacerdotis.

Cald. Et ſtatutum ſacerdotum à populo, omnis vir qui maſtauit maſtationem.

Syr. Fecerunt ſibi fuſcinulam tridentem, & ius accipiebant à populo.

Vulg. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, ſiue in cacabum: & omne quod leuabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi, ſic faciebant vniuerſo Iſraëli venientium in Silo.

Pagn. Et percutiebat in concha, vel in ahenum, &c. omne quod aſcendere faciebat fuſcinula accipiebat.

Caiet. Mittebat eam in cacabum.

Tigur. Quam mittebat in concham.

Sept. Rom. Percutiebat in lebetem magnum.

Cald. Infixit vel in caldare, vel tripodem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filij Belial, Alij, Impij, viri peccati, peſtilentes. Vide dicta ſuperius. *Nesciebant Dominum, nec officium ſacerdotum*, Alij, *Et conſuetudo ſacerdotum cum populo erat, &c.* Iuxta phraſim Latinam vna negatione, legendum erat, neſcientes Dominum, & officium ſacerdotum, nam addita negatione ad verbum *neſcientes*, fit ſenſus affirmatiuus: ſed quia iuxta phraſim Hebræam duplex negatio non affirmat, ſed vehementius negat, propterea vtramque reddit Latinus Interpres. Sept. & Hebraizantes nouam in hoc verſu periodum exordiantur à ſuperiori interpunctam, & auulſam non conſtruentes eam illo verbo *neſcientes* hoc nomen, *officium*, quod proinde non in accuſandi, ſed in nominandi caſu vertunt. *Et iuſtificatio ſacerdotis, &c. & conſuetudo, &c.* Quasi iam hic non ſit ſermo de ignorantia, ſed de noua conſuetudine quam in populum introduxerant. Nihilominus Vulg. ſine dubio ſenſum Origenis expreſſit, conſtruens cum verbo neſciendi, & Dominum, & officium ſacerdotum, quod vtrumque ignorarunt filij Heli, neque aliud colligi poteſt ex Sept. ſaltem iuxta Græca exemplaria, in quibus nomen *δυσωσια*, id eſt officium, neutrum eſt, & proinde poteſt eſſe in caſu accuſandi, cum verbo neſciendi coniungendum: iuſtificatio autem, & Latinè, & Græcè *δυσωσια*, idem eſt quod conſuetudo, ius, ſtatutum, &c. *Et mittebat eum in lebetem.* Alij, *Et percutiebat in concha* à verbo *נכב nachab*, quod eſt percutere, ſed idem ſenſus, nam mittendo fuſcinulam, inſigebat carnes, quas extrahebat.

ANNOTATIONES.

LYR AN.

v. 21.

Porro. Hic conſequenter deſcribitur malitia filiorum Heli, & Samuëlis quæ fuit occaſio terminandi regimen Iudicum, & inchoandi regimen regum. Primo igitur deſcribitur malitia filiorum Heli; Secundo filiorum Samuëlis. cap 8. Prima in duas, quia primo deſcribitur filiorum Heli tranſgreſſio. Secundo tranſgreſſionis puniſtio, ibi: *Venit autem vir Dei.* Circa primum, deſcribendo filiorum Heli malitiam ſcriptura ſimul exprimit Samuëlis iuſtitiam, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant. Primo ergo exprimitur malitia filiorum Heli, cum dicitur: *Porro filij Heli, filij Belial.* Id eſt, abſque iugo legis diuinæ: ideo ſubditur.

MEN OC.

Nescientes Dominum. Non reuerentes, non parentes Domino, vt illi faciunt, qui ſuperiorem non agnoſcunt, ſic Pharaon Exod. 5. 2. dicebat: *Nescio Dominum, & Iſraël*

B non dimittam.

Neque officium ſacerdotis ad populum. Violabant enim leges ſacerdotibus à Domino præſcriptas, & cum populo hoſtias offerente ſeruandas.

Et habebat fuſcinulam, &c. Id eſt, instrumentum ad extrahendum carnes, habens tres dentes.

Puer ſacerdotis. Famulus aliquis ſacerdotis, miniſter, aut filius.

Dum coquerentur carnes. Dum elixarentur. Nam vt notat Abul. in hiſt. c. q. 8. offerentes coquebant carnes ſacrificiorum, quæ ipſis debebantur, & ſacerdotibus. Cum autem ex ſacrificiis pacificis, de quibus hic ſermo eſſe videtur, tantum pectusculum, & armus ad ſacerdotes pertineret, *Ipsi omne quod leuabat fuſcinula, tollebant*, offerentibusque hoc pacto iniuriam faciebant.

LYR AN.
v. 13.

MEN OC.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 15. ad 17.*

Vulg. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.

Pag. Etiam antequam suffire faciebat adipem.

Arias. Da carnem ad assandum.

Calet. Non accipiet à te carnem elixam, sed viuam.

Sep. Non accipiam carnem coctam de lebete.

Cald. Et etiam nondum ascendere facient pinguedinem ad altare.

Syr. Quin etiam antequam offerrent qui sacrificabant victimam.

Vulg. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

Pag. Et sufficiendo suffire faciant hac die adipem.

Malu. Quia nunc dabis, & si non accipi in obtentione.

Sept. Rom. Adoleatur sicut decet adeps.

Cald. Morare vsquequo ascendere facient pinguedinem, &c. & si non accipiet à te super coactionem tui.

Arab. Vi tollam à te velis nolis.

Vulg. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini.

Pag. Quia contemnebant viri sacrificium Domini.

Isidor. Clar. Quia abominantur.

Malu. Et fuit erratum excussorum grande valde ad facies Ihuh, quia inceserunt homines Minchah.

Sep. Reg. Quia detrahebant sacrificio Domini.

Cald. Et fuit culpa puerorum multa nimis, quod spreuerunt viri oblationes.

Syr. Quod homines ad iram prouocarent in conspectu Domini.

Arab. Facinore suo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT coquam sacerdoti, Alij, *Ad assandum*: Est enim in Hebræo לצלות *litseloth*, hoc est vt assem, à verbo צלה *tsalah*, quod est propriè assare. *Accendatur primum iuxta morem hodie adeps.* Sept. *Sicut decet* Septuag. solam legem naturæ innuere videntur, vt prius pars Deo tribueretur, quam hominibus: Vulg. solam consuetudinem significare videtur, sicut & Hebraizantes, qui legunt suffiendo suffire faciant. באימ *baiom*, id est, *Sicut die*, siue vt explicat Vatab. *Iuxta hoc quod hac die solet*, vbi videtur sola consuetudo significari. Cald. nec legis, nec consuetudinis meminit. Syr. & Arab. solius consuetudinis; tamen dicendum quod ex lege positua hoc debebat fieri: sic Leu. 3. & alijs passim cap. hoc exprimitur vt in diuisione victimarum statim adeps Deo separaretur, & adoleatur, vnde hæc lex non fuit tantum per consuetudinem introducta, imò potius ipsa consuetudinem induxit: perinde igitur est: Iuxta morem, alij iuxta legem, non solum naturalem, quæ dictabat primas Deo partes offerendas, sed etiam posituam, quæ eundem ordinem imperabat, & vtramque diuturna consuetudine confirmatam. *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini*, Alij, *Quia abominantur viri sacrificia*; sua enim culpa, Laicos, ad sacrificia odio vel contemptui habenda impellebant; Hebr. est נאסו *niatsu*, abominabantur, à verbo נאס *naats*, quod blasphemare, seu abominari significat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**tiam antequam. Scilicet filij Heli, quia ad eorum officium pertinebat cremare adipem sacrificiorum super altare holocaustorum.

Da mihi carnem, &c. In Hebr. habetur, *Ad assandum sacerdoti*: propter hoc enim volebant accipere carnem crudam, vt coqueretur, & pararetur ad eorum voluntatem contra Dei legem.

MENOC. **E**tiam antequam adolerent adipem. Tam in victimis pacificis, quam in victimis pro peccato adeps Domino adolebatur: in hoc ergo peccabant sacerdotes, quod antequam Domino adoleretur adeps, ipsi carnes cum adipe, repugnantibus iis qui offerebant, accipiebant minitabundi, & non tam in Deum inurbani, cui primum quasi ferculum ex conuiuio offerendum erat; sed irreligiosi etiam, & impij, qui leges sacrificiorum violabant.

LYRAN. **I**ncendatur primum, &c. Illud enim de sacrificiis debebatur Domino, & ideo debebat sibi primum offerri.

LYRAN. **E**rat ergo peccatum puerorum. Dicuntur autem pueri moribus, non ætate, quia iam erant homines prouecti.

A *Quia retrahebant homines.* Propterea quod peccatum eorum erat contra Deum, & redundabat in totum populum. Consequenter iuxta illorum malitiam describitur innocentia Samuëlis, cum dicitur.

Quia retrahebant homines à sacrificio Domini. Pridem ESTIVS. legebatur (*quia detrahebant*) & aliqui interpretabantur, quod homines partem à sacrificio detrahentes sibi seruarent: alij, quod detrahebant homines sacrificio, id est, quod illuc vilipendebant, ob improbitatem filiorum Heli. Et posterior hic sensus conuenit cum eo quod nunc substitutum est (*retrahebant*) & sensum hunc postulant Hebræa & Græca: Sic enim habent Hebræa (*quia contemnebant viri sacrificium Domini.*) in Græco quoque legitur, (*quia aspernabantur sacrificium Domini.*) A quo sensu, ne iterum facillè recederentur, credo pro (*detrahebant*) Romana correctione substitutum esse (*retrahebant.*)

Quia retrahebant homines à sacrificio Domini. Cum enim MENOC. viderent non seruari ritus solitos sacrificiorum, ab oblationibus abstinebant.

VARIETAS LECTIONVM. à *Vers. 18. ad 21.*

Vulg. Samuël autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.

Arias. Ministrans cum faciebus Domini.

Sep. Rom. Ephod Bad.

Reg. solum habent. Ephod.

Cald. Iuuenis indutus chardot byssi.

Syr. Ephod byssino.

Arab. Sacco lineo.

Vulg. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam solemnem.

Pag. Ad immolandum hostiam anniuersarij.

Calet. Annuatim ad immolandum hostiam, & votum suum.

Tom. IV.

Arias. Pallium paruam faciebat, & ascendere faciebāt ei à diebus ad dies in ascendendo eam, &c. hostiam dierum.

Sep. Rom. Et diploidem paruam fecit. *Reg. vt Vulg.*

Cald. In tempore solemnitate ad solemnitate, &c. ad sacrificium solemnitate.

Syr. Afferebat ei de tempore ad tempus, &c. ad purgandum sacrificia voti sui.

Arab. Attulerat secum tempore peregrinationis suæ.

Vulg. Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius. Dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro scœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.

Pag. Ponat tibi semen pro commodato quem commo-

S iij

dauit Domino.
Arias. Pro petitione, quam petiuit.
Clar. Pro commodato, quod commodasti.
Vatab. Pro portione quam postulauit sibi.
Sep. Rom. Retribuat tibi Dominus.
Reg. ut in Vulg. Et abit in locum suum.
Cald. Statuat tibi Dominus filios rectos ex vira hac propter petitionem, quam petiuit.
Syr. Pro mutuo.
Arab. Pro munere.

Vulg. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuël apud Dominum.
Pag. Creuit puer ante Dominum.
Arias. Euasit grandis coram Domino.
Caiet. Grandiuit puer cum Iehoua.
Malu. Visitauit & ingrauidata fuit.
Cald. Quia intrauit recordatio Annæ ante Dominum.
Arab. Adolefcebat puer, & ministrabat puer coram Domino.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Accinctus Ephod lineo. *Sep. Rom. Ephod Bad.* Propriè Ephod, vt iam diximus, vestimenti genus, à verbo *תבא* *aphad*, id est, cingere. Græcè *ἐπιδύμης*, hoc est, *super indumentum*, seu *ἀπώμης*, id est, *super humerale*, seu *ἐπιδύμα*, hoc est superius pallium. Cum autem multiplex sit Ephod, hîc est sermo de Ephod Leuitico. Dicitur enim Ephod lineum, quod est proprium Leuitarum, quo aliquando etiam vsi sunt Laici, quando in diuino obsequio aliquo modo occupabantur. Et licet *Sep.* nec in *Reg.* nec in *Compl.* editione, hanc particulam linteo non addiderint, tamen in *Sixt.* reperies particulam Hebraicam *bad*, id est, lini, seu lineo. *Statutis diebus*, *Alij*, *Annuatim*, *diebus ad dies*. *Hofiam salutarem*, *Alij*, *Hofiam dierum*, *sacrificium solemnitatum* Vide *Concord.* vers. 4. cap. præced. *Reddat tibi Dominus semen*, *Cald.* quodnam semen illi deprecatur explicat, dicens, *Statuat tibi filios rectos, pro fœnore quod commodasti Domino*, *Alij*, *Pro commodato quod commodasti*, hoc est pro filio, quem Deo fœnori, seu ad repetendum fœnus tradidisti. *Abierunt in locum suum.* *Sep.* *Abiit*, sed non est discordia, quia sub viro qui est caput mulieris, ipsam quoque mulierem intellexerunt. *Magnificatus est*, *Alij*, *Euasit grandis*, non quantitate molis sed virtutis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 18.* **S**amuël. Non in officio sacerdotali, sed in ministerio **A**uum. Cætera patent vsque ibi.
sibi competenti.
Puer accinctus. Id est promptus, & paratus.
Ephod lineo. Non est tale vestimentum, sicut Ephod summi sacerdotis quod alio nomine dicitur superhumera-
MENOC. *Accinctus Ephod lineo.* Ephod genus est vestis quod humeros tegit, & pectus ambit, & si vsum eius spectemus, semper sacer est ac religiosus, si verò personas quæ illud induebant, vel Ecclesiasticus erat, vel politicus. Ecclesiastico induebantur Pontifices, sacerdotes, Leuitæ; politico Laici, quale fuit illud quo Dauid indutum legitur, 2. Reg. 6. 14. & 1. Paral. 15. 27. Ergo Ephod Samuëlis Leuitæ, hoc sensu Leuiticum erat; vel quia per ætatem nondum poterat esse in Leuitam consecratus; Politicum.
LYRAN. *Et tunicam parnam.* In Heb. habetur, & pallium par-

Tunicam. Heb. est *חֵטֶם* *mehil*, quam vocem Interpres noster vertit hoc loco tunicam, alibi pallium, aut vestem.
Statutis diebus. Heb. *A diebus in dies.* Annuatim, singulis annis.
Ascendens cum viro suo, &c. Vide dicta cap. 1. Num. 3. & 21.
Benedixit Heli Elcana. Ea fortasse formula, quæ habetur Num. 6. 24. *Benedicat tibi Dominus, &c.* Additis quæ sequuntur in proximo.
Reddat tibi Dominus. Tu filium vnum commodasti Domino, vicissim tibi Dominus cum fœnore multiplicet honorem, & obsequium faciat.
Et magnificatus. Et quo patet suæ bonitatis augmentum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 25.

Vulg. Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia quæ faciebant filij sui vniuerso Israël; & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.
Pag. Quæ congregabantur ad ostium tabernaculi Ecclesiæ.
Arias. Cubabant cum mulieribus militantibus ad ostium tabernaculi conuentus.
Clar. Quæ excubabant.
Caiet. Ad ostium tentorij adunationis.
Tigur. Constitutionis.
Malu. Quod cubabant ad mulieres exercitantes ianuæ tentorij stationis.
Sep. Reg. Quæ aderant ad ostia tabernaculi testimonij.
Cald. Quæ venientes ad orandum in porta tabernaculi fœderis.
Syr. Quod stuprabant mulieres quæ orabant in tabernaculo fœderis.
Arab. Quæ veniebant oratum coram Domino in æde ipsius.
Vulg. Et dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo?
Pagn. Vt quid facitis secundum hæc quæ audio vestra mala?
Pagn. Audiens vestra mala verba?
Caiet. Res malas?
Sept. Rom. Vt quid facitis iuxta verbum hoc?
Reg. Secundum verba quæ audio dicta contra vos?

Syr. Nam audio famam vestram malam.
Arab. Quare committitis huiusmodi facinora, quænam est hæc fama turpis, quæ delata est ad me?
Vulg. Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.
Arias. Ne filij mei.
Sep. Rom. Non filij, quoniam non bona auditio, quam ego audio. *Ita Mont.* Nolite facere ita, quoniam non bonæ auditiones, quas ego audiens vt faciatis non seruire populum Deo.
Cald. Quam frementes omnis populus Domino.
Syr. Non enim est decens rumor ille, &c. quod vos auertitis populum Domini.
Arab. Quoniam fama quæ perlata est ad me de vobis, quod vos deprimatis populum Domini, non est honesta.
Vulg. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.
Pagn. Iudicabit eum Dominus.
Clar. Arbitri esse poterunt iudices.
Caiet. Quis orabit ei?
Vatab. Quis disceptabit pro eo contra Dominum?
Tigur. Quis sese arbitrum interponet?
Malu. Si errabit vir viro, & interpellauit eum Elohim, & si Ihu errabit vir quis se interpellare faciet ei? &c. quia beneplacitum habuit Ihu, ad mori facere eos.

Sept. Rom. Orabunt pro eo ad Dominum, si peccauerit Domino, &c. quoniam volens volebat Dominus perdere illos.
Reg. Occidere.
Cald. En non ibunt ab ante iudicem, & audiet loquelas eorum, & exquiret inter eos, & si ante Dominum peccauerit vir, à quo orabit, & remittetur ei, & non obdierunt dicto patris eorum, quoniam voluntas ante

Dominum, ad occidendum eos.
Arab. Quoniam si homo læserit hominem, veniam petit à Domino, & implorat ab eo indulgentiam, &c. sed non acquieuerunt sermoni patris sui, quia Dominus volebat vtrumque morte afficere, propter crimen eorum.
Multi patres. Orabit pro eo sacerdos, si autem sacerdos in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quomodo dormiebant cum mulieribus, Alij, *Quod stuprabant mulieres.* Hæc verba absunt à Sep. Sixt. & Bibliis Fortunati, sed in aliis Codicibus Græcis reperuntur, imò Heb. Latin. Syr. Arab. nec non in Iosepho, & SS. Patribus. *Quæ obseruabant.* Alij, *Orabant, militabant.* Vide Concord. v. 8. Exod. 38. *Si peccauerit vir in virum, Alij, Si errabit vir viro. Placari ei potest Deus.* Alij, *Quis orabit ei? Arbitri poterant esse iudices.* In Heb. est verbum palal, quod omnes has significationes habet, orandi, iudicandi, placandi, si in virum peccauerit. *Si autem in Dominum peccauerit vir, Alij, Si peccauerit sacerdos,* tamen hæc lectio non habetur nisi in aliquibus patribus, vt in D. Aug. in Psal. 36. in Hieron. in Epist. ad Hebræos, Cesar. Arel. homil. 15. &c. itaque personas orantes, quidam non distinguunt à peccantibus: vt Latinus Vulgatus: si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: non exprimens, per orationem alterius à peccante diuersi; atque adeo supponens ab ipso peccante placari posse: alij distinguunt, vt Sept. loquentes de peccante in singulari; si peccauerit vir in virum; de orante in plurali, orabunt pro ipso, atque adeo eos inter se distinguunt. Item illi patres qui legunt; si peccauerit vir in virum, orabit pro eo sacerdos; vbi peccantem faciunt Laicum, orantem sacerdotem: tandem personas, quæ orantur, seu ad quas iniuria defertur ignoscenda, seu punianda; quidam non distinguunt, supponentes esse vnum Deum, qui placatur pro peccato in hominem, non autem pro peccato in Deum. Alij distinguunt, vt Cald. & qui illum sequuntur; ponentes in priori parte iudices, seu arbitros humanos, ad quod peccatum in hominem defertur; qui causam agnoscunt, & litem dirimunt, & iniuriam compensant, ac tandem omnia componunt, & ad pacem tranquillitatemque reducent, cum peccatum in hominem commissum eorum vim iudicariam non excedat: in posteriori autem ponentes iudicem æternum, ad quem solum peccatum in Deum defertur iudicandum: qui Interpretes iuuari potuerunt ex Hebræo, vbi est in priori loco, Elohim, id est, iudices; in posteriori, Iehoua, hoc est, ipse Deus. *Quare voluit Dominus occidere eos.* Sep. *Volens volebat,* non absolutè, sed vt habet Arab. *Propter crimen eorum.* Prius fuit non obedisse filios Heli, & nolle cessare à sacrilegiis suis, quam Deum voluisse absolutè occidere, quamuis littera videatur oppositum sonare, non enim ipsi vocem patris audire voluerunt, quia Dominus voluit occidere eos, sed vice versa, Dominus voluit occidere, quia ipsi noluerunt audire.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 22.* **H**eli autem. Hic reuertitur scriptura ad describendum malitiam filiorum Heli, quia patri arguenti non acquieuerunt, sed obstinati in malitia remanserunt. Et hoc est quod dicitur.

Et audiuit. Retrahentes eum à sacrificiis Domini propter prædicta.

Et quomodo. Istæ erant mulieres, quæ veniebant vt purificarentur post partum, vt præcipitur Leuit. 12. *Et filij Heli sollicitabant eas, & aliquas decipiebant.*

ESTIVS. *Et quomodo dormirent cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Id est, quæ conueniebant, seu congregabantur religionis causa ad fores tabernaculi; nam vox Hebræa significat conuenire, seu congregari: quomodo etiam vertit Pag. Pro quo tamen Arias Mont. maluit ponere (*exercere.*) Hebræi puerperas intelligunt, quæ veniebant turmatim ex diuersis locis, vt purgarentur, & orarent Deum. Tu interim vide Annotationes Exodi 28. & quod id, quod nos habemus: *Quæ obseruabant ad ostium tabernaculi,* fortè non malè acciperetur sicut illud 1. Cor. 7. *Obseruandi Dominum,* de quo vide nostrum commentarium.

MENOC. *Cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Virgines erant aut viduæ tabernaculo deseruientes, texendis sacris vestibus, abluendis, sarcinendis, aliisque huiusmodi ministeriis, quæ muliebrem artem, & industriam requirunt, vel perpetuo, vel ad tempus addictæ. Cum his ergo mulieribus filij Heli turpem consuetudinem habebant.

TIRINVS. *Cum mulieribus.* Quæ consecratæ Deo, *obseruabant ad ostium tabernaculi,* nutus & imperia sacerdotum, quid nempe per ipsas curatum vellent. De his egi. Exod. 38. vers. 8.

LYRAN. *Y. 23.* *Et dixit.* Reprehendit eos nimis molliter, propter quod dixit Hieron. super locum istum: [Heli pro iniquitate filiorum suorum damnatus est, corripuit quidem eos, sed lenitate patris, non autoritate Pontificis, & quia costenebatur corripere: ideo non solum pro iniquitate filiorum, sed pro sua etiam fuit punitus.]

ESTIVS. *Et dixit eis; Quare facitis res huiuscemodi?* Hierony-Tom. IV.

Amus lib. 1. contra Pelagianum cap. 8. de Heli sic habet. Corripuit filios, & punitus est, quia non corripere, sed abicere debuit. Alij hoc in Heli reprehendunt, quod lenius ac remissius, quam pro magnitudine peccati corripuerit: quodque cito cessauerit à corripiendo, quasi nolens acerbius contristare filios. Certè quando correptionem vidit non proficere, abicere eos debuit, vt bene dicit S. Hieron.

Quare facitis res huiuscemodi, &c. Mollis nimis, ac remissa reprehensio. **MENOC.**

Vt transgredi faciatis populum Domini. Vel legibus sacrificiorum non seruatis, de quo dictum supra num. 12. & 13. populum inducendo vt consensu suo peccati particeps esset, vel prauorum morum exemplo.

Vt transgredi. Quia, sicut dictum est, pro malitia eorum populus retrahebatur à sacrificiis debitis, & à debita reuerentia erga Deum. **LYRAN.** *Y. 24.*

Si peccauerit. Per orationes & sacrificia. **LYRAN.**

Si autem. Quasi diceret remitteretur sibi per talia, non quia tale peccatum sit simpliciter irremissibile, sed quia de difficili est remissibile. Et per talem modum dicit Saluator. Matth. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc saculo, neque in futuro.* **Y. 25.**

Et non audierunt. Ex quo patet eorum obstinatio.

Quia Dominus. Contrarium autem videtur dici Ezech. 33. *Nolo mortem, &c.* Dicendum quod Deus non vult mortem peccatoris per se, sed vult iustitiam suam, sicut & bonitatem, ad quam sequitur punitio peccatoris, quæ aliquando fit per mortem corporalem, & aliquando cum hoc per mortem gehennæ.

Si peccauerit, &c. Grauitas peccatorum ex obiecto aestimatur. Et proinde cæteris paribus grauiora sunt peccata quæ in Deum directè committuntur, quam quæ in hominem. Vnde blasphemia grauior est quam contumelia in hominem, & in cæteris simili modo: filij autem Heli in Deum peccabant, quia circa diuina sacrificia, & cultum Dei, quod est irreligiositatis peccatum, religioni oppositum. Sensus ergo est. Peccatum in hominem commissum, facillè impetrat veniam: in Deum autem non ita facillè. **ESTIVS.**

bræi aliter exponunt, & legunt, ita videlicet: *Si peccauerit, &c.* Vt sit argumentum à minori. Si iudicabitur à Domino, id est, punietur, qui in hominem peccat, quanto grauius punietur qui peccat in Deum? ita vt difficulter quis peccati remissionem sua intercessione impetrare possit.

MENO C.

Si peccauerit, &c. Loquitur Heli iuxta ea, quæ inter homines accidunt, multò enim difficilius quis sequester intercedat apud iudicem, cum ipse iudex iniuria violatus est, quam si alicui priuato fuerit illata. Porro scriptura refert tantum quid Heli filiis dixerit cum eos obiurgaret, nec necesse est verba illa anxie interpretari, & ad Theologicam normam, quasi diuinæ fidei pondus haberent, exigere, vt notat Sanchez in hunc locum. Sensus etiam esse potest. Si vos sacerdotes, qui Deum aliis per sacrificiũ placatum redditis, eum offenditis, & irritatis, quis alius cum vobis propitiabit? Huic expositioni fauent 70. qui pro *Placari ei potest Deus*, habent, *orabunt pro ipso Dominum*. Tandem sensus esse potest. Si ita peccatis vt sacrificia tollatis, quis reliquus testat modus placandi Dominum?

Quia voluit Dominus, &c. Quia Dominus extraordinaria eis auxilia gratiæ non tribuit, quibus destituti, vitio tamen suo perierunt. Vel etiam particula, *quia*, sumitur pro idcirco. Non audierunt, idcirco voluit Dominus perdere

illos, ita Emanuël Sa explicat illud Osée 9. 15. *Omnes nequicia eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos.*

Si autem in Dominum peccauerit vir. Eo præsertim modo quo vos peccatis, profanando tabernaculum Domini incesto concubitu, & meretriciis fordibus, conculcando sacrificia, legesque omnes diuinas, atque ita, quantum in vobis est, tollendo è medio omnia præsidia, quibus ex instituto Dei, venia & misericordia peccatoribus extorqueri solet; his, inquam, sublatis, & à vobis penitus euerfis; *Quis orabit pro vobis?* Id est, quis subministrabit aliud sacrificium, aut orationem solemnem, qua vobis placetur Deus, & à peccatis expiemini? Ita Guspar Sanctius.

Et non audierunt: &c. Particula *quia*, non denotat hic propriè dictam causam, vel directam, & absolutam intentionem Dei: sed solum conditionatam, indirectam, & impropiè dictam. Neque enim impulit illos Deus in peccatum, aut vi præcipites egit (vt blasphemant Calvinistæ) sed tantum subtraxit illis, vtpote indignis, extraordinaria, & indebita auxilia, quibus peccatum quod punire voluit, & peccato debitum, decretumque supplicium effugerent. Ita S. Hieron. S. Augustinus, S. Thomas, & Doctores Scholasticæ, & nos c. 45. Genes.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 26. ad 29.

Vulg. Puer autem Samuël proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino quàm hominibus.

Pag. Puer ambulabat.

Arias. Et grandescens, & bonus etiam cum Domino, & etiam cum, &c.

Sep. Rom. Et puer Samuël ibat.

Reg. Proficiebat, & magnificabatur.

Cald. Et nomen eius bonum, & rectæ viæ eius ante Dominum, & probata facta eius in medio filiorum hominis.

Syr. In dies magnificabatur valde

Arab. Adolefcebat, & probitas eius innotescebat coram Domino.

Vulg. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cū essent in Ægypto in domo Pharaonis?

Pag. Nonne manifestando manifestavi me Domui?

Sept. Rom. Reuelans reuelatus sum, &c. cū essent serui in domo, &c.

Cald. Venit propheta.

Arab. Equidem apparui familiæ patris tui.

Vulg. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël.

Pag. Vt suffiret thymiamam vt portaret superhumerali coram me, &c. dedi omnes oblationes.

Mont. Ad ascendere facere super altare meum.

Malu. Ad suffire facere suffitum, dedi omnes ignitiones.

Calet. Dedi omnia incensa.

Figur. Omnia sacrificia, quæ igne fiunt.

Sep. Rom. Dedi omnia quæ sunt ignis, &c. in escam.

Cald. Et optaui in eo vt sit sacerdos, ad ascendere faciendum oblationem.

Arab. Gestaretque pectorale sacerdotum in præsentia mea.

Vulg. Quare calce abiicistis victimam meam, & munera mea quæ præcepis vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei?

Pag. Et cur calcitastis in sacrificium meum, & in oblationem meam vt impinguaretis vos de primitiis sacrificij?

Mont. De initio omnis muneris in Israël.

Calet. Ad satiandum vos.

Arab. Vt saginaretis vos ipsos.

Figur. Quare conculcatis sacrificium meum? Sacrificium meum cibarium?

Malu. Ad quid ferocietis in sacrificio meo, & in minchah mea, &c. & aggrauasti filios tuos à me ad recreare facere vos de principio omnis minchah?

Sep. Et vt quid despexisti in incensum meum, & in sacrificium meum impudenti oculo, & glorificasti filios tuos super me benedicere de primordio?

Reg. Et in victimam meam, &c.

Lucif. in Sixt. Omnia frumenta filiorum, vt benediceretur primitia omnis sacrificij.

Cald. Ad quid vos vim inferentis in mactationem sanctam meam, & oblationem, quæ iussi ad offerendum ante me, &c. ad alendum eos ex capite omnis oblationis?

Syr. Quare peccastis in sacrificium, &c. ita vt eligatis è præcipuis omnium oblationibus?

Arab. Quod ergo fraudulenter, & iniquè egistis in sacrificia mea, &c. permittens eis, vt eligerent præstantissima oblationum, & primitias.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Proficiebat atque crescebat, Alij, Puer ambulabat, & grandescens. Vide Concord. v. 21. Et placebat tam Domino, &c. Alij, Bonus erat coram Domino, ex morum integritate, operumque perfectione. Attende quæ dicit Cald.

Propheta Dei. Numquid non apertè reuelatus sum? Alij, Nonne manifestando manifestavi me, quæ geminatio significationem auget, quam Vulg. exprimit transferens, apertè reuelatus sum in Ægypto, id est, propè Ægyptum. Dedi omnia de sacrificiis, Alij, Omnes ignitiones. Sep. Omnia quæ ignis, id est omnia quæ supererant extra partes Deo oblatas: per verba autem hæc, ignitiones, omnia quæ ignis, metonymicè à signo, nempe ab igne, quo sacrificia fiebant, sacrificia indicantur præcipuè illa, quæ dicebantur incensa, quoniam nulla pars ad Laicos, sed ad sacerdotes solos pertinebat.

Quare calce abiicistis? Sep. Quare despexisti? Sed non est discordia, neque pugna, quia quando pater propter scelera filiorum reprehenditur, etiam filij reprehenduntur. Addunt Sep. Impudenti oculo, hoc est, vehementer despexistis, qui contemptus sic explicatur per Vulg. Calce abiicistis: est enim in Heb. באגח baghat, quod est calcitrare. Victimam meam, & munera mea, Alij, In sacrificium meum, & in oblationem meam, &c. Hoc est cruenta, & incruenta sacrificia. Nam victima est sacrificium cruentum. Vnde Cald. transtulit. Mactationem meam. Munera vero sunt incruenta sacrificia, vnde Lucifer. Frumenta mea. Aliqui, Sacrificium cibarium, id est, frumentarium; Vt comederetis primitias. Alij, Vt impinguaretis vos de principio omnis minchah. His enim sacrificiis non tam ad escam, quam ad faginam, & voluptatem vescebantur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Ver autem.* Hic conuertitur scriptura ad describendum Samuelis iustitiam, iuxta filiorum Heli malitiam ratione supradicta, cum dicitur.

Proficiebat. Etate, scilicet & virtute.

Et placebat. Sicut dicitur de sancto Sebastiano: Necessè erat vt quem Deus tanta perfuderat gratia, ab omnibus amaretur.

LYRAN. *Venit autem.* Hic consequenter describitur transgressionis filiorum Heli punitio. Et primo describitur huius punitiois denuntiatio. Secundo executio, cap. 4. Prima in duas: quia primo denuntiatur per nuntium extraneum. secundo per discipulum subiectum cap. 3. Circa primum dicitur: *Venit autem.* Huius viri nomen non exprimitur: & ideo circa hoc variè dicitur. Ab antiquo dixerunt aliqui, quod fuit Phinees, filius Eleazari sacerdotis qui adhuc viuebat. Sed hoc videtur impossibile, quia Phinees ante mortem Mosis iam erat ad minus 30. annorum, vel circiter: quia tunc factus fuit Phinees princeps exercitus contra Madianitas, vt habetur num. 31. Item à morte Mosis vsque ad mortem Heli antequàm pauco tempore vir iste Dei venit ad Heli, fluxerunt anni trecenti 57.

Quod declaratur sic: quia ducatus Iosué incepit immediatè à morte Mosis. Tempus autem ipsius Iosué quo præsuit, non exprimitur in scriptura: sed continetur sub tempore Othoniel qui ei successit, & hoc tempus fuit 40. annorum, vt habetur Iudic. 3. post ipsum Aod præsuit 80. annis, Iudic. 3. Post Debbora 40. Iudic. 5. Postea Abimelech tribus annis, Iudic. 9. Post eum Thola. 23. Iudic. 10. Post Thola, Iair 23. Iudic. 10. Post Iair filij Israël fuerunt sine Iudice 18. annis quibus seruierunt Philisthæis & filiis Ammon, vt habetur Iudic. 10. Postea Iephte præsuit sex annis, Iudic. 12. Post eum Abefan annis septem, Iudic. 12. post eum Ahialon, 10. Iudic. 12. Post eum Abdon 8. Iudic. 32. Post eum Samson 20. Iudic. 16. Post eum Heli 40. vt habetur 1. Regum 4. qui simul iuncti faciunt annos 357. Alij verò dixerunt, quòd iste vir fuit Helias propheta. Sed hoc etiam videtur impossibile, quia ante mortem Heli, iam Helias fuisset 20. annorum & plus, cum hic dicitur vir secundum eos, Item à morte Heli vsque ad tempus quo Helias fuit raptus, vt habetur 4. Regum cap. 2. fluxerunt anni 208. Quod declaratur sic: quia Samuel præsuit post Heli, cuius tempus non exprimitur: & ideo continetur sub tempore Saulis, & istud tempus fuit 40. annorum, vt habetur Act. 3. Post Saul regnauit Dauid 40. annis 2. Regum 5. Post Dauid Salomon 40. v. 3. Regum 31. Post eum Roboam 17. 3. Reg. 14. Post eum Abia tribus annis, 3. Reg. 15. Post eum Ala 41. 3. Regum 15. Post eum Iosaphat 25. 3. Regum 23. Post eum Ioram annis duobus vsque ad mortem Ochoziæ regis Israël, vt habetur 4. Regum 1. Propter quòd alij dicunt, quòd iste vir Dei

A de quo hic agitur, fuit Angelus in specie viri. Hebræi autem moderni dicunt quòd fuit Elcana pater Samuelis à Deo missus ad ipsum Heli arguendum, & pœnam debitam sibi ac filiis suis nuntiandam. Ideo subditur.

Hæc dicit Dominus. Nunquid non aperte reuelatus sum. De ista reuelatione autem habetur Exod. 4. vbi dicitur, quòd Aaron à quo descendit iste Heli, vt dictum est supra capit. 1. per Domini reuelationem iuit obuiam fratri suo Mosis, & tunc reuelatum fuit sibi, quòd futurus erat summus sacerdos, vt hic dicitur, licet Exod. 4. non exprimitur.

Venit vir ad Heli. Propheta aliquis, cuius nomen scriptura non exprimit. **MENO C.**

Reuelatus sum domui patris tui, &c. Aaroni, à quo Heli per Ithamar trahebat originem. Nunc autem hoc accidisse verisimile est cum Exod. 4. n. 27. Deus Aaronem allocutus est, eumque Mosis interpretem constituit.

Et portaret ephod coram me. Id est, superhumeralis, cui **LYRAN.** coniunctum erat rationale iudicij, vt habetur Exod. 20. **ψ. 28.**

Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. Id est omnia ad ipsos pertinentia: quia aliqua de sacrificiis cremabantur ad honorem diuinum, & aliqua erant ipsorum offerentium in sacrificiis pacificorum, vt frequenter supra dictum est.

Omnia de sacrificiis. Ex omnibus sacrificiis aliquid, nam **MENO C.** etiam ex holocaustis pellis cedebat sacerdoti. Leuit. 7. v. 8.

Quare Id est, contemptibilem reddidistis, quia filij **LYRAN.** Hebræi prius accipiebant partem suam, quam pars diuina offerretur, & cremaretur. Et quia aliquando accipiebant pro se illa, quæ debebant Deo offerri, ideo subditur. **ψ. 29.**

Et magis Et quia Heli tenebatur filios suos corripere de contemptu diuino, ideo dicitur hic magis honorasse filios suos, quam Deum.

Quare calce abiicistis victimam meam? Ignominiose impediendo sacras religiones sacrificiorum, & quasi calce impaeto, impediendo ne populus victimas offerret, & munera.

Magis honorasti filios tuos. Quos impunè peccare in me passus es, ne illis molestiam creares.

Vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël. Quasi è sacro ministerio id vnum, aut præcipuè spectandum esset vt optimum quodque vobis è sacrificiorum primitiis vendicaretis Hebr. *impinguaretis vos primitiis.*

Quare. Id est, pro vili & abiecto habuisti victimas & sacrificia mihi consecrata? nempe, Tu per filios tuos. **TIRINVS**

Vt comederetis primitias omnis sacrificij. Id est, prima omnia & præcipua, seu optima & pinguisima, quæque Deo adoleri debebant: hæc enim puer sacerdotis fuscina ex ollis præripiebat, neque sinebat Deo offerri, sed in liberos sacerdotis vsus fecernebat.

VARIETAS LECTIIONVM. *Vers. 30.*

Vulg. Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Pag. Ambulabunt coram me vsque in sæculum Honorantes me honorabo, contemnentes autem me contemnentur.

Arias. Vilipendentur.

Tigur. Ignominia afficientur.

Malu. At sic fidelis sermo Ihuu prophanatio mihi, quia aggrauantes meos aggrauabo, & spernentes mei lauihient.

Sept. Dixi, domus tua, &c. transibunt coram me, &c. nequaquam mihi, quoniam tantum glorificantes, &c. & qui spernit me, honore priuabitur.

Reg. vt Pag.

Cald. Et nunc dicit Dominus vera illa iudicia, quòd honorantes ante me, &c. & qui contempserint super nomen meum, despicientur.

Syr. Decreueram quidem quòd ministrarent, &c. contemtores mei ignominia afficientur.

Ita etiam S. Ephrem.

Arab. Nunc vero qui me spreuerunt, deprimam.

S. Hier. Qui me despiciunt, ad nihilum deducuntur.

Sixtus PP. in Epist. de malis Pastoribus. Et qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur. *Ita etiam S. Paul.*

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Loquens locutus sum. Sept. Dixi, sed geminantur hæc verba etiam in Hebr. vt loquutionis firmitas exprimeretur, vnde vertit Malu. Sic fidelis sermo Ithub. Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; Alij, Honorabo. Verbum כבד est honorare, glorificare. Qui contemnunt me, erunt ignobiles; Alij, Ignominia afficientur, ad nihilum redigentur. Est enim קלל kalal, quod est vilescere, vilipendere, despiciere, & licet ab omnibus in futuro plurali primæ personæ habeatur, Contemnentur, ignominia afficientur. Solus Arab. legit in prima persona singularis numeri, deprimam. Deus enim etiam est qui mala pœnæ infert.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 30.

Loquens. De domo patris sui bene inuenitur hoc scriptum, quia ipsi Aaron de quo iste Heli descendit, à Deo fuit datum sacerdotium, vt habetur Exod. 18. Sed de isto Heli, quod concessum fuerit à Deo sibi sacerdotium & domui eius, non inuenitur nisi in isto loco. Et ideo dicunt hic Hebraei, quod illi qui descenderunt de Aaron per Eleazar, quibus ex ordinatione diuina debebatur sacerdotium ante tempus Heli, fuerunt negligentes in reprehensione & doctrina populi Israël: qui declinabat ad idololatriam & ad alia enormia peccata: ideo iusto Dei iudicio translatum fuit summum sacerdotium de filiis Eleazar ad filios Ithamar in isto Heli. Deus enim suo iudicio iusto mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit, vt dicitur Dan. 2. Et eodem modo dicendum est de summo sacerdotio, & aliis dignitatibus.

Abst. Ex hoc patet, quod promissiones diuinæ & collationes alicuius boni habendi futuris temporibus intelliguntur sub conditione, scilicet, si illi quibus fiunt tales promissiones vel collocationes, bene se habuerint in vtendo. Ideo subditur.

Sed quicumque. Bene vtendo summo sacerdotio vel alia dignitate.

Glorificabo. Conseruando eum in statu suæ dignitatis.

A Qui autem. Abutendo collata sibi potestate. Erunt ignobiles. Quia deicientur à statu suæ dignitatis.

Loquens locutus sum. Nunc autem abst hoc à me. Vbi Dominus sic locutus fuerit de domo Heli, vel de domo Ithamar, ex qua Heli, non legitur. Vnde quidam sic interpretantur: Decreueram, statueram, vt domus tua mihi ministraret in sempiternum, Nunc autem, &c. Et quidem videtur habere hoc sensum improprium, vt pote quod decretum Dei sonet, velut aliquid mutabile: sed tamen potest etiam intelligi de Dei voluntate antecedenti, vt vocant, hoc est, quod nisi Heli & filij eius peccassent, retinissent dignitatem sacerdotij. At ob peccatum eorum voluit Deus, voluntate consequenti, eos sacerdotio priuare. Vide plenius ad 2. Reg. 8. & 3. Reg. 2.

B *Loquens locutus sum.* Quando hoc peculiariter promissum fuerit Heli, non habetur in sacris literis, extat tamen generatim factum in prima sacerdotij institutione Exod. 28. v. 43. & cap. 29. v. 9.

Abst hoc à me. Non mutat consilium Deus, quia promissio eam conditionem tacitè saltem habuit, si Heli, & eius posterij bene se gererent, & officium facerent

Erunt ignobiles. Contemptibiles. Hebr. Cald. & LXX. contemnentur.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 31. 32. & 33.

Vulg. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.

Malu. Succidam.

Sept. Rom. Exterminabo semen tuum, & semen, &c. non erit senex omnibus diebus.

Cald. Extirpabo fortitudinem feminis tui, & fortitudinem feminis domus.

Arab. Amputabo, &c. brachia filiorum tuorum.

Vulg. Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus.

Pag. Et videbitis inimicum habitaculi in habitaculo in cunctis in quibus benefaciet Israël.

Mont. Contemplaberis angustiatorem habitaculi.

Reg. Sept. Et aspiciet firmamentum templorum.

Theod. Et aspiciet cum sit firmamentum.

Sym. Aspicias tribulationem.

Theodor. Ecce dies venient. Ita & Iulianus. Pomerius lib. 1. contra Iudaos.

Cald. Et eris contemplans, & eris videns in calamitate quæ erit super hominem domus tuæ in peccatis, quæ peccauerunt in domo sanctuarij mei, & post hæc venire faciam bonum super Israël, & non erit senex.

Syr. Nec qui sceptrum teneat in habitaculo tuo, nec quisquam munificus in Israël, nec erit senex in familia tua.

Arab. Nec qui teneat baculum ministrum, &c. nec qui benefaciat filiis Israël.

Vulg. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficient oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.

Pag. Virum non excidam, &c. vt consumam oculos tuos, & dolore afficiam animam tuam, & omnis multitudo tua morientur iuuenes.

Caiet. Et omnis faciens surgere domum tuam, morientur homines ætatis robustæ.

Vatab. Vt tabescere faciam, &c. & omnis educatio morietur.

Malu. Ad lanquescere animam tuam.

Sept. Rom. Virum non exterminabo tibi, &c. vt deficient oculi eius, & defluat anima eius, & omnis qui supererit domui tuæ, decident in gladio virorum.

Reg. Et virum quem non disperdam tibi, &c. & omnis abundans domus tuæ cadet infra metas virorum.

S. Aug. Lucifer & aliqui codices Græci habent affirmatiuè. Exterminabo eum.

Cald. Ad obscurandum oculos tuos & ad contristandum animam tuam.

Arab. Vt non accedat quisquam ad altare tuum de progenie mea, ad ministrandum coram me atque id quidem, vt oculis tuis caliginem obducam, & corpus tuum liquefaciam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ecce dies veniunt. Cald. Venient, sed alij communiter legunt de præsentibus: est enim de præsentibus, באים baim, id est venientes. Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui. Cald. Extirpabo fortitudinem feminis tui, & fortitudinem feminis domus patris tui. Vnde per brachium intelligit Cald. cum aliquibus aliis, filios Heli, & posteros illius familiæ. Sept. etiam vbi habemus brachium, legunt semen: Et ratio est, quia vocabulum זרע zeragh, aliter atque aliter inter punctum, nunc brachium, nunc semen denotat. Nam זרע zeragh, per segol & patach, signifi-

cat semen à radice זרע zeragb, quod est ferere; at verò zeroach per sceua cholem & patah, significat brachium, vtrouis autem modo, rectè filios interpreteris.

Aspicias emulum tuum; Alij, *Angustiatorem, inimicum tabernaculi*. In Hebr. זרע יסר, quod est angustiator, quo scilicet viso, maximas ad angustias redigaris. Symmachus habet. *Et videbis afflictionem, vel tribulationem*, quia ab eo non minus opprimeris, quam frumenta tribulis conteruntur, Sept. Reg. (nam Sixt. nihil efferunt) habent *הערתו מן זרעו, firmamentum templorum*, cum sensu verò, nempe, tum quodammodo per iniquitatem filiorum tuorum, templum meum vel cultum templi mei destruxisti, sed alium videbis summum sacerdotem, qui collapsa restituat, & templo, id est, cultui templi ferè nutanti, adhibeat firmamentum. Theod. vertit, *firmamentum*, non quidem זרעו, hoc est, templorum, sed זרעו, quod est participium Græcum, quasi dicat, eris, & firmamentum, זרעו, id est verè subsistens, seu existens.

Verumtamen non auferam penitus virum; Aliqui codices Græci habent, *Exterminabo virum*, quod contrarium esse videtur Sept. habentibus, non exterminabo virum: tamen nulla mihi videtur esse pugna, quia signum vniuersale negatum æquipollet particulari affirmato, Non omnis, idem est, quod aliquis. Cum igitur Latinum exemplar, aliaque correctiora vrantur vniuersali signo negato, *Non auferam penitus virum*, hoc est, non omnem virum auferam, sine pugna transferre potuerunt aliqui Interpretes, per signum particulare affirmatum, *Auferam, seu exterminabo aliquem virum*. Itaque Deus loquendo de inferioribus, (nam summos in domo Heli omnes extinxit:) non omnes abstulit, aliquos exterminauit, aliquos conseruauit: *Et deficient oculi tui, & tabesceat anima tua*. Sept. Rom. *ut deficient oculi eius, & defluat anima eius, &c.* vt videndo alienam fœlicitatem, ex qua deciderunt, & illam cum sua comparando, multo magis crucientur illi in se & tu in illis: *Pars magna domus tue morietur*. Addunt Sept. *In gladio virorum*, mortui enim sunt iuuenes, non senes violenta morte: Porro זרעו *Omnis multitudo*, vt habent Heb. & Cald. idem est, quod plerique, multi, nam aliquos seruatos fuisse, & mortem euasisse patet ex sequentibus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E** *Coe dies, &c.* Id est, potestatem summi sacerdotij, quod impletum fuit tempore Salomonis, qui abiecto Abiathar de summo sacerdotio, qui descenderat de Heli, instituit Sadoch summum sacerdotem, qui descenderat de Eleazar, vt habetur 3. Reg. 2. Et tunc rediit summum sacerdotium ad primam lineam.

ME NOC. *Præcidam brachium*. Id est, robur, quasi dicat, dignitatem summi sacerdotis, & Iudicis populi dignitatem.

Vt non sit senex. Summus sacerdos, qui senex dignitate potius dicitur quàm ætate, vt nostri temporis sacerdotes presbyteri dicuntur.

TIRINVS *Præcidam brachium tuum*. Id est, robur & potentiam sacerdotalem, qua tua Ithamaris familia nunc præualet cognatæ & æmulæ familiæ Eleazari, recens ea gloria spoliata.

Pro quo Nota ex Iosepho, dignitatem pontificiam, quæ in posteris Eleazari primogeniti Aaronis hæserat vsque ad quartam stirpem, putà Phinees, Abizuc, Bocci, & Ozi, sub tempora parentis Heli, (fortè propter inertiam aliorum in administrandis rebus factis) ita Deo per expressum Prophetam (vt v. 30. insinuat) iubente, translata fuisse ad alteram Aaronis secundogeniti, putà Ithamaris stirpem: quia primus Heli eam assecutus est, tenuitque etiam manu posterorum suorum vsque ad initium regni Salomonis; nam Heli successerunt Phinees, Abhitob, Achimelech, & Abiathar. Hunc verò Abiathar ob conspirationem cum Adonia Salomon pontificatu exiit, & Sadoco, qui erat ex posteris Eleazari primogeniti Aaronis eandem dignitatem restituit, vt impletur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. Et de hoc Sadoco loquitur hîc Deut. v. 35. cum dicit: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, coram Christo meo*, id est, coram Salomone, ceterisque regibuseum secuturis: *Et edificabo ei domum fidelem*, seu constantem: id est efficiam, vt in eius familia & posteris dignitas pontificalis stabiliter permaneat. Et sanè permansit, vt ex Ezechiele, & Iosepho constat, saltem toto tempore regum Iudæ, vsque post euersam à Caldæis Ierofolymam, & vero similiter vsque ad tempora Herodis; cuius tempore quia omnia erant venalia, fortè etiam ex posteris Ithamaris aliquis rursus irrepfit. Vide quæ dixi Num. 25. v. 12. Ex quibus patet, nullum hîc sermonem esse de Samuele, quia licet hîc speciali indulto Dei sacerdos fuerit, tamen cum non nisi Leuita natus es-

set; hinc summus sacerdos seu pontifex numquam fuit, multò minus eius filij vel posterij: vt proluxe probat Abulensis, Genebrardus, Hugo, Dionysius, Lyranus, Caietanus, & ex antiquis Sanctus Hieronymus, & Sanctus Augustinus, licet hi aliquando etiam putarint Samuelem fuisse summum pontificem: vt & putarunt Gregorius, Eucherius, Angelomus, Primasius, & Haymo in hunc locum.

Et videbis emulum tuum in templo. Id est ipsum Sadoch & posteros eius. Tamen Heli in persona sua non vidit hoc, quia mortuus fuit ante per annos 80. Quod patet quia post Heli Samuel & Saul præfuerunt sexaginta annis, & David rex quadraginta, vt dictum est supra eodem capite.

Sed illi qui descenderunt de Heli hoc viderunt, in quibus ipse Heli quodammodo remanserat, sicut homo mortuus in filio viuente, secundum illud Eccles. 30. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem eum reliquit post se.

Et non erit senex, &c. Quia filij sui interfecti fuerunt in virili ætate, vt habetur infra cap. 4. hoc etiam potest referri ad sacerdotes, quos Saul fecit interfici, vt habetur infra 22. qui descenderunt saltem pro maiori parte de Heli.

Videbis. Non tu, sed posterij tui. Tu, in posteris tuis.

Emulum tuum. Summum alium Pontificem ex filiis Eleazar, qui Heli, & reliquis ex Ithamar inuidebant, quia ipsi summo exciderant sacerdotio, quo isti potiebantur.

In vniuersis posteris Israel. Quæ summam Pontificalem dignitatem, & auctoritatem comitabantur. Translatum est sacerdotium ad filios Eleazar sub Salomone 3. Reg. 2. 27. pro Abiathar substituto Sadoc.

Et non erit senex, &c. Summus sacerdos vt explicauimus Numeri 31.

Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo. Quia post institutionem Sadoch in summo sacerdotio, remanserunt aliqui de domo Heli in officio sacerdotum minorum. Istud tamen erat in confusionem & anxietatem ipsorum, eò quòd videbant se deiectos à summo sacerdotio, & alios loco eorum positos. Et hoc est quod dicitur.

Sed vt deficiant, &c. Scilicet in filiis tuis. Licet non in persona tua.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 34. 35. & 36.

Vulg. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: In die vno morientur ambo.

Sept. Quod veniet super duos filios tuos.

Cald. Occidentur ambo.

Arab. Et signum confirmationis sermonum meorum

hoc est.

Vulg. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

Pag. Quemadmodum est in corde meo, & in animo meo faciet.

Vatab. Domum stabilem, firmam.

Malu. Surgere faciam mihi sacerdotem creditum, stabilemque.

Sept. Rom. Transibit coram Christo meo.

Reg. Ambulabit coram Christis meis.

Cypr. In conspectu Christorum.

Cald. Statuam ante me, &c. qui iuxta dictum meum & iuxta voluntatem meam faciet, & statuam illi regnum firmum, & ministrabit ante vinctum meum.

Syr. Sacerdotem fidum iuxta cor meum, &c. incedetque coram me Christus meus.

Ita Arab.

Vulg. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, ut comedam

buccellam panis.

Pag. Ut incuruet se ei pro nummo argenteo, &c. iunge me quæso vni parti sacerdotali.

Mont. Minuto argenti, & torta panis, iunge me ad vnum sacerdotiorum.

Isid. Clar. Veniat ut adoret eum.

Caiet. Veniet ad orandum pro nummo.

Tigur. Ut sese illi prosternat pro obolo argenteo, & globo panis, coapta me quæso.

Malu. Et erit omnis superrelictus veniet ad procumbere facere ei scrupulo argenti, & orbi panis, adiice me ad vnam sacerdotiarum ad comedendum fragmentum panis.

Sept. Rom. Veniet adorare cum obolo argenti, &c. iacta me.

Reg. Dimitte me.

Cald. Veniet ad humiliandum se illi ad mecha argenti, &c. numerata me nunc in vnum ex custodia sacerdotum.

Syr. Mitte me ad vnum e sacerdotibus.

Arab. Fietque ei mercenarius pro siclo, &c. ut det mihi frustulum panis.

Alij. Ut afferat nummum.

Serar. Auferat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ambulabit coram Christo meo. *Sept. Reg. Coram Christis meis.* Suscitauit ergo Sadoc sibi sacerdotem fidelem, qui fideliter Deo in templo & Christo id est Dauidi, & Salomoni Regi à se vincto ministravit, sicque dixerunt *Sept. Christos Dauidem & Salomonem.* *Vulg.* autem Christum, id est Salomonem à Sadoc vinctum. *Syr. & Arab.* alium sensum præ se ferunt; vertunt enim, *Incedet coram me Christus meus*, videnturque loqui de Pontifice, quem electurus esset Deus, quod ambulabit in conspectu suo cum fidelitate & obseruatione mandatorum suorum.

Vt quicumque veniet in domo tua, veniat, ut oretur pro eo; Alij, Veniet ad adorandum, seu incuruandum, & humiliandum se ei pro nummo, & videntur alium sensum habere à *Vulg.* cuius mens est, quod cum minores sacerdotes ac Leuitæ, quid peccassent, ex lege debebant ut Laici offerre victimas pro peccato, & Pontifex debebat orare pro eis. Vnde recte *Vulg.* ait, *Veniat ut oretur*, scilicet à summo Pontifice pro eo, *Et ille offerat nummum & tortam panis*, scilicet ipsi Pontifici, & gratiam eius acceptet, hoc sine, ut ab eo ad partem sacerdotalem admittatur. Et quicquid dicant aliqui, idem colligitur ex *Hebr.* quod habet, *Veniet ad orandum pro nummo argenti, & torta panis*, orando scilicet ut detur sibi quasi pauperi, & famelico nummus argenteus, & torta panis: Vnde *Ser.* pro offerat, vel ut *alij* legunt afferat, legendum putat, auferat, id est accipiat nummum, & tortam panis, sed standum *Vulg.* habenti, offerat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **H**oc autem. Id est, mors filiorum tuorum.
V. 34. *In die vno morientur ambo.* Futura de propinquo erit signum, quod alia certitudinaliter euenient postea. Scilicet interfectio sacerdotum per Saulem, & translatio sacerdotis ad Sadoch per Salomonem.

MENOC. *Hoc erit tibi signum, &c.* Quod scilicet non mentiar, sed diuino spiritu plenus vaticiner, & absque dubitatione ventura sint omnia quæ prædixi.

LYRAN. *Et suscitabo mihi, &c.* Id est, ipsum Sadoch.

V. 35. *Et animam, &c.* Id est Salomonem.

MENOC. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* Aliqui volunt esse Samuelem, qui tamen de filiis Aaron non erat. *Alij*, quod est verius, Sadoc, de quo dixi num. 32. *Alij* de Christo Domino intelligunt.

Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet. Id est, iuxta voluntatem meam, quod fecit Sadoc, de quo nihil in scriptura narratur quod iure reprehendatur.

Ædificabo ei domum. Prolem dando, & ad filios eius summum sacerdotium.

Coram Christo meo. Salomone Rege.

Futurum est autem. Quia inferiores sacerdotes habebant recurrere ad summum sacerdotem, ut pro eis oraret & faceret ei oblationem. In *Hebr.* habetur. Veniat ad inclinandum pro se in obolo argenteo, &c. quod sic exponunt *Hebræi*, quod sacerdotes remanentes de stirpe Heli futuri erant humiliare se coram summo sacerdote, & orare ut possent seruire in templo, pro pretio oboli argentei, & tortæ panis in die. Et littera sequens videtur concordare, cum dicitur.

Dicatque. Obolus autem est vigesimapars sicli, ut habetur *Exod. 30.*

Offerat nummum argenteum. Quo, ut pauper tortam panis, & pauperem victimam parat, quæ pro illo offeratur.

Dimitte me, &c. Ut pauper ac famelicus optabit fieri particeps sacrificarum carniū, & eorum, quæ sacerdotibus cedunt, ut saturari possit.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

Samuel quater à Domino euocatus, etiam ipse admonetur de malis domui Heli imminentibus. Quæ mox Heli refert Samuel, & paulatim toti Israël, prophetis suis innotescit.

I. **R** Ver autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre: 3. lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei, 4. Et vocauit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit. 6. Et adiecit Dominus rursus vocare Samuelem. Confurgensque Samuel, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te filii: reuertere, & dormi. 7. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertio. Qui confurgens, abiit ad Heli, 9. & ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo. 10. Et venit Dominus, & stetit: & vocauit, sicut vocauerat secundò, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israël: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. 12. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam, & complebo. 23. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. 14. Idcirco iuravi domui Heli, quod non expieretur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. 15. Dormiuit autem Samuel vsque manè, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli, 16. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum. 17. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaueris me, hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. 18. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. 19. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. 20. Et cognouit vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee, quod fidelis propheta esset Domini. 21. Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israël.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. 2. & 3.*

Vulg. Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.

Arias. Ad facies Domini non erat visio aperta.

Tigur. Vulgaris. *Alij.* Multiplicata.

Malu. Non visio perrupta fuit.

Sept. Rom. Non erat visio distinguens.

Chryf. Non erat verbum prætiosum, non erat visio comprimens, diuidens, præripiens.

Cald. Ministrans ante Dominum in vita Cheli, & verbum Domini erat absconsum, non erat prophetia manifesta.

Arab. Abstulerat Dominus reuelationem à filiis Israël, non fiebat reuelatio cuiquam eorum, nec quicquam apparebat ei.

Vulg. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.

Pag. Heli dormiebat & oculi eius cæperant caligare.

Arias. Heli cubans. *Vatab.* Non poterat cernere.

Malu. Cæperant in rugas contrahi.

Sept. Rom. In illa die cæperant aggruari.

Reg. Caligare.

Arab. Et graues euassissent oculi eius.

Aliqui teste Brugensi legunt. Iacebat in lecto suo.

Vulg. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.

Malu. Samuel cubans in basilica Ihu.

Sept. Rom. Et lucerna Dei antequam esset instructa.

Reg. Extingueretur.

Sym. Nondum extincta erat.

Cald. Et lucerna domus sanctuarij necdum extinguebatur, & Samuel cubans in atrio Leuitarum, & vox Domini quod ibi arca Domini.

Arab. Essetque lucerna Domini accensa.

S. Ephrem. Nec poterat videre lucernam, antequam extingueretur.

S. Greg. mag. Lucerna Dei videri non poterat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sermo Dei erat pretiosus. D. Chryf. lib. 3. de Prouid. lib. 3. contra vituperatores vitæ Monast. legit. *Non erat verbum prætiosum*, licet aliàs vt in cap. 31 Isaia legerit sicut Sept. Erat verbum prætiosum, at erat & non erat, contradictoriè opponuntur: tamen nulla reperitur, si dixerimus, quod in propositione priori affirmatiuè prætiosum sumitur à parte prædicati, vt loquuntur logici, sic verbum erat prætiosum, hoc est rarum: in posteriori negatiua, sumitur à parte subiecti, sic verbum prætiosum seu propheticum, non erat, scilicet frequens aut vsitatum: cum verò extrema propositionis varietur, contradictio non persistit; tum etiam quia prætiosum in illa propositione affirmatiuè sumitur translata pro rara, in hac autem negatiua propriè pro re magno pretio æstimabili: contradictio vero non perseuerat vbi æquiuo-

catio admiscetur. *Non erat visio manifesta.* Cald. *Non erat prophetia manifesta.* Quomodo prophetia dicitur visio: propter certitudinem, quæ in visione manifestior est, quàm in cæteris notitiis sensitivis. Alij legunt, *Non erat visio vulgaris diuidens multiplicata.* Hebr. est *נפרע niphrats*, hoc est aperta à verbo *פרע parats*, quod est diuidere, seu aperire, & per translationem manifestare: non erat igitur visio manifesta, hoc est, non erat prophetia, saltem cognita, vt talis, quæ visio appellatur. Volunt etiam Hebraifantes, quòd *פרע parats*, denotat multiplicare, & sic sensus eorum erit, non erat visio frequens, crebra, vilitata, vulgaris.

In die quadam; Alij, *In die illa*, sed quia nulla dies certa assignatur, benè Vulg. ait, *In die quadam.* *Heli iacebat;* Alij, *Dormiebat*, verbum enim *שכב sacab*, vtrumque significat. Vtrumque est verum. Iacebat enim in loco suo, scilicet in penitior loco atrij, in eo enim sacerdotes dormiebant, sed non humi dormiebat, sed in lecto suo. *In loco suo;* Alij, *In lecto.* *Et oculi eius caligauerant;* Alij, *Et incœperunt caligare. grauescere.* Verbum *כהה cahah*, non tam significat priuari visu, quam debilitari, aggrauare, adeo, vt cum magna difficultate posset videre. *Lucerna Dei antequam extingueretur;* Alij, *Vel non poterat videri lucerna:* sed in his verbis non videre, punctum interferendum tanquam hęc sententia finiatur. Alij, *Antequam esset instructa*, quod aliqui exponunt, antequam esset media nox, tunc enim lucernæ concinnabantur, vt reliqua nocte dimidia arderent, sed Vulg. videtur innuere hoc contigisse longe post medium noctis, tempore quo lucernæ noctu consumptæ oleo effuso instaurari solent. *Dormiebat in templo.* Cald. *Cubans in atrio leuitarum.* Illud in templo exponendum iuxta templum, in aliqua cella, siue exhedra propinqua.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P** Ver autem. Hic consequenter describitur denuntiatio poenæ futuræ facta ipsi Heli per Samuelem sibi subiectum. Circa quam sic proceditur: quia primò describitur reuelatio facta Samueli. Secundo dictæ reuelationis denuntiatio ipsi Heli, ibi: *Et Samuel timebat.* Tertio huius manifestatio toti Israël, ibi: *Crenit autem Samuel.* Circa primum, Samuel à Domino vocatur. Secundo punitio Heli futura ei reuelatur, ibi: *Et dixit Dominus.* Circa primum ponitur conditio temporis, cum dicitur.

Et sermo. Quia propter malitiam filiorum Heli & negligentiam patris in corrigendo, cessauerant responsiones & reuelationes Domini, vnde in Hebræo habetur hęc: *Et sermo Domini erat prohibitus vel obturatus:* & redit in eandem sententiam cum translatione nostra: quia omne rarum pretiosum.

MENOC. *Sermo Domini erat pretiosus.* Rari erant eo tempore propheta.

Non erat visio manifesta. Prophetia publicè nota, ad eum modum quo fuit cum Isaias, Elias, aut Elizæus propheta-runt, qui passim ab omnibus propheta habebantur.

LYRAN. **E**t oculi. Hoc exponitur vno modo, quia non poterat videre de nocte, sed aliqua poterat videre de die, quando lucerna tabernaculi erat extincta, quia extinguebatur quando dies incipiebat clarescere. Alio modo, quòd non poterat videre lucernam ardentem eò quòd ostendebat visum eius nimis debilitatum. Sed istæ expositiones non videntur conuenientes, quia nullus est ita cæcutiens qui non magis videat lucernam ardentem quàm extinctam; & procedunt ex suppositione falsi, vt dicunt aliqui, scilicet quòd hæc sit vera litera: Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. In Hebræo enim sic habetur: *Et non poterat videre.* Et hęc finitur versus, quod autem sequitur est principium versus sequentis: *Lucerna Domini nondum extinguebatur, & samuel dormiebat, &c.* Ad cuius intellectum sciendum, quòd in templo Domini plures lucernæ ardebant de nocte quàm de die: ita quòd aliquæ extinguebantur in mane. Est igitur sensus: quod adhuc non erat tempus extinguendi illas lucernas quando Samuel iacens in lectulo suo fuit vocatus à Domino, quia fuit vocatus antequam esset dies, & sic extinctio lucernæ non refertur ad præcedentia, scilicet ad caligationem oculorum ipsius Heli: sed ad sequentia, videlicet ad denotationem temporis in quo reuelatio facta est Samueli. Et hoc idem dicit magister in historiis, & idem habetur libro de Hebraicis questionibus, propter quod translatio nostra videtur hęc corrupta per imperitiam aliquorum correctorum qui duos versus coniunxerunt in vnum, sicut & in pluribus locis alius factum est: Et ideo hęc consequenter posuerunt lucernam in accusatiuo pro lucerna in nominatiuo: Propter quod videtur quod ista fuit veritas translationis nostræ à principio: *Oculi eius caligauerant & non poterat videre, & hęc terminatur versus: Et sequitur; Et lucerna Dei, antequam extingueretur, Samuel dormiebat, &c.*

ESTIUS. *Et oculi eius caligauerant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur, &c.* Pridem legebatur accusatiuus (*lucernam*) & iungebatur hoc de lucerna præceden-

ibus. Et quidam sic exponebant: per noctem, dum adhuc arderet lucerna, nihil poterat videre Heli. Alij sic: Non poterat videre lucernam ardentem, eo quod visus eius tam infirmus esset, vt aspectum lucernæ ardentis non posset sustinere. Sed verus sensus petendus est ex vera lectione, quæ in bibliis Sixtinis restituta est, & vera distinctione ibidem adiuncta, sublato illo (*autem*) quod erat post (*Samuel*) Nempe vt hic sit ordo verborum & sensus: *Heli iacebat in loco suo (non lecto) & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.* Ac deinde sequatur noua sententia: *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, &c.* Nempe totum illud (*Lucerna Dei antequam extingueretur*) tantum est periphrasis noctis. Nam nocte lucerna ardebat vsque mane, sicut in lege præceptum erat. Sic Hieronymus.

Iacebat in loco suo. Cubiculum & cubile habebat in loco aliquo à tabernaculo non longè distito. Post ædificatum templum erant aliqua pro sacerdotibus seposita loca, in quibus diuersarentur, templo adiacentia: simile aliquid credibile est fuisse ante constructionem illius, præsertim postquam tabernaculum fixum aliquo in loco sedem habuit.

In templo. Id est, in exedra iuxta tabernaculum, vbi erant Leuitæ qui custodiebant tabernaculum Domini, in quo erat arca: intra tabernaculum enim nullus iacebat.

Lucerna Dei antequam extingueretur, &c. Sententia est, Samuel dormiebat in templo, in quo noctu lampades colucebant, quæ in aurora de more extinguebantur. Antequam ergo tempus esset lucernas extinguendi, vocauit illum Dominus.

Samuel dormiebat in templo Domini vbi erat arca Dei. In tabernaculo, aut loco illi adiuncto, ex quo videre posset quid opus esset, & curare ne quid minus ornatum esset aut decens, sanctoque loco conueniens.

Lucerna Dei. Seu candelabrum tabernaculi septiceps, antequam extingueretur. Periphrasis est noctis, quasi dicat. Cum adhuc lucerent omnes lucernæ in tabernaculo: nam hæc tantum noctu omnes ardebant, manè pleræque extinguebantur, vt dixi Exod. 25. Porro sic distinguenda hęc Scripturæ verba, vt noua clausula inchoetur ab his verbis, *Lucerna Dei, &c.* vt nunc distinguunt Biblia Sixtina, patet ex editione LXX. Interpretum, & Caldaica paraphrasi, & antiquioribus Latinis & Græcis exemplaribus: item S. Hieronymo, Abulensi, Lyrano, & Historia Scholastica. Innuit verò Scriptura, tempus quo Samuel à Deo vocatus, & spiritu prophético primùm afflatus est, fuisse post mediam noctem, sed ante auroram, cum nemo adhuc ne sacerdotum quidem ingressus esset tabernaculum, seu Samuel solus adhuc cubaret in parte templi, seu edificij vicini templo, vnde prospectus patebat in templum. Cum ergo sciret Heli, nullum eo temporis articulo in templo adesse, qui vocare posset Samuelem, quod lampades necdum essent extinctæ, quas sacerdotes ad primum suum ingressum sub auroram extinguere debebant; rectè coniecit v. 9. Samuelem non ab alio, quàm à Deo vocatum.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 4. ad 10.

Vulg. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego.
Sept. Samuel, Samuel.
Vulg. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi: revertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit.
Malu. Quia vocasti me, &c. cuba, & ambulavit & cubavit.
Vulg. Et adiecit Dominus rursus vocare Samuelem. Confurgensque Samuel, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te fili mi: revertere, & dormi.
Vulg. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.
Pag. Antequam cognosceret Dominum,
Arias. Nondum reuelatum fuerat ad eum verbum.
Cald. Nondum didicerat scire disciplinam ante Dominum, & nondum erat ei manifestatum verbum prophetiae.

Arab. Non cognoscebat revelationem Domini.
Vulg. Et adiecit Dominus, & vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui confurgens, abiit ad Heli.
Pag. Ecce adsum, quia vocasti, & intellexit Heli, quia Dominus vocaret puerum.
Cald. Cogitavit quod ab ante Dominum vocatus est puer.
Vulg. Et ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocaverit te, dices: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo.
Vulg. Et venit Dominus, & stetit: & vocavit, sicut vocauerat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.
Pag. Vocavit ut vice altera.
Malu. Stare se fecit & vocavit secundum ictum in ictu.
Sept. Vocavit eum sicut semel, & semel.
Cald. Et reuelata est gloria Domini, & vocavit ut in tempore.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Samuel nondum sciebat Dominum; Alij, Nondum didicerat scire disciplinam ante Dominum. Licet enim cognosceret Deum per fidem, nondum tamen per reuelationem propheticam; qua debebat illustrari, quid agere deberet, quod idem est, ac illud, quod ait Cald. Nondum didicerat disciplinam ante Dominum, & nondum erat ei manifestatum verbum prophetiae. Venit Dominus & stetit. Cald. Reuelata est gloria Domini & stetit. Reuelata est autem ei gloria Domini, quia obiecta fuit ei saltem aliqua claritas, quae solet gloria Domini vocari, & inducitur per verbum stetit in Vulg. positum. Stetit scilicet forma aliqua visibili. Vocavit sicut vocauerat secundo; Alij, Vice altera, unde illud secundo non est adverbium ordinale, quia si ita esset, dicendum videretur hoc loco, & vocavit sicut vocauerat tertio, hæc enim iam erat quarta vocatio, sed est tantum consecutivum, hoc est quendam temporis consequentiam importans, quâ diceretur deinde, seu postea, altera vice.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **E**t cucurrit. Credens quod ab eo vocaretur: & sic fecit A
 tribus vicibus. Cuius ratio subditur.
LYRAN. Porro. Id est, modum loquendi ipsius Domini cum prophetis. Sicut enim ars & natura procedunt de imperfecto ad perfectum, ita etiam reuelationes diuinæ secundum processum temporis: quia prophetae posteriores ad tempus Christi appropinquantes habuerunt clariore reuelationes de Christo quam priores: & ita frequenter fuit in eodem propheta: quod à principio non habuit ita claram cognitionem sicut postea. Et hoc patet in proposito, quia Samuel à principio vocem Domini audiens credidit esse vocem hominis, postea verò cognouit magis distinctè. Sequitur postea.
MENOC. Necdum sciebat Dominum. Quod statim sequentibus verbis explicatur. Neque reuelatus fuerat ei sermo Domini. Nondum cum illo locutus fuerat Dominus, nec tanquam prophetæ suo quidquam adhuc reuelauerat.
TIRINVS Porro Samuel necdum sciebat Dominum. Ea scilicet scientia seu cognitione, qua Prophetae solent, qui Deum peculiari quodam modo familiarem habent, eiusque vocem etiam sensibilibus audiunt, & ut talem agnoscunt.
- LYRAN.** Et vocavit. Istud secundo, non refertur ad numerum vocationum Domini, qui iam vocauerat Samuelem tertio, ut habetur in textu: sed refertur ad expressionem nominis Samuelis, quæ in qualibet vocatione fuerat duplicata. Ideo subditur.
Ecce. Id est, faciam de propinquo: quia quod modicum distat quasi nihil distare videtur.
Samuel. Posita vocatione Samuelis à Domino, hæc consequenter describitur sibi facta reuelatio, cum dicitur.
Et vocavit, sicut vocauerat secundo: Samuel, Samuel. Atqui iam tertio vocauerat. Hoc enim præcedit v. 8. ubi sic dicitur: Et vocavit Samuelem tertio. Quare dicendum, duo in tribus includi; ut qui tertio vocaret, etiam secundo rectè vocasse dicatur, tum etiam in Hebræo non esse illud (secundo) sed vice & vice, id est, superioribus vicibus. Nam geminatio in Hebræo seruit simpliciter multitudini. Unde illud; (homo & homo) idem est quod quicumque homo, vel multi homines.
Sicut vocauerat secundo. Secundo vocare, est bis idem nomen in clamando repetere Samuel, Samuel. Vel significat vocare iterum, atque iterum, sæpius vocare.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 11. 12. & 13.

Vulg. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israël: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.
Pag. Ecce facio rem. *Sept.* Verba mea.
Arab. Facturus sum opus.
Vulg. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam, & complebo.
Pag. Incipiendo & finiendo.
Malu. Surgere faciam.
Sept. Incipiam & consummabo.
Cald. Firmabo omnia, &c. super hominem domus eius.
Arab. Et immittam in Heli quicquid dixi de gente domus eius, & perdam & consumam eos.
Vulg. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerit

indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.
Pag. Et indicabo ei quod indico, &c. quia contemnebant seiplos filij eius, & non prohibuit eos.
Mont. In peruersitate quam cognouit maledicentes sibi filij eius.
Caiet. Quia blasphemantes eis filij eius.
Tigur. Quod filij eius contemptores fuerunt, nec mœrore affectit eos.
Cald. Quia læuifacientes eis filij eius, & non rugas contraxit in eos.
Sept. Rom. Et annuntiaui eis.
Reg. &c. Quia vlciscar, &c. in iniustitiis filiorum eius, quoniam maledicentes Deum filij eius, & non monebat eos.
Cald. Quod vlciscens ego ab hominè domus illius, &c. in peccatis quæ cognouit, quoniam prouocantes sibi filij

eius, & non prohibuit in eis.
Syr. Propter scelus quod scilicet dedecore afficiebant po-

pulum.
Arab. Et non compescuit eos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quod indicaturus essem; Alij, *Quod ulciscar*, scilicet condemnaturus. *Propter iniquitatem*; Alij, *In peruersitate quam cognouit*. Iudicaturus est ergo propter iniquitatem, scilicet filiorum, sed cum respectu ad patrem, scientem, nec emendantem, quod alij clarius dixerunt, in peruersitate quam nouit, nec uertit. *Eò quod nouerat indignè agere filios suos*; Alij, *Qui a maledicentes ipsis filij eius, quoniam maledicentes Deum, &c.* Equidem in verbo illo tam Hebr. *חָלַל* *chalal*, quam Græco *κακολογία*, non est diuersitas, quia utrumque significat maledicere, blasphemare, contemnere, prouocare, seu irritare, quæ omnes significationes aptæ sunt ad peccata filiorum Heli exprimenda. Sed quid est, quod Hebraifantes habent maledicentes ipsis; In Græco autem maledicentes Deum? Tamen idem sensus est, nam maledicentes Deum sibiipsis iniuriam intulerunt, & tantam ut etiam sibi ipsis maledicentes, maledictos & contemptos se declarauerint.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 11.

Verbum in Israel. Id est, factum, vel rem significandam verbo.

Quod quicumque audierit. Id est, erit attonitus præ admiratione & stupore, & hoc dicitur de captione arcæ Domini futura, prout habetur capitulo sequenti: quia tale factum nunquam acciderat in Israël. Fuit enim magnæ admirationis materia, quòd Deus permisit arcam capi ab infidelibus, quæ tantæ reuerentiæ erat, quòd si videretur discooperta à Leuitis & Dei cultoribus, moriebantur, ut habetur num. 4 & infra cap. 6.

MENOC.

Facio verbum. Rem, patrabo quiddam.

Tinnient amba aures eius. Quæ phrasis magnum significat terrorem. Eadem formula dicendi habetur Ierem. 13. v. 3. & 4. Reg. 21. v. 12.

MENOC.

Suscitabo. Exequar.

V. 12.

A Incipiam & complebo. Iam egrediar effecta dare quæ comminatus sum, nec desistam priusquam perfecero quæ prædixi.

Prædixi enim ei, &c. Id est, puniturus.

Domum. Scilicet Heli per interfectionem multorum & abiectionem aliorum de sacerdotio.

Iudicaturus. Pœnas sumpturus.

Non corrumpit eos. Vox Hebr. *חָבַח* *chiba*, significat rugatâ, & præ ira exasperata fronte corripere. Supra, vidimus Heli remissum animum, & reprehensionem felle, aculeoque carentem.

Iudicaturus domum eius in æternum. Id est, puniturus peccata, & ulturus iniurias ab Heli & filiis eius mihi illatas.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 14. ad 18.

Vulg. Idcirco iuravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.

Pag. Si expiabitur iniquitas sacrificio & oblatione.

Varab. Si remouebitur.

Malu. Et ad sic iuramento obstrictus, si expiabit sese prauitas domus, &c. in mincha.

Sept. Rom. Et neque sic iuravi, si propitiabitur iniustitia in incenso.

Reg. Si placabitur iniquitas.

Cald. Si remittentur debita in oblatione sanctorum & in oblationibus.

Syr. Propterea morte afficiam familiam Heli, &c.

Vulg. Dormiuit autem Samuel vsque manè, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli.

Arias. Timuit ab indicando.

Cald. Indicare visionem prophetiæ.

Vulg. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi, Qui respondens, ait: Præsto sum.

Vulg. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaueris me, hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi.

Sept. Si occultaueris à me verbum ex omnibus sermonibus, qui dicti sunt tibi in auribus tuis.

Vulg. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.

Caiet. Ichoua ipse: bonum in oculis suis faciet.

Cald. Quod rectum ante ipsum faciet.

Arab. Faciat quicquid voluerit & placuerit ei.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Idcirco iuravi. *Sept. Et neque sic*, seu *& non sic iuravi*, quorum sensus esse potest, & non sic erat ut ipsi putant, qui sperant se impune abituros, cum tamen sine dubio futurum sit, ut acriter puniantur: idcirco iuravi, ut à meo iuramento creduli esse nolint, certo sciant non fore impunitos. *Quod non expietur*; Alij, *Si non expiabitur*. In Hebr. est *יִחְשַׁב* *im ythchaper*. *Sept. Si placabitur*, tamen idem est sensus, nam *יִחְשַׁב* *im*, hoc est si apud Heb. si iunctum sit cum verbis iurandi atque affirmandi valet quod non: per illa verba autem, iuravi quòd non expietur iniquitas, non vult asserere peccata illa non posse expiari, sed non esse de facto expianda. *Dominus est*; Alij, *Solum Dominus ipse*, sine verbo, sed idem sensus. *Quod bonum est*; Alij, *Quod rectum ante ipsum*, placitum coram eo, quod rectè explicuit Arab. dicens: *Faciat quicquid voluerit & placuerit ei.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 14.

Idcirco. Id est, firmiter & absque retractatione dispositi.

Quod. Quantum ad pœnam ordinatam seu dispositam, licet fuerit expiata quantum ad culpam & pœnam æternam in illis qui verè pœnituerunt.

ESTIVS.

Idcirco iuravi Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius vsque in æternum. Ex hoc intelligitur quam graue peccatum sit omissio debite correptionis. Nam Heli corripuerat quidem filios suos, sed lentè admodum ac remissè. Propterea hîc dicitur; eo quod non corripuerit eos; videlicet eo modo quo debuit. Non est ta-

men ex his verbis consequens Heli nunquam sui peccati accepisse à Domino remissionem. Nam verba ista intelligenda sunt de pœna temporali, à Domino constituta pro peccato eius & filiorum, & significant irretractabilem Domini sententiam quantum ad inflictionem pœnæ temporalis. Alioqui quantum ad æternam pœnam, valdè verisimile est eam Heli per veram pœnitentiam euasisse. Nam Samuele (ut sequitur) ei visionem Domini indicante, submitbens se castigationi diuinæ respondit cum humilitate ac modestia: *Dominus est: Quod bonum est in oculis suis, faciat*. Et postea magis pro arca Dei legitur sollicitus fuisse

quam pro filiis. Nam sic ibi habetur: *Nam erat cor eius pavens pro arca Domini.* Et audita morte filiorum, non legitur commotus, sed cum audisset captam arcam Dei, cecidit de sella, & mortuus est

MENOC. *Iniquitas.* Pœna iniquitatis. Sic peccatum sæpe pœnam peccato debitam significat.

Muneribus. Oblationibus.

TIRINVS *Inrari,* quod non expietur iniquitas domus eius victimis vsque in æternum. Hic iniquitas sumitur pro pœna iniquitatis: quæ in tribus quatuorue consistebat, vt patet ex capite præced. Primò, quòd qui orti essent vel orituri ex Heli, non peruenturi essent ad annos seniles, sed plerique morituri etiam antequam illis accederet virile robur. Id impletum non modo in Ophni & Phinees, filiis Heli, sed & vel maximè in Abimelech eius pronepote, qui vnà cum 85. aliis sacerdotibus & tota vrbe sacerdotali Nobe 1. Reg. 21. iubente Saùle gladio excisi sunt. Secundò, quòd dignitate pontificali spoliandi essent, eamque ad æmulam sibi familiam postliminio remigraturam visuri essent, sine spe vniquam eius recuperandæ. Tertio, quòd licet in minorum sacerdotum numero ipsi adhuc censendi essent, id tamen non tam honori ipsis, quàm dolori & probro futurum: neque ad aliud magis seruiturum, quàm vt doleant oculis, & invidia contabescant, alienam nunc spectantes gloriam quæ sua antè fuerat, nec recuperari posset. Quarto, quòd ex tantis opibus ad eam indigentiam deuoluendi essent, vt æmulis suis mendicatio supplicaturi essent pro buccella panis. Hæ, inquam, pœnæ, quas cap. 2. recensuit, hoc iam cap. 3. dicuntur æternum adhæsuræ posteris Heli, neque vllis muneribus aut victimis diuertendæ. Vsq; adeò displicet Deo sacrorum contemptus, maximè in sacerdotibus.

A *Et Samuel.* Hic consequenter describitur dictæ reuelationis denuntiatio facta ipsi Heli ad eius petitionem, quia Samuel timebat ei denuntiare apertè quòd ei reuelatum fuerat à Domino.

Dormiuit Samuel vsque mane. Id est, cubauit, neque enim probabile videtur exiguo illo tempore, quòd vsque ad lucem intercedebat, post horribiles illas minas, somnium iterum capere potuisse.

Hæc faciat. Hic erat modus adiurandi apud Hebræos. Et est sensus; Faciat tibi Deus tanta mala sicut fecit alicui multum punito ab ipso, & adhuc plura.

Si absconderis, &c. Celando aliquid de veritate.

Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat. Quasi dicat, male tibi contingat, vel puniat te Deus. Ita solebant Hebræi sibi, aut aliis imprecari mala, vt etiam nunc vulgo dicitur, Hoc mihi accadat, & hoc, si mentior, aut quid simile.

Indicauit itaque, &c. Sicut prius dictum est.

Et ille respondit. Patienter acquiescens Domini sententiæ.

Dominus. Ex quo videtur quòd licet in persona propria & filiis punitus fuerit ad pœnam temporalem; ipse tamen in persona propria euasit æternam, quia in acceptione diuinæ iustitiæ videtur veraciter pœnituisse. Sed iam erat ita senex & debilis, quòd delicta filiorum non poterat emendare: potuisset tamen à principio quandò primo sciuit. Ad verbum verò Hieron. supra allegatum, Heli pro iniquitate filiorum suorum damnatus est, potest dici quòd intelligendum est de damnatione pœnæ temporalis tantum, quia & hoc modo frequenter accipitur damnatio.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad vltimum.

Vulg. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

Arias. Euasit grandis, neque cadere fecit.

Tigur. Neque proiecit in terram.

Sept. Rom. Magnificatus est Samuel.

Cald. Et dictum Domini fuit in auxilium eius, & non cessauit, &c. vnum.

Syr. Sentiens quòd Dominus esset secum, nullum proiecit.

Arab. Non torpescerat, neque rem negligebat ex iis quæ præcipiebat ei Dominus.

Vulg. Et cognouit vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabée, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini.

Arias. In prophetam Domini.

Cald. In verbis prophetiæ Domini.

Syr. Cognouit commissum fuisse Samuelem Dei prophetam.

Arab. Quòd præfectus fuisset sibi à Domino & constitutus propheta.

Vulg. Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israël.

Mont. Addit conspici in Silo quoniam manifestauerat se, &c. in verbo Domini.

Alij. Per verbum.

Sept. Rom. Et adiecit Dominus, &c. & creditus est Samuel propheta esse Domini in omnem Israël ab extremis terræ, & vsque ad extrema, & Heli senex valde, & filij eius euntes ibant, & maligna vita eorum in conspectu Domini. *Reg. vt Vulg.*

Syr. Perrexit se reuelare per sermones suos, erat sermo Samuelis super vniuersum Israël.

Arab. Iterauit reuelationem: factus est sermo Samuelis fide dignus apud omnes Israëlitas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Crenit. Sept. *Magnificatus est.* Vide supra. *Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Alij, *Et non fecit cadere.* Hoc est, ipse Deus fecit vt nullum Samuelis verbum esset irritura vel inane. *A Dan vsque Bersabée.* Id est, vt habent Sept. in subsequenti versu. *Ab extremis terra, vsque ad extrema terre.* Hæ enim duæ vrbes in extremis terræ sanctæ finibus collocatæ sunt. *Quoniam reuelatus fuerat Samueli iuxta verbum Domini,* Alij, *In verbo, vel per verbum Domini.* Sensus est, manifestaui se Dominus Samueli, in verbo suo propheterico, seu alloquendo illum, vt assolet alios Prophetas, seu reuelando illi sua arcana. *Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israël,* Alij, *Et fuit verbum notum omni Israël.* Postrema hæc verba ab Hebr. & Sep. non tam finiunt præcedens, quam inchoant subsequens caput.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **C**renit. Hic consequenter describitur reuelationis divulgatio, cum dicitur. *Creuit.* Etate & virtute.

Et Dominus erat, &c. Per gratiam.

Et non. Id est, incassum, quia totum fuit adimpletum.

Dominus erat cum eo. Illi fauens, & donis suis augens.

Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Omnia enim ad vnguem impleta sunt.

Et cognouit. Id est, ab vno termino terræ promissionis vsque ad alterum, secundum ipsius longitudinem, quia Dn in termino Aquilonari. Bersabée vero in Australi.

Tom. IV.

A Dan vsque Bersabée. Duæ sunt ciuitates in extremis terræ Israëlitis finibus. Dan ad Aquilonem, Bersabée ad meridiem.

Et addidit Dominus, &c. Quia ibi iterum apparuit Samueli, sed quid in iterata apparitione reuelauerit ei, non exprimitur hic.

Iuxta verbum Domini. Id est, eo modo quo verbum Domini prophetis reuelare consueuerat aliquando Dominus. Sanchez putat sententiam esse, verbo dumtaxat, nulla autem specie sensibili corporis exhibita.

T iij

Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli. Hebr. & fuit sermo, &c. & videtur sensus esse, manauit sermo, & vulgatus est per totum Israël. Sanchez putat alia prophetasse Samuelem ad vniuersum Israël spectantia, quæ euenirent. Fortasse illud ipsum quod Samuel de Heli prædixit Domino reuelante, non incommodè vniuerso Israël eue-

nisse dicitur, quia quæ Pontificibus accidunt, ad totum Reip. corpus pertinent, cuius capita sunt. Adde ex iis quæ deinceps narrantur hanc explicationem confirmari, nam Israël à Philistæis cæsus est, & alia mala passus, quæ Heli, & filiorum eius peccatis accepta referri debent.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Israëlita à Philistæis semel iterumque caduntur: arca capitur: duo filij Heli occiduntur: & ipse Heli fractis ceruicibus occumbit, & nurus eius in partu exstinguitur.

I.



Factum est in diebus illis, conuenerunt Philistiim in pugnam: & egressus est Israël obuiam Philistiim in prælium, & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philistiim venerunt in Aphec, 2. & instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga vertit Israël Philistæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. 3. Et reuersus est populus ad castra: dixeruntque maiores natu de Israël: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. 4. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erantque duo filij Heli cum arca fœderis Dei, Ophni & Phinees. 5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra. 6. Et audierunt Philistiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quòd arca Domini venisset in castra. 7. Timueruntque Philistiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes: 8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudius tertius: væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto. 9. Confortamini, & estote viri, Philistiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruiert vobis: confortamini, & bellate. 10. Pugnauerunt ergo Philistiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israël triginta millia peditum. 11. Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees. 12. Currens autem vir de Benjamin exacie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput. 13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas. 14. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli. 15. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. 16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi? 17. Respondens autem ille, qui nunciabat, Fugit, inquit, Israël coram Philistiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni & Phinees: & arca Dei capta est. 18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir & grandæuus: & ipse iudicauit Israël quadraginta annis. 19. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: & audito nuntio quòd capta esset arca Dei, & mortuus esset focer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. 20. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit. 21. Et vocauit puerum, Iehabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei, & pro focero suo & pro viro suo: 22. & ait: Translata est gloria ab Israël, eo quod capta esset arca Dei.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philistiim in pugnam: & egressus est Israël obuiam Philistiim in prælium, & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philistiim venerunt in Aphec.

Pag. Egressus est Israël in occursum Philistiim in bellum.

Malu. Desederunt super Aben Haghser, &c. & desederunt in Aphec.

Sepr. Et congregantur alienigenæ aduersus Israël ad bellum.

Cald. Manserunt super lapidem.

Arab. Egressi Israëlita ad oppugnandos Philistæos.

Vulg. Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga vertit Israël Philistæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quattuor millia virorum.

Pag. Ordinauerunt se in occursum Israël, & extendit prælium, & cæsus est, & percusserunt.

Arias. In ordine.

Malu. Et dimisit cæsis, & consternatus fuit Israël, & percusserunt in ordinatione in agro.

Sepr. Rom. Et aciem instruunt alienigenæ in prælium su-

per Israël, & inclinavit super prælium, & cecidit vir Israël coram alienigenis.

Reg. Et declinavit bellum.

Cald. Et expansi sunt factores belli, & fracti sunt Israël.

Vulg. Et reuersus est populus ad castra: dixeruntque maiores natu de Israël. Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.

Pag. Accipiamus ad nos de Silo arcam.

Arias. Venit populus ad castrametationem.

Malu. Defidentiam.

Sept. Rom. Ad quid deficere nos fecit coram alienigenis?

Reg. Quare quassauit nos Dominus?

Cald. Fregit nos.

Syr. Quare profligauit?

Arab. Quomodo debellauit?

Vulg. Milit ergo populus in Silo, & rulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erantque duo filij Heli cum arca fœderis Dei, Ophni, & Phinees.

Malu. Et leuauerunt de ibi arcam fœderis.

Sept. Rom. Tollunt arcam Domini insidentis Cherubim.

Arab. Quem honorant Cherubim.

Cald. Maiestas eius manens supra à Cherubim.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN diebus illis, Alij, *Et fuit verbum, &c.* Plures ergo hoc caput exordiuntur aliter quàm Vulg. vltima enim verba præced. capituli reuocant ad initium huius, licet paululum immutata. Nihilominus verum, & genuinum huius capituli exordium est, quod habetur in Vulg. cuius autoritas omnibus quæ in contrarium adduci possent, præponderat. Sep. etiam Sixt. eodem initio vtuntur: *Et egressus Israël obuiam Philistiim, &c.* Sicque hæc exemplaria significare videntur Israëlitas fuisse aggressores. Habent enim. *Egressus est namque Israël*, nam illa causalis, *Namque*, supponit Philistæos conuenisse in pugnam, non ad inferendam, sed ad repellendam iniuriam, reddunt enim rationem cur Philistini ad pugnam conuenierint, quia scilicet Israël fuerat egressus in prælium. Nihilominus nostra Vulg. emendata tribuere videtur initium huius belli Philistinis, tum quia Græcos, & Hebraicos fontes sequuta, excludit illam particulam, *Namque*, & eius loco reponit copulam. *Et*: tum quia prius commemorat Philistinos ad pugnam conuenisse, & postea egressos fuisse Israëlitas, vt narrationis ordo rerum ordini responderet, tum quia subdit Israëlitas egressos fuisse obuiam Philistinis: Nemo autem dicitur obuiam alteri procedere, nisi iam viam aggredienti, atque adeo prius Philistini, quam Israëlita ad pugnam concurrerunt.

Inito autem certamine, Alij, *Et extendit se prælium.* Verbum *וַיִּשְׁטַח* natafch, variè redditur, dimisit, expandit, dilatavit, extendit. Vnde sensus est, cœperunt dilatare se, & explicare se acies. *Quare percussit nos? Alij, Quare quassauit? Nos debellando.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Ψ. 1.** **ET factum.** Descripto Heli, & filiorum eius peccato, hic consequenter describitur frequens punitio. Et primo describitur populi depressio propter Heli, & filiorum eius peccata. 2. eius releuatio per Samuëlis merita, 7. cap. Circa primum debellato populo Israël arca Dei capitur. 2. capta circumducitur cap. 5. 3. ad terram Israël reducitur cap. 6. Prima in 4. quia primò describitur populi Israël debellatio. 2. arcæ apportatio, ibi: *Dixeruntque*. 3. ipsius captio, ibi: *Pugnauerunt ergo*. 4. captæ lamentatio, ibi: *Currens autem*. Circa primum dicitur; *In die. Quæ à Domino excitata est*, vt per ipsam puniretur Heli, & filij eius, & etiam populus qui occasione eorum retraxerat se à debita Dei reuerentia, & sacrificiis, vt dictum est supra 2. cap.

Et castrametatus. Nomen huius lapidis hic ponitur per anticipationem: quia postea fuit sibi hoc nomen impositum, vt habetur infra 7. cap.

MENOC. *Iuxta lapidem adiutorij.* Est prolepsis, sic enim postea à Samuële locus ille appellatus est infra cap. 7. Num. 12.

TIRINVS. *Iuxta lapidem adiutorij.* Id est, ad eum locum, qui paucis post annis ex ope cœlitus missa vocatus est *Lapis adiutorij*. Vt dicitur infra cap. 7. v. 12. quo eodem nomine per Prolepsin hic iam quoque vocatur.

LYRAN. *Inito.* Pro peccatis prædictis.

Ψ. 2. *Dixeruntque.* Hic consequenter describitur arcæ apportatio, quia propter eius absentiam credebant se superatos fuisse, & per consequens credebant per eius potentiam superare, quia sicut dicitur. 2. Physic. Illud quod per sui absentiam est causa periclitationis, per sui presentiam est causa salutis, vt patet de absentia, & presentia respectu nauis.

LYRAN. **Ψ. 3.** *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini.* Consilium hoc maiorum natu de adducenda arca Dei in castra per se malum non fuit, aut temerarium; meritoque sperare poterant victoriam ex presentia arcæ (sicut per eundem presentiam, & circumgestationem norant corruisse muros Iericho) nisi, & sacerdotum filiorum Heli arcam gestantium peccata obstitissent, tum etiam peccata populi clam Baalim, & Astaroth colentis, vt indicatur infra cap. Certè adhuc postea quoque, nec solum sub Saule, de quo infra c. 14. verum etiam tempore Dauidis id factum con-

ESTIVS. *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini.* Consilium hoc maiorum natu de adducenda arca Dei in castra per se malum non fuit, aut temerarium; meritoque sperare poterant victoriam ex presentia arcæ (sicut per eundem presentiam, & circumgestationem norant corruisse muros Iericho) nisi, & sacerdotum filiorum Heli arcam gestantium peccata obstitissent, tum etiam peccata populi clam Baalim, & Astaroth colentis, vt indicatur infra cap. Certè adhuc postea quoque, nec solum sub Saule, de quo infra c. 14. verum etiam tempore Dauidis id factum con-

A stat. Nam in bello quod gerebatur contra Ammonitas, arca cum Israël & Iuda, id est, cum exercitu Dauid, in papilionibus morabatur, id est, in castris erat, vt est in verbis Vriæ ad Dauidem 2. Reg. 11. Sed & cum Dauid fugeret Absalom, sacerdotes post eum, ac pro eius atque exercitus ipsius tutela, arcam Domini ex Ierusalem adferabant: tamen ille præ humilitate indignum se existimans eo honore, ac sacro præsidio, iusserit arcam referri in locum suum.

Afferamus ad nos de Silo arcam. Non est damnanda Israëlitarum spes, quam collocabant in Domino, & arcæ presentia si adesset in castris: insistebant enim Moysis vestigiis, qui cum castra mouerentur, & arca præiret, dicebat: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* Num. 10. 25.

Tulerunt. Ex hoc videtur quod propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei, non erat operculum arcæ, sed quædam tabula deaurata, quæ erat sic posita, quasi portaretur ab ipsis Cherubim, & operculum arcæ esset quasi scabellum illius sedis, sicut plenius fuit expositum, secundum vnâ opinionem. Exod. 25. cap.

B *Tulerunt arcam Domini Dei exercituum sedentis super Cherubim.* Obserua, quod sicut arca erat velut scabellum pedum Domini, ita Cherubim supra arcam expansa erant velut sedes Domini. Hinc & in Psal. 79. dicitur: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, &c.* Et Psal. 98. *Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moneatur terra.* Et vtrumque simul expressum est 2. Reg. 6. vbi dicitur: *Sedentis in Cherubim super eam.* Videlicet arcam. Vtpote super arcam tanquam super scabellum, & in Cherubim, tanquam in sede, ex qua oracula reddebat.

Tulerunt inde arcam. Non licebat ordinariè sedem fixam habente tabernaculo arcam è sancto Sanctorum efferre: videntur tamen Israëlita persuasisse sibi tanti discriminis casum exceptum esse, præsertim cum Iosué princepe circa mœnia Iericho fœlici euentu, Deo iubente circumlata esset. Abulensis quæst. 6. in hoc caput licuisse putat, *Quia non egerunt*, inquit, *illud ex aliqua curiositate, sed ex necessitate.*

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 5. ad 8.*

Vulg. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & perfonuit terra.

Mont. Ouarunt omnis Israël ouatione magna, & tumultuata est terra.

Tigur. Vociferatus magno iubilo.

Malu. Taratantarizauerunt taratantara grande, & conturbata fuit terra.

Sep. Rom. Exclamauit voce magna, & sonuit. *Reg. ut in Vulg.*

Cald. Iubilauerunt iubilatione magna.

Syr. Ita vt turbaretur terra.

Arab. Præ clamore magno.

Vulg. Et audierunt Philistiim vocem clamoris, dixeruntque: Quanam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quod arca Domini venisset in castra.

Mont. Audierunt vocem ouationis.

Alij vt in precedenti versu.

Vulg. Timueruntque Philistiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes.

Malu. Venit Elohim ad desidentiam, & dixerunt Eheu nobis, quia non fuit sicut istud heri nudius tertius.

Sep. Et timuerunt alienigenæ, hi Dij venerunt ad eos, væ nobis, Erue nos Domine hodie, quia non est facta talis heri, &c.

Reg. Quia non est factum sic.

Cald. Quia non fuit sicut hæc ab heri, & ab ante illud.

Vulg. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius: væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto.

Pag. Quis liberabit nos de manu Deorum fortium istorum.

Mont. Illustrium, &c. & in deserto.

Varab. In omni plaga in verbo.

Malu. Quis eripiet nos de manu Elohim, & præamplifimorum istorum? Isti Elohim percutientes in omni.

Sept. Rom. Quis eruet nos de manu Deorum firmorum istorum?

Reg. Solidorum istorum?

Cald. De manu dicti Domini, quod facta eius maxima hæc, ipsæ fortitudines Domini, qui percussit Ægyptios in omni percussione, & populo suo fecit mirabilia.

Syr. Arab. Qui percussit Ægyptios omnigenis plagis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vociferatus est clamore grandi, Alij, Ouarunt ouatione magna, &c. Heb. est רוע roagh, quod ingentem vociferationem significat, sed etiam cum ingenti lætitia, qualis est in ouantibus: vnde Philistiim lætitiā suspicari sunt dicentes postea. Non fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius. Quis liberabit nos de manu Deorum? *Cald.* De manu dicti Domini? Licet in singul. legat *Cald.* tamen alij habent in plurali, & Heb. est Elohim. Sublimium istorum, Alij, Firmorum, fortium, solidorum. Heb. est הַאֲדִידִים hadidim, quod varia significata sustinet, magnificentissimos, sublimes, solidos, &c. denotat. Qui percusserunt Ægyptum omni plagam in deserto, Alij, Et in deserto. *Varab.* In verbo suo. Non facit *Varab.* determinatam mentionem de plagis in Ægypto, aut in deserto inflictis, sed absolute de plagis, quas verbo suo solo Deus infligebat. In Heb. est מִדְּבָר midbar, quod & desertum, & verbum significat. Alij autem qui posuerunt copulatiuam, & in deserto, intelligunt demersionem Pharaonis, & exercitus eius in mare rubrum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *V. 5.* Cumque. Ex gaudio, & confidentia victoriae habendæ per præsentiam arcæ. Sed ista confidentia erat falsa, quia erat sine meritis, & è contrario Philistiim timuerunt dicentes. *Væ no.* Et subditur causa.

MENOC. Vociferatus est: Clamore scilicet iubilationis, vt indicant Heb. & *Cald.*

ESTIVS. *V. 7.* Venit Deus in castra. Et si Philisthæi corporalem motum, & membra Deo tribuentes, hoc falso intellectu dixerunt, existimantes eum corporaliter transferri de loco in locum, phrasis tamen ipsa non est aliena à Scriptura sacra. Nam alibi, hoc, & sequenti libro dicitur Deus locum subinde mutare, & ambulare: scilicet propter arcam subinde translata. Sic in Psal. 131. *Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Et rursus. *Attollite portas, & introibit rex gloria.* Id est, arca.

TIRINVS Venit Deus de castris.] Sic de arca censent Philistæi, quia Deus supra arcam, quasi supra solum regium reside- re vulgo spargebatur, vt dixi. Vel quia imaginabantur virtutem diuinam arcæ inclusam aut affixam esse, vt de spiritu in idolis suis viuente nugabantur. Ita Abulensis. Versu sequenti vocant Deos sublimes alio duplici errore; vno, quo pro multitudine, & varietate operationum fingebant multos, & varios deos: altero, quo æstimabant, deos Iudæorum ideo sublimiores ac potentiores esse, quod locis sublimibus, & montosis præessent. Sicut & Syri; *Reg. 20. v. 23.* dicebant. *Dij montium sunt Dij eorum, ideo su-*

perauerunt nos. Vbi vide plura hac de re.

Quis. Id est, de potentia ipforum: quasi diceret tanta est potentia, quod non poterimus resistere. Et ad hoc inducitur exemplum, cum dicitur.

Hi sunt. Et ideo sicut Pharaon cum maxima multitudine non potuit resistere, sic nec nos poterimus: & sic per verba ista videbantur omnino diffidere de victoria. Sic exponitur communiter ista litera. Sed litera sequens non videtur concordare, quia immediate subditur: *Confortamini.* Propter quod Hebræi aliter exponunt, dicentes in exercitu Philistinorum aliqui erant habentes reuerentiam ad arcam Domini, quamuis essent Gentiles. Benè enim inuenitur in *ve.* & *no. test.* quod aliqui Gentiles veniebant adorare in Ierusalem, & de istis dicitur. *Et in.* vsque ibi inclusiuè: *Quis nos.* Alij erant nullam habentes reuerentiam ad arcam, nec per consequens timorem: & isti vt excluderent timorem ab alijs, dicebant: *Hi sunt.* Id est, eis possibile: quasi dicerent, fecerunt tunc totum posse suum, & ideo non potuerunt nunc nobis nocere, ideo consequenter dicebant. *Confortamini.*

Heri, & nudius tertius. Familiaris Hebræis formula loquendi, quæ ante significat.

Deorum sublimium. Heb. *Fortium,* siue *illustrium,* Hebr. אֲדִידִים *adrim.*

In deserto. Id est, in mari rubro.

VARIETAS LECTIONVM. à *Verf. 9. ad 12.*

Vulg. Confortamini, & estote viri Philistiim; ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruiuerunt vobis: confortamini, & bellate.

Mont. Eritis in viros, & pugnabitis.

Malu. Obtincte vos ipsos, & estote hominibus Philistiim, &c. & cadetis.

Sept. Rom. Inualefcite, &c. & impugmate in eos.

Reg. Debellate.

Cald. Fortificamini, & estote in viros.
Syr. Sumite animos, & estote generosi.
Vulg. Pugnaverunt ergo Philistiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plagamagna nimis: & ceciderunt de Israël triginta millia peditum.
Malu. Consternatus fuit Israël, & fuit percussio grandis, & cecidit de Israël triginta mille pedes.
Sept. Rom. Et impugnaverunt eos, &c. & ceciderunt triginta millia ordinum. *Ita & Reg. Lucif.* Virorum.
Cald. Fracti sunt Israël, & verterunt terga.
Arab. Acciditque Israëlitis infortunium magnum.
Vulg. Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mor-

tui sunt, Ophni & Phinees.
Alij. Et interfecti sunt.
Vulg. Currrens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput.
Pag. Et terra super caput eius.
Arias. Cucurrit vir ex ordine.
Malu. Et vestes commensuratae eius diruptae.
Sept. Rom. Et cucurrit vir Ieminæus è prælio, vestimenta ipsius discissa.
Comestor. Currrens puer.
Iosephus. Iuenculus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ceciderunt de Israël triginta millia peditum. *Sep. Ordinum.* Habent enim *ταγματων*. Ταγμα, autem significat ordinem, cohortem, legionem, iuxta quam lectionem si triginta millia agminum, aut legionum ceciderunt, in immensum augetur caëtorum numerus. Sed facillè occurrit Scholiastes in Bibl. *Sixt. Ordinum*, id est, militum in ordines descriptorum. *Lucif.* vertit virorum, liberum relinquens, vt equites vel pedites intelligantur. Hanc ramen libertatem sustulit *Vulg.* transferens *peditum*. *Currrens autem vir*, *Alij*, *Puer, iuenculus*. Sed non est pugna, quia nomina puer, aut iuenculus, esse potuerunt ministerij, non ætatis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Ψ. 10.* **P**ugnauerunt. Hic consequenter describitur arca captio, quia populus Israël debellatus fuit: & residui fugerunt ad tabernacula sua dimittentes arcam, & sic fuit capta. Et patet litera.
LYRAN. *Ψ. 12.* **C**urrrens. Hic consequenter describitur arca captæ lamentatio: & primo eius captio nuntiatur, cum dicitur. *Currrens.* Dicunt Hebræi, quod iste fuit Saül: qui capta arca videns tabulas testimonij in manibus Goliath Gethæi quas in arca acceperat, abstulit de manibus eius, & fu-

giens reportauit eas in Silo, Heli sedente super sellam contra viam, quia solitus erat audire rumores de exercitu. Cuius causa subditur.

Currrens vir de Benjamin.] Pseudo-Philo-Biblicus, & **TIRINVS** Abulensis ex traditione Hebræorum scribunt, hunc tam tristis cladis primum nuntium fuisse Saulem filium Cis. Addit idem Philo, duos *Heli* filios, *Ophni*, & *Phinees*, occisos à *Goliath Hethæo*, quem postea singulari certamine *Dauid* prostrauit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 15.

Vulg. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas.
Pagn. Super thronum ad latus viæ, clamauit omnis ciuitas.
Mont. Manu vir specularans.
Tigur. Cor eius consternatum, &c.
Malu. Percutiet viam specularans, quia fuit cor eius contremiscens, quia conclamauit omnis vrbs.
Alij. Vociferata est.
Sept. Rom. Ecce Heli super sellam apud ostium viam specularans.
Cald. Sedens super cathedram, super gradum viæ portæ prospiciens, turbata est ciuitas.
Syr. Trepidabat cor eius.
Arab. Exultum fuit, exclamarunt omnes incolæ ciuitatis.
Vulg. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis

est hic sonitus tumultus huius? At ille manifestauit, & venit, & nuntiauit Heli.

Malu. Quid vox multitudinis ipsius?

Cald. Quæ vox conturbationis huius?

Syr. Tantæ perturbationis?

Vulg. Heli autem erat nonaginta, & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.

Pag. Et oculi eius stetit *P. pro steterunt*.

Caiet. Oculos eius finiuit.

Vatab. Defecerant oculi eius.

Alij. Rugauerant.

Malu. Oculi eius surrexit, & non poterit ad videre.

Sept. Rom. Erat filius nonaginta annorum, & oculi eius steterant, & non perspiciebat.

Reg. Nonaginta octo annorum, & oculi eius erant grauati.

Syr. Natus erat 70. *Idem Arab.*

Nobil. Oculi eius obriguerant.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sedebat super sellam, *Alij*, *Et ecce*. In Heb. enim est *והנהב* *vehineb*. Sic in Græco *ἰδὲ*, ecce, vsurpari solitum, ad aliquid repentinum insperatumque significandum. *Super sedem*, *Alij*, *Thronum*. *Cald.* *Cathedram, super gradum*: Ipsius enim structura sedis sublimis erat, vel quia in aliquo gradu sita erat. *Contra viam spectans*, *Alij*, *In manus via*, id est in loco viæ, nam *ו* *iad*, non solum manum, sed etiam locum significat, vnde licet *Vulg.* non dixerit quo in loco sederet, tamen secundum Heb. sedebat in loco, seu principio viæ tendentis ad locum pugnae, vt inde venientes exciperet. Addunt *Sept. ad portam*, seu apud ostium, quod etiam *Vulg.* exprimit v. 18. *Malu. legit percutiet viam specularans*: Quædam exemplaria, inquit *Vatab.* pro *ו* *iad*, habent *ו* *iach*, percutiebat, vt sit sensus, sedebat super solium suum, & percutiebat eum cor suum propter arcam.

Heli erat 98. annorum. *Sept. Sixt.* solum habent 90. sed *Alij* *Codices Græci* 98. Ne admittas versionem *Syr.* nec *Arab.* legentium ipsum solum tunc fuisse 78. annorum. *Et oculi eius caligauerunt*, *Alij*, *Oculi eius stetit, oculos eius finiuit*. Est verbum *קמח* *kamah*, quod est fœmineum à *קמ* *kum*, quod diuersimodè redditur: Nonnulli enim reddunt, & oculi eius, id est, singultus oculorum eius, distributiue caligauit, rigauit, defecit. Quasi dicerent, & vnusquisque ex oculis eius caligauerat, aut rigauerat; quando enim rugant oculi in senectute deficcatur humor, stant, & subriguntur nervi oculorum, & ingreditur oculus foramen suum, seu refugit intra: *Caiet.* *Oculos suos finiuit*, id est, amisit, perdidit, sed non bene. *Alij*, *Et oculi eius stant*, & notant quando verbum *kum* de oculis dicitur, tum Hebræis idem significare, quod Latinis caligare, id est, stat virtus visiva, nec diffunditur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**Rat enim. Magis quàm pro filiis suis. Cætera patent A
 v. 13. vltique ibi.

TIRINVS *Heli sedebat super sellam.*] Vtique pontificiam, ante
 postes tabernaculi, seu in vestibulo, vbi thronus erat pon-
 tificius, è quo ipse tanquam summus Pontifex, & Iudex
 totius Israël, solebat populo responsa dare. Ex hac sel-
 la versa decimo octauo relupinus excidens Heli, fregit
 sibi ceruices.

Petes, An cum morte temporali, mortem quoque sub-
 ierit æternam? Ita videntur affirmare S. August. Gregor.
 Eucherius, & Beda. Sed respondeo, contrarium verifimi-
 lius esse. Quia, vt ait Theodoretus & Abulensis, fuit vir
 eximius, toti populo carus ob vitæ morumque integrita-
 tem: quo factum, vt & diuino decreto (quod audiui-
 mus cap. 2. v. 30.) & populi communi conspiratione, suprema
 pontificatus simul, & iudiciariæ potestatis dignitas illi
 vni extra ordinem collata sit, cum neutra deberetur fami-
 liæ illius. Quòd verò nimia conuiuentia ab illo peccatum
 est, id tunc factum videtur cum ad eam ætatem esset pro-
 uectus, in qua neque rem sacram, neque politicam curare

posset: cum & filij quoque ea essent ætate, qua non facile
 à parente iam decrepito sese officij sui seuerius admoneri
 paterentur. Quòd si etiam tum desierat per ætatem aut iu-
 dicis, aut Pontificis officio fungi, & iam filij tam nomen
 quàm munus sibi à parente transcriptum publicè obi-
 bant; leuior hoc quoque ex capite fuerit culpa parentis,
 Vt vt est, in senili ætate sat superque otij habuit, vt dolere
 de peccatis, & vitam in melius commutare potuerit.
 Quòd & fecisse, vel inde patet, quòd æquo animo pee-
 Samuëlem corripi se passus sit, & vir tantus, tam gran-
 dis ætate ac dignitate, tantillum puerum non respuerit:
 quòd item cum durum sibi suæque familiæ vaticinium au-
 disse, in nutum placitumque Domini totum se religiosis-
 simè consignarit. Denique quòd cum audiit cæsum popu-
 lum, & mortes filiorum suorum tulerit fortissimè, cum
 verò intellexit Arcam testamenti captam à Philistæis, ex-
 animatus dolore deciderit è sella: quòd signum est, bonum
 senem nihil habuisse pietate ac religione charius, ita Theo-
 doretus, Abulensis, Lyranus, Dionysius, Serarius, &
 Sanctius.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 18.

Vulg. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio,
 & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid
 actum est fili mi?

Malu. Ego veniens de ordinatione, & ego de ordinatione
 fugi.

Sep. Rom. Dixit Heli viris assistentibus sibi, quæ vox soni
 huius? & vir festinans accessit.

Reg. Quòd factum est verbum? fili.

Vulg. Respondens autem ille, qui nuntiabat: Fugit, in-
 quit, Israël coram Philistiim, & ruina magna facta est
 in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni,
 & Phinees: & arca Dei capta est.

Malu. Respondit euangelizans, &c. & etiam consternatio
 grandis fuit.

Sep. Et respondens puer, fugit vir Israël à facie alienige-
 narum.

Cald. Percussio magna facta est.

Vulg. Cumque illi nominasset arcam Dei, cecidit de sella
 retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus
 est. Senex enim erat vir & grandæuus: & ipse iudicauit
 Israël quadraginta annis.

Pagn. Cecidit de throno retrorsum, & fractum est occi-
 put eius.

Arias. Per manum portæ contractum est os colli.

Sep. Rom. Contribulatum est dorsum eius, & ipse iudica-
 bat Israël 20. annos. Ita Lucif.

Reg. Cecidit in retro adhærentia portæ, & fracta est sca-
 pula eius, quoniam senex erat, & grauis, &c. 40. annis.

Cald. Cecidit desuper cathedram retro se super gradum
 viæ portæ.

Syr. A latere ianuæ.

Arab. Super ianuam, fractoque illius dorso.

S. Chryf. Grandæuus & honorabilis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Iuxta ostium, Alij, *Ad manum, latus portæ.* Vide superius vers. 13. *Sep. In adherentia portæ.* Quasi diceret, cecidit
 retrorsum in saxa, & marmora ea quibus portarum limina construebantur, quibus facile erat illud occiput illidi,
 & infringi. *Fracta est ceruix,* Alij, *Contribulatum est dorsum, fractum, fracta scapula.* Omnia hæc potuerunt con-
 fringi, & collidi, adeo vt statim expiraret, præsertim in tanta senectute ac debilitate. *Senex enim erat grandæuus valde,*
 vel vt alij, *Grauis,* hoc est, vt explicat Vatab. obeso, & succulento erat corpore. S. Chryf. *Grandæuus & honorabilis,*
 כבד *chabed,* grauem, & honorabilem seu gloriosum significat. *Iudicauit 40. annis.* *Sep. Sixt. Viginri annis.* Sed quic-
 quid sit de hac lectione quam etiam plures sequuntur, tamen adhærendum est nostræ, cui fere omnes aliæ consentiunt:
 & etiam *Sep. Reg. Iosephus, Clemens, Alexand. Theod.* quibus adde & Chronologos Græcos veteres & Latinos, nec
 non recentiores. Possimus tamen dicere, vt vtramque lectionem conciliaremus, 20. annos per se solum, alios 20. etiam
 per filios, in quos magna ex parte suum exonerauerat munus, iudicasse. *Vulg.* ergo de toto tempore loquitur. *Sep.* so-
 lum de eo quo solus ministravit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T fracto. In Hebræo habetur. *Et fracto collo suo,*
 v. 18. &c. Sequitur.

MENOC. *Mortuus est.* Æternam tamen mortem euasisse graues

auctores sentiunt, & non leues suadent coniecturæ. Vide
 Sanchez in præfatione ad libros Regum à num. 7. vsque
 ad finem.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 22.

Vulg. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans
 erat, vicinaque partui: & audito nuntio quòd ca-
 pta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir
 suus, incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam
 dolores subiti.

Pag. Audiuit famam, &c. quia versæ erant super eam an-
 gustiæ eius.

Mont. Audiuit auditionem.

Malu. Ingravidata ad eiacularare, &c. curuauit se cruri-

bus, & genuit, quia versæ super eam coangustationes
 eius.

Sep. Rom. Et plorauit, & peperit.

Reg. Angustiata est, & peperit.

Cald. Quoniam conceperunt eam dolores eius.

Arab. Dolores partus occupauerant eam præ vehementia
 doloris.

Vulg. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei
 quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperit.

Hi. Quæ non respondit eis, neque animaduertit.
Arias. Et circa tempus mori eius, &c. neque posuit cor suum.
Sep. Et in tempore suo moritur, &c. & non cogitauit cor eius.
Reg. Et non animaduertit.
Syr. Nec animum adiecit.
Vulg. Et vocauit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei, & pro focero suo, & pro viro suo.
Pag. Et mortuus esset focer suus.
Mont. Ad focerum suum
Calet. Reuolutus est honor ad Israël, ad esse captam Elo-

him ad focerum.
Vatab. Exulat gloria.
Tigur. Transinigravit.
Malu. Reuelata fuit grauitas ad accipi arcam.
Sep. Rom. Nabarchabot pro arca Dei, & pro focero.
Reg. Vocauit nomen puero gloria pro arca Dei, &c. quoniam niam mortui sunt.
Arab. Euanuit honor à filiis Israël.
Vulg. Et ait: Translata est gloria ab Israël, eo quod esset capta arca Dei.
Alij vt in precedente versu.
Sep. Et dixerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Incurruant se, & peperit, Alij, Et plorauit, & angustiata est. Hæc angustia ex doloribus partus ab effectu exponitur per plorationem, & incuruationem. In ipso momento mortis. Septuaginta. Et in tempore suo moritur, hoc est, vt scholia Flaminij habent, dum ipsa moreretur. Vocauit puerum Ichabod. Septuag. Nabarchabod. Ichabod, idem est atque inglorius, seu in gloria, seu vae gloria: Nam Hebraicè אִכָּבֹד Ichabod, est nomen compositum, cuius prior pars אִכָּבֹד aliquando significat vbi, aliquando non & etiam vae, at vero כָּבוֹד Chabod, id est gloria, honor, ex quibus vocibus prædicta ethymologia, atque ita ipsa quæ nomen imposuit mater, statim exposuit dicens. Translata est gloria de Israël. Et ait. Sept. & Reg. Et dixerunt. Quasi vbi nurus Heli suum illud epicecium inchoauit, statim illud omnes fœminæ pari voce sequerentur. Nihilominus alia exemplaria in singulari verunt, & ait: & licet ponatur illa particula Et, quam dicunt aliqui omnino inutilem esse, licet more Hebræorum redundare possit, talis constructio debet esse, pro focero suo, & viro suo, & ait: Translata est gloria. Deplorat enim non solum arcæ captiuitatem, sed & foceri sui, & mariti interitum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 19.* Incurruant se, & peperit, irruerant enim in eam dolores subiti. Quia dolor magnus, & repentinus accelerat partum.

MEN OC. Incurruant se, & peperit: &c. Grauis enim aliquis, & repentinus timor, aut dolor animum percellens partum accelerat. Sic ceruas aiunt nonnunquam parere cum tonat cælum, quo modo passim explicant illud Psalm. 28. Vox Domini preparantis cernos. Id est, tonitru parere facientis.

LYRAN. *ψ. 21.* Et vocauit puerum Ichabod. Quod interpretatur, inglorius, ideo pro causa huius nominationis subditur: Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei,


& pro focero suo, & pro viro suo.
Ichabod. Ex euentu non infrequenter nomina imponuntur, significat hæc vox vbi gloria? vel, vae gloria. Iosephus vertit אִכָּבֹד, non gloria.

Vocauit puerum Ichabod. Id est, Vbi gloria? scilicet Israël: quasi dicat capta Arca, perit omnis nostra gloria, qua præ omnibus gentibus gloriabamur Deum nobis singulariter adesse, & ad præsentiam Arcæ certissimè opitulari: nunc translata ad hostes Arca, simul omne præsidium, omne robur, omnis bona fortuna, omnis spes libertatis ab Israël translata est.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS.

Dagon coram Arca semel iterumque corruit, præcisus in limine capite ac manibus: Philistæi vere grauissimis plagis, ubicumque Arca esset, puniuntur.

1.  Hilistiim autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum. 2. Tuleruntque Philistiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. 3. Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. 4. Rursumque manè die altera confurgentes, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen: 5. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem. 6. Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate. 7. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat Arca Dei Israël apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum. 8. Et mittentes congregauerunt omnes satrapas Philistinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de Arca Dei Israël? Responderuntque Gethæi: Circumducatur Arca Dei Israël. Et circumduxerunt Arcam

Dei Israël. 9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuscuiusque vrbs, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas. 10. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron. Cumque venisset Arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum. 11. Miserunt itaque, & congregauerunt omnes satrapas Philistinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro. 12. Fiebat enim pavor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei, viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascende-
debat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cælum.

VARIETAS LECTIONVM, à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Philistiim autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum.
Malu. Venire fecerunt eam in Heben Hagheser in Asdod.
Sept. Et alienigenæ cœperunt.
Cald. Adduxerunt è petra auxiliij.
Vulg. Tuleruntque Philistiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.
Pagn. Introduxerunt eam in domum Dagon, &c. apud Dagon.
Malu. Venire fecerunt eam, & sic stare fecerunt eam reueruationem Dagon.
Cald. Statuerunt eam in latere Dagon, ascendere fecerunt.
Vulg. Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.
Pag. Ceciderat super faciem suam.
Malu. Et manicauerunt, &c. & reuertere fecerunt eum loco suo.
Sept. Rom. Et manè vigilauerunt, & intrauerunt in domum Dagon, & grauata est domus Domini super Azotum,

& cruciauit illos, & percussit illos in sedibus eorum, Azotum, & regiones eius.
Reg. Eleuauerunt.
Cald. Et anticipauerunt homines in die qui post illum, & ecce Dagon proiectus.
Syr. Obseruauerunt eum in loco suo.
Vulg. Rursumque manè die altera confurgentes, inueniunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.
Mont. Cadens in facies suas ad facies arcæ, & duæ volæ abscissæ ad limen.
Tigur. Recisæ.
Sept. Rom. Et caput Dagon, & ambo vestigia manuum eius super anteriora Aiuaphet singuli, & ambo articuli manuum eius ceciderunt in limen.
Reg. Ambo vestigia pedum eius abscissa super anteriora liminum, & ambæ iuncturæ manuum eius. *Ita Philo.*
Lucifer. Ambo manuum ablata erant per partes centum.
Cald. Duæ extremitates manuum eius truncatæ, percussæ super limen, solum corpus relictum super se.
Syr. Ecce caput Dagonis, ambas palmas manuum eius recisas, trunco Dagonis remanente.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tulerunt, Alij, *Venire fecerunt eam, ascendere fecerunt.* Vtitur Cald. verbo ascendendi, vel quia ab vrba ascensus in templum, vel quia à templo erat ascensus in locum, in quo Arcam statuerunt. *Altera die.* Cald. *In die qui post illum,* significans diem proximè sequentem. *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* Septuag. *Reg. & Compl. Vestigia pedum eius abscissa.* Addit Lucifer, *in partes centum,* non solum caput, sed etiam manus, imò & pedes fuisse abscissos. Imo in plures partes diuisum plures asserunt, quod non exprimit Vulg. sed possumus dicere ad maiorem arcæ gloriam, & Dagonis ignominiam, id potuisse contingere, quamuis Vulg. non exprimat, neque enim omnia in ea exprimuntur.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **P**hilistiim autem tulerunt Arcam, &c. Hic consequenter describitur circumductio Arcæ Domini per terram Philistinorum: quæ circumductio facta est, eò quod prima ciuitas in qua posita fuit, à Domino fuit percussa grauiter: & ideo fecerunt eam deduci ad alia loca, ad experiendum si propter præsentiam Arcæ fuerat ista plaga, quod apparuit, eo quod vbiicumque ducebatur, populus similiter percutiebatur: & sic in captione Arcæ per Philistæos apparuit Dei iustitia, ne populus Israël præsumptuosè, & sine meritis præsumeret de Dei protectione ex Arcæ præsentia. Apparuit etiam eius potentia, percutiens Philistæos in terra propria: ne captiorem Arcæ, suæ adscriberent potentiam, & vt Deum Israël qui solus est verus Deus, cogerentur reuereri, & timere. In hoc igitur capitulo sic proceditur, quia primo describitur percussio Azoti. Secundo totius populi, ibi: *Videntes autem.* Tertio super hoc congregatio consilij, ibi: *Miserunt itaque, & congregauerunt.* Circa primum dicitur.
- Philistiim.* Fugiente populo Israël.
Et asportauerunt eam, &c. Hoc nomen exponatur sicut prius.
- A** *In Azotum.* Nomen est ciuitatis, vbi primò fuit posita.
A lapide adiutorij. De lapide adiutorij dixi suprà c. 1. **MENOC** Num. 1.
Et intulerunt eam, &c. Attribuente sibi victoriam, & **LYRAN** Arcæ captionem: propter quod Dominus ostendit contrarium: vnde subditur. **Y. 2.**
Tuleruntque Philistiim Arcam Dei, & statuerunt eam **TIRINVS** *iuxta Dagon.* Non iuxta Dagon statuerunt, vt vna cum Deo suo Dagon colerent (quamuis Græci, & Romani, aliquando à victis gentibus numina mutuati sint) sed vt esset Arca, instar insignis spoliij hostibus erepti: cuiusmodi spolia solent victores in suorum Deorum templis, velut adeptæ per eos victoriæ, grata testimonia, collocare. Atque hæc causa fuit, vt iuxta Dagon Arcam statuerent. Nam sicut legimus Iudic. 16. Philistæos laudasse Deum suum Dagon, pro Samsonem in manus suas tradito, ita non dubium, quin etiam hic & victoriam, & Arcæ spoliolum eidem Deo suo accepta tulerint.
In templum Dagon. Vide dicta Iudicum 16. 23.
Statuerunt eam iuxta Dagon. Vel vt honorarent Arcam,

cam, cui magnum numen inesse arbitrabantur: vel vt eam; A
quasi trophæum quoddam statuerent de hostibus suis Dagonis beneficio superatis.

TIRINVS Statuerunt Arcam iuxta Dagon] Vtique honoris ac religionis ergo: quia magnum in Arca numen latere existimabant, vt capite præcedenti ex illorummet verbis audiuius.

LYRAN. Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini. Quasi faciens ei reuerentiam.

Et tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Scilicet sacerdotes antequam populus perciperet: propter quod Dominus addidit secundum signum manifestum per detractionem idoli.

MENOC. Iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt, &c. Qui adorantis habitus est, vt intelligerent Azotij quanto præstantior esset Hebræorum Deus.

LYRAN. Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini. Licet enim caput esset abscissum à corpore, corpus tamen ita iacebat super terram, ac si facies esset ad terram versa, si esset corpori coniuncta. Caput etiam super limen sic iacebat, quod facies erat versus terram. Dicunt tamen Hebræi, quod istud idolum habebat caput factum ad similitudinem cuiusdam piscis, & ideo vocabatur Dagon à Dag, quod significat piscem in Hebræo.

Rursumque mane die altera consurgentes, inuenerunt Estivs.
Dagon iacentem: caput autem Dagon, & dua palme super limen, &c. In hac narratione prima facie videtur quædam repugnantia. Nam dicitur Dagon iacuisse, & paulo post remansisse in loco suo. Sic enim subiungitur: Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Sed reuera nulla est repugnantia. Nam primo sciendum est Dagon fuisse idolum, quod ab vmbilico, & infra, habebat figuram piscis, & in superiori parte figuram hominis. Vnde truncatis brachiis & capite, remanebat tantum figura piscis. Quod ergo Dagon dicitur iacuisse in terra coram Arca Domini, id per Synchdochem tantum de capite ac brachiis intelligendum est, quæ super limen iacebant ante Arcam. Vnde scilicet, & scriptura hoc ipsum exponens adiecit: Caput autem Dagon, & dua palme manuum eius abscisse erant super limen. Quod autem sequitur. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo, intelligitur de reliqua parte, quæ truncato capite, & brachiis iam nihil aliud, quam figuram piscis referebat (piscem enim Hebræi daga vocant, & diminutiuum Dagon.) Vnde rectè dictum est, Dagon relictum fuisse in loco suo.

Caput autem Dagon, & dua palme manuum eius abscisse erant super limen. Grauius secunda vice multatur Dagon, vt vel sic intelligerent Azotij veri numinis potentiam, & idoli sui vanitatem.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 5. & 6.

Vulg. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem.

Arias. Ideo non calcabunt.

Malu. Super sic non viabunt sacerdotes.

Sep. Rom. Non incedunt, sed transcendent non transcendunt.

Reg. Non ascendunt, &c. sed transilientes transiliunt.

Cald. Non gradientes sacrificuli Dagon.

Vulg. Aggrauata est autem manus Domini super Azotos, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villa, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.

Pag. Desolatus est eos, & percussit eos mariscis Afdod.

Arias. Desolare fecit eos, & percussit eos in locis altis.

Tigur. Manus Domini grauis fuit, &c. perdidit eos, percussitque eos in podicibus.

Malu. Et afflauit eos, & percussit in extantibus ani.

Sep. Rom. Grauiata est, &c. & induxit eis, & effebuit eis in natibus, & medium regionis eius expullularunt mures, &c.

Reg. vt in Hebr.

Lucifer. In domibus.

Sym. In locis absconditis.

Cald. Fortificata est percussio super hominem Afdod, & vastauit eos, &c. in constrictionibus Afdod.

Arab. Plaga quædam in sedibus eorum, ita vt occupasset eos dysenteria.

Alij. Occultabant se inter ilia hemorrhoides.

Alij. Habuerunt secretos morbos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Demolitus est eos. Alij, Torfit, vastauit, desolare fecit eos. Heb. est **וַיִּשְׁמַד** *vaiscimem*, à verbo **שָׁחַ** *schamam*, quod est desolare, vastare, dissipare, disperdere. Percussit in secretiori parte natium, Alij, In mariscis, in extantibus ani, &c. Heb. est **בְּעֵפְלִים** *baghepolim*, quod variè redditur, vt vidimus, aliqui etiam vertunt in locis altis, absconditis, quod Vatab. explicat vel figuratè per antiphrasim quod minimè extant, vel propriè quod ex plaga seu morbo iuxta Medicos intumescant. Sed omnes parum in verbis, nihil in sensu à vulgata distinguuntur. Hæc autem plaga qualiscumque fuerit, mortifera fuit, vnde dicit Vulg. Facta est confusio mortis magnæ in ciuitate. Fuit ergo morbus hic insanabilis in posterioribus corporis partibus inflicus. Et ebullierunt villa & agri, &c. Licet reliquam huius versus partem exemplaria alia non habeant, & nonnulla aliter atque aliter transponant, vt Sept. Sixt. sed Latinum omnium emendatissimum admittit, sed etiam in proposito ordine conseruat, quamuis enim hanc murium plagam in fonte non inuenit, tamen satis apertè collegit illam ex voto Philistinorum, quod seq. cap. v. 5. mures aureos pro supplicio deprecando obtulerunt.

ANNOTATIONES.

MENOC. Remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, Quem in terram delatus semel occupauerat.

TIRINVS Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.] Non illo sublimes, è quo solebat adorari: sed humi, seu in pavimento, in quod deiectus erat: cum enim è graui collisus à trunco corpore resiliissent manus, & caput versus limen templi rotatum, truncus tamen ipse in eo loco mansit quem cadens primum occupauit.

Nota. Dagon. Hebraicè piscem significat. Erat enim idolum ab vmbilico ad imas vsque partes specie piscis: Tom. IV.

superiore vero parte, specie humana: quales in fæmineo sexu *Nereides*, seu *Sirenes*, in virili *Tritones* descriperunt Poëta, quorum vnus ita canit, *Desinit in piscem mulier formosa superne*. An verò Dagon muliebrem habuerit, an virilem formam, incertum est. Qui putant, *Iouem* fuisse quem *Arotrium* vocant, seu *Aratorium*, ab aratro, quod adinuenisse dicunt, vt Eusebius, Arias, & quidam alij, virilem Tritonum formam concedunt. Fæmineam verò Sirenum habuisse contendunt quorquor Venerem fuisse autumant verbi gratia Abulensis, Lyranus, Scaliger, Serarius, Sanctius, & alij complures à Cælio Rhodigiano citati: qui ex Plinio, Ouidio, Manilio, Luciano, &

Herodoto docent Venerem vtpote è mari ortam, vbi pisces degunt (vnde & *Aphroditis* vocatur) sæpè in piscem figmento Poëtarum conuersam fuisse: & apud *Ascalonios* in Palæstina pro primario numine, & nobilissimo templo coli solitam, alio nomine *Dercetum*, & *Atergatim*, dictam, quod esset facie hominis, reliquo corpore in piscem desinente, quod & nomine *Dagon* significatur. Neque ab hac sententia (quam probabiliorem puto) dimouere nos debet, quod *Dagon* hîc & alibi non *Dea*, sed *Deus* dicatur: quia vsitatum est, vt per Syllepsin terminatio virilis fœmineam quoque in se concipiat. Et ipsa *Venus* apud *Virgilium* lib. 2. *Ænei*. *Deus* vocatur.

LYRAN. *Aggravata*. Quia postquam percusserat eorum Deum, percussit & populum. Et modus percussionis subditur. *Et percussit in secretiori parte natium Azotum*. Percussit enim fuerunt dissenteria vehementi, ita quod intestina inferiora per quæ fæces egrediebantur, putrescebant vel scaturiebant vermibus, & exterius prominebant. *Et bullierunt ville*. Totus iste versus non est in Hebræo,

A nec in libris antiquis, sed per modum glossæ primo fuit additus hic extra textum: eo quod infra vj. cap. exprimitur ista plaga murium facta in quinque ciuitatibus principalibus: quarum *Azotus* erat vna, & postea aliqui imperiti hunc versum inseruerunt textui, sicut, & in pluribus aliis locis S. Script. reperitur. *caute lege, scripsit ante Conc. Trid.*

Demolitus est eos. Attriuuit morbis, de quibus paulo post, aliisque malis, multis morte è medio sublatis.

In secretiori parte natium. Hæmorrhoidibus immixtis, mariscis, hoc est tuberculis in ano ad fici similitudinem, marisca enim propriè inspidas ficus significat. *Theodoretus*, & *Procopius* *παρδάων*, interpretantur, hoc est, vlcus rodens, & exedens.

Nati sunt mures. Agris infesti, omnia arrodentes, & spem frugum auferentes. Itaque dicitur capite sequenti numero quinto, facietis similitudines murium, qui demoliti sunt terram.

Facta est confusio mortis magna, &c. Plurimi promiscuè mortui sunt.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 9.

Vulg. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam; dixerunt: Non maneat Arca Dei Israël apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.

Pagn. Viderunt quod sic essent percussi.

Mont. Viderunt viri quod sic, & dixerunt.

Tigur. Sic fieri.

Malu. Non manebit, &c. quia perplexa fuit manus eius.

Sep. Non sedebit Arca.

Cald. Quod posita super eos percussio, &c. quoniam fortificata est super nos percussio, & super Dagon errorem nostrum.

Arab. Quia furor eius inuasit nos.

Vulg. Et mittentes congregauerunt omnes satrapas Philistinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de Arca Dei Israël? Responderuntque Gethæi: Circumducatur Arca Dei Israël. Et circumduxerunt Arcam Dei Israël.

Mont. Circumeat Arca.

Malu. Circumgirabitur Arca, & circumgirare fecerunt.

Sep. Rom. Congregant satrapas alienigenarum, transeat Arca Dei ad nos, & transit Arca Dei.

Cald. Circumferatur, & circumtulerunt.

Syr. In Gad redeat Arca, & sic remiserunt.

Vulg. Illis autem circumducentibus eam, fiebat mantus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuscuiusque vrbs, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæ consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.

Pag. Fuit manus contra ciuitatem contritione magna nimis, &c. & antea incognitæ erant mariscæ.

Mont. Absconditi erant eis loci alti.

Cald. Habueruntque secretos morbos.

Caiet. Abscondita sunt illis sedis vitia.

Tigur. Factum est vt manus Dei immineret vrbi admodum vehementi impetu, percuteretque homines non modo obscuros, & humiles, sed & magnos vt laterent eis morbi.

Malu. Et fuit postquam circumgyrare fecerunt eam, & fuit conturbatio grandis valde, & absconditæ fuerunt ani extantiæ.

Sep. Rom. Et factum est postquam ipsa pertransiit, percussit eos in sedibus eorum.

Reg. In natibus.

Cald. In constrictionibus.

Syr. Et prolaberentur eis podices eorum.

Arab. Grassata est in eos dissenteria.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET super Dagon Deum nostrum. *Cald. Errorem nostrum.* Meritò enim idola, & obiectiuè, & effectiuè errores dici possunt, quia & multorum errores terminant, & multos inducunt in errores. Vnde oberrare per Antonomastiam idem est, quod idololatrare iuxta illud *Syracidis* *Eccl.* 51. *Cumque adhuc iunior essem priusquam oberrarem.* Illis autem circumducentibus eam, *Alij, Et fuit, postquam circumgyrare fecerunt eam, &c.* Et ita ipsi videntur asserere hanc plagam accidisse, postquam circumducta Arca. Quorum opinioni fauent *Sep.* in *Bibl.* *Sixt.* *Et factum est postquam ipsa pertransiit.* Nihilominus adhærendum *Vulg.* dicenti, illos dum Arca circumduceretur tali plaga percussos. Ait enim, *Illis autem circumducentibus eam*, quæ verba significant actionem in fieri, non in facto esse: & in hunc sensum transferunt *Sep.* *Compl.* & *Reg.* *Factum est cum pertransibat Arca per singulas ciuitates, Alij, Contra ciuitatem.* Sic omnes *Alij*, & ita dicendum in *Vulg.* sermonem esse per anticipationem de plaga facta, dum Arca totam Palæstinam peragraret. In aliis vero exemplaribus sermonem esse de plaga facta, in ea vrbe ad quam primum Arca ex *Azoto* translata est. *Et computrescebant prominentes extales eorum.* *Alij, Percussit eos in constrictionibus, in sedibus, &c.* Hoc est in internis visceribus quæ vi mali computrescebant, & prominebant foras, seu vt ex aliis vertit *Theod.* *Vndique resoluebantur.* In *Heb.* est verbum שתר *scathar*, quod hîc tantum reperitur eiusdem significationis cum verbo סתר *satar*, quod est celare, abscondere, occultare. Et nomen עפולים *ghepolim*, quod significat vel morbum internum, vel internam corporis partem morbo affectam.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**identes. Post percussionem Azoti, hîc consequenter describitur percussio alterius populi. Et patet litera vsque ibi.

LYRAN. *Circumducatur.* Ad videndum si propter eius præsentiam contigerat dicta plaga, quod apparuit per effectum. Et patet litera.

MENOC. *Satrapas Philistinorum.* In quot satrapias distributa esset Philistinorum ditio, & quænam essent eorum nomina, diximus *Iud.* 16. 5.

Responderuntque Gethæi. Geth erat vna ex præcipuis Philistæorum præfecturis.

Circumducatur Arca Dei Israël. Quod eo consilio factum volunt *Procopius*, & *Lyranus*, vt certius cognoscerent casus mala illis euenissent ex aëris, verbi gratia, corrupti intemperie, an verò ab Hebræorum Dei manu vindice. Si enim *Alij*, ad quos Arca deferretur iisdem, aut similibus malis affligerentur, iam constaret Deo immittente illis euenire.

LYRAN. *Extales eorum. Inieruntque Gethai consilium.* Id est, A & diuinant mendacium.
 Y. 9. *intestina inferiora per quæ egrediuntur faeces.*
Et fecerunt sibi sedes pelliceas. Ut possent melius sedere, & vt mures importuni non possent intestina prominentia mordere.

MEN OC. *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magne nimis.* Fieri manum Domini super aliquem, est diuinam potentiam in aliquem ostendi, siue illi benefaciendo, siue malis vexando, & deprimendo. Exemplum vtriusque significationis suppeditat Ezechiel, fauoris quidem, & spiritus prophetici, capite primo numero tertio, cum dicitur. *Et facta est super eum ibi manus Domini.* Vltionis vero, & vindictæ cap. 13. Num. 9. cum ait: *Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana,*

Prominentes extales eorum. Mariscæ.
Gethai consilium. Ad quos ab Azotis Arca transiuerat.
Fecerunt sibi sedes pelliceas. Ut mollius in eis sederent, & acquiescerent.

Fecerunt sibi sedes pelliceas. Id est, puluillos è pellicea materia plumis, & simili mitiori fomento suffartos, vt & sine dolore effluentia intestina colligerent ac sustinerent. Hos enim puluillos pro subligaculis (quibus alioquin carebant, & Hebræi, & Palæstini) læso corpori adnectebant, tum ob rationes iam dictas, tum vt emplastra, & alia medicamenta cohiberent ne deciderent.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 10. 11. 12.

Vulg. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron. Cumque venisset Arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.

Pag. Circumduxerunt, &c. vt interficiant nos.

Malu. Circumgyrare fecerunt ad mori facere me.

Sep. Rom. Et fecerunt sibi Gethai sedes, & emittit Arcam, & factum est cum intrauit Arca Dei in Ascalonem, clamauerunt Ascalonitæ dicentes, quid conuertistis Arcam? &c. ad mortificandum nos?

Reg. ferè vt Vulg.

Syr. Vlulauerunt Acronæi.

Vulg. Miserunt itaque, & congregauerunt omnes satrapas Philistinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro.

Malu. Reuersa fuit in loco suo, & mori non faciat me.

Sep. Resideat in loco suo, & morti non dabit nos.

Vulg. Fiebat enim pavor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei, viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in calum.

Pagu. Erat contritio mortis, &c. percussi sunt in mariscis.

Mont. In locis albis.

Vatab. In tota vrbe percussi sunt vitii sedis, siue proci-dentia ani, ascendebat clamor.

Malu. Percussi in extantiis ani.

Sept. Rom. Quia confusio facta est in ciuitate, tota grauis valde, vt intrauit Arca Dei illuc, percussi sunt in sedibus.

Reg. vt in Vulg.

Cald. Fortis nimis percussio Dei, &c. percussi sunt in contractionibus, ascendit ad latus calorum.

Syr. Multati sunt in podicibus suis.

Arab. Afficiebantur dysenteria, ita vt mugitus vrbis in calum tolleretur.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Miserunt in Accaron, Sep. Rom. Ascalonem. Tamen noster Vulg. quem etiam alia exempla Græca sequuntur, legit Accaron. Et merito, nam Ascalonitæ magno gaudio Arcam Dei exceperant. Accaronitæ autem cum fletu & tristitia. Fiebat pavor mortis in singulis vrbibus. Vatab. In tota ciuitate, sed anteposendus Vulg. Vatab. tum etiam quia conformis est Hebræo fonti. Percutiebantur in secretiori parte natium, Alij, In mariscis. Vide dicta superius. Ascendebat vlulatus, Alij, Clamor, rugitus. Philistini sane præ nimio doloris sensu in morem belluarum efferati non clamabant vt homines, sed vlulabant vt lupi, & rugiebant vt leones. In calum. Cald. In latus calorum. Et fortassè non sine mysterio, non enim erat oratio iustorum, quæ penetrat calos, sed erat vociferatio impiorum, quæ ad calij latera irritò ascensu quodammodo resilit ac detorquetur, nec ad aures Dei pertingit, vt audiatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Miserunt ergo Arcam Dei.* Hic consequenter describitur consilium de remittendo Arcam Dei ad locum suum, ad quod fuerunt coacti propter experientiam plagæ: & Arcam Dei non audebant dissipare, ne peius eis eueniret. Et patet litera.

MEN OC. *In Accaron. Cumque venisset Arca Dei in Accaron exclamauerunt Accaronitæ.* Quæ vna erat ex quinque Phil-

istarum satrapis.

Viri qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium. Ex his verbis fit verisimile plurimos ex illa regione ad aspectum Arcæ mortem subiisse repentinam, quod etiam viris Bethsamitibus capite sequenti narratur accidisse.

MEN OC. Y. 12.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

Philistæi Arcam cum votiuis donariis ad Israëlitas remittunt. Quâ excepta à Bethsamitis, nec sat reuerenter inspectâ, plurimi etiam illorum puniti sunt morte.

I.



Vit ergo Arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus. 2. Et vocauerunt Philistiim sacerdotes, & diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: 3. Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuum, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis. 4. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderunt illi: 5. Iuxta numerum prouinciarum Philistinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israël gloriam: si fortè releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra. 6. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharaon cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt? 7. Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plastro, & recludite vitulos earum domi. 8. Tolletisque Arcam Domini, & ponetis in plastro, & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius: & dimittite eam vt vadat. 9. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minimè, sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit. 10. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluderunt domi. 11. Et posuerunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum. 12. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed & satrapæ Philistiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames. 13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle; & eleuantes oculos suos, viderunt Arcam, & gauisi sunt cum vidissent. 14. Et plaustrum venit in agrum Iosué Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plastrum, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. 15. Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, & capsellam quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino. 16. Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa. 17. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philistiim pro delicto, Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum. 18. Et mures aureos secundum numerum vrbium Philistiim, quinque prouinciarum, ab vrbe murata vsque ad villam quæ erat absque muro, & vsque ad Abelmagnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque in illum diem in agro Iosué Bethsamitis. 19. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. 20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis. 21. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philistiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 1. 2. & 3.

Vulg. Fuit ergo Arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus.

Sep. Rom. Fuit in agro alienigenarum, &c. & efferbuit terra eorum mures.

Vulg. Et vocauerunt Philistiim sacerdotes & diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt.

Pag. Indicate nobis, in quo dimittamus eam.

Malu. Cognoscere facite in quo mittemus eam.

Sept. Vocauerunt sacerdotes, & vates, & incantatores suos.

Reg. Sacerdotes & Prophetas.

Cald. Sacrificulos.

Syr. Ac tyrannos.

Arab. Principes.

Ioseph. Fuit Arca, &c. 4. menses.

Vulg. Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuum, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis.

Pag. Restituendo restituetis hostiam pro delicto.

Mont. Restituendo culpatorium. *Caiet.* Asam.

Tigur. Reddetis sacrificium expiatorium.

Malu. Non mittetis eam vacuitatem, quia reuertere faceret, reuertere facietis ei piaculum.

Sept. Rom. Reddentes reddite ei pro cruciatu, & depro-
pitiabitur vobis.
Reg. Reddite pro delicto dona, & placabitur vobis.
Cald. Reddetis ante ipsam oblationem expiationis eius,
&c. refrigerium erit vobis, ad quid non quiescet per-
cussio eius à vobis?

Syr. Afferre illi munera.
Arab. Offerre ei munusculum, & oblationes, vt curemini
à doloribus vestris, & sciatis cuius rei causa id vobis ac-
ciderit, vt fortè abscedat à vobis furor, & punitio Do-
mini.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sep^{tem mensibus}. Ioseph, *Quattuor*, sed perperam, & sine fundamento. Sep. præter sacerdotes addunt *vates*,
& *incantatores*, sed nomine vatum, & incantatorum, seu diuinorum intelligendi ij, qui res futuras diuinate
simulabant, neque enim prædiuinare poterant, quia à diuinitate longissimè recedebant. *Sed quod debetis reddi-*
te ei pro peccato, Alij, *Restituetis culpatorium, asam, &c.* In Hebr. est *אָסָם* *asam*, id est peccatum, seu culpato-
rium, & significat oblationem aliquam pro peccato, vt rectè expressit Vulg. *Sept. Reddite ei pro cruciatu*. Peccatum
vocant cruciatum ab effectu. *Quare non recedat manus eius à vobis*. Sed addunt, *Depropitiabitur Deus, placabitur*.
Cald. Refrigerium erit vobis, hoc est omnis plaga protinus auferetur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Ψ. 1.* **F**it ergo. Hic consequenter agitur de arcæ reductio-
ne. Circa quod primo de modo reducendi consilium
quæritur: secundò iuxta formam dati consilij reducitur,
ibi: *Fecerunt ergo*. Tertio à Bethsamitis indiscretè fuscipi-
tur, ibi: *Porro Bethsamita*. Quarto propter hoc populus
percutitur, ibi: *Percussit autem*. Circa primum dicitur.

LYRAN. *Ψ. 2.* **E**t vocauerunt Philistiim. Idolorum suorum.
Et diuinos. Qui per pacta cum dæmonibus inita tacitè,
vel expressè dicunt hominibus aliqua incognita. Dæmo-
nes enim eo quod in eis remanserunt naturalia integra ex
intellectus perspicacitate, & experientia longi temporis,
multa sciunt hominibus incognita, & de talibus prædi-
cti diuini ab eis instruuntur. Aliquando etiam dæmones
ad dicendum diuinis, vel etiam aliis aliqua vera à Deo
coguntur, sicut patet in legendis multorum sanctorum,
quod dæmones coacti eorum sanctitatem confitebantur.
Et sic videtur fuisse in proposito, quia consilium ab eis
datum cedebat ad gloriam Dei Israël, & honorem, ideo
subditur.

MENO C. **V**ocauerunt Philistiim sacerdotes. Quia ad scientiam
sacerdotalem, seu auguralem quæstionem hanc pertine-
re arbitrabantur, in qua de re sacra ambigebatur.

A *Si remittitis Arcam, &c. nolite dimittere eam.* Id est, **LYRAN,**
absque muneribus gloriam, & virtutem Dei Israël signifi- **Ψ. 3.**
cantibus: ideo subditur.

Sed quod debetis. Id est, emendam pro peccato.

Et tunc curabimini, &c. A plagis vobis infliatis.

Et sciatis. Per experientiam. *Quare non recedat*. Vos
percutiens quamdiu retinetis eam, quæ autem sit emenda,
subditur.

Nolite dimittere eam vacuam. Muneribus eam profe- **MENO C.**
quimini, hic enim omnium gentium sensus est vt Deum
existiment oblationibus honorari. Ipsi etiam Hebræis
præceptum fuerat. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*.
Exod. 23. 15.

Reddite ei pro peccato: Heb. *reddite ei peccatum*. Sa-
crificium scilicet, aut munus pro peccato: Peccatum au-
tem intercessisse facile sacerdotes coniciunt ex accepta
plaga, & agrorum vastitate, quam passi fuerant.

Et sciatis quare non recedat manus eius à vobis. Sep-
tem iam mensibus affligebantur grauissimis malis Philis-
thæi, & tamen quo erant mentis stupore, non planè in-
telligebant quis plagarum auctor, & quænam illarum
causa.

VARIETAS LECTIO NVM. à Vers. 4. ad 6.

Vulg. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto red-
dere debeamus ei? Responderuntque illi.

Pag. Quæ est hostia pro delicto, quam restitimus ei?

Caiet. Quod est Asam?

Tigur. Quod est sacrificium expiatorium?

Sept. Quid est quod pro cruciatu reddemus ei?

Cald. Quæ oblatio expiationis eius, quam reddemus ante
eam?

Syr. Qualia munera afferemus ei?

Arab. Quid consilio vestro dabimus?

Vulg. Iuxta numerum prouinciarum Philistinorum, quin-
que anos aureos facietis, & quinque mures aureos:
quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris.
Facietisque similitudines anorum vestrorum, & simili-
tudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis
Deo Israël gloriam: si fortè releuet manum suam à vo-
bis, & à diis vestris, & à terra vestra.

Pag. Si fortè alleuietur manus eius à vobis.

Mont. Quinque mariscæ aureæ, facietis imagines marisca-
rum vestrarum, & imagines murium corruptentium.

Vatab. Alleuiabit manum suam.

Tigur. Si fortè remittat manus eius.

Malu. Numerus satraparum Pelystim quinque extantiæ

ani auri, &c. quia consternatio vna: dabitis elohim
grauitatem.

Sept. Rom. Iuxta numerum satraparum quinque sedes au-
reas, quoniam delictum in vobis.

Reg. Quinque anos, &c. quoniam error in vobis.

Cald. Fortassè quiescet percussio eius à vobis, & ab erro-
ribus vestris.

Syr. Pro numero tyrannorum quinque podices, &c.

Cald. Fortè miserabitur vestri, & tollet à vobis iram
suam, auertetque miseriam à terra vestra.

Hugo Vict. Quinque agnos.

Ioseph. Annulos aureos.

Vulg. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit E-
gyptus, & Pharaon cor suum? Nonne postquam percus-
sus est, tunc dimisit eos, & abierunt?

Pag. Nonne quando operatus est in eos, tunc dimiserunt
eos?

Caiet. Irrisit in eis.

Malu. Annon secundum quod ludicrè egit in eis?

Sept. Rom. Nonne quando illudit in eis? *Ita Mont.*

Reg. Nonne quando illuserunt eis?

Cald. Annon sic vltus est ex eis?

Arab. Postquam parui penderunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quinque anos aureos. Victor. *Agnos*. Sed fortassè vitio Typographi, nisi fortè quis dicat Philistinos scientes im-
molari arietem pro peccato, similem hostiam pro peccato offerre voluisse. Ioseph. *Annulos aureos*. Hæc enim erat
anorum figura, vt annulos siue circulos aureos referrent. Cum autem sedes vertunt Sep. & alij mariscas, intelli-
ge eo modo quo in præcedenti versu.

Nonne postquam percussus est? Alij, Quando operatus est in eos, irrisit in eis? illuſit. Sep. Reg. & Compl. *Illuſerunt*, ſcilicet Angelicæ poteſtates, per quas hæc illuſio exercebatur, Sep. autem Rom. intelligunt Deum qui illuſit eos. Et licet alij dixerint operationem, ſeu percuffionem, non tamen eſt inter eos pugna, quia hæc operatio, ſeu percuffio, qua Ægyptum flagellauit Deus, tum alijs plagis, tum extrema nece primogenitorum, non immerito illuſio dicitur, tum vel quia more illudentis, non autem vires ſuas omnes exercentis cum Pharaone conſiſtebat, vel quia percuffio quæ in hac vita inferitur, comparatione illius, quam peccata hominum merentur, & quæ in futuro infligitur, quædam illuſio cenſenda eſt.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Q** *Vinque anos, &c.* Per hoc designabatur plaga facta in populo Philistinorum, quantum ad eorum corpora.
Et quinque mures. Ad designandum plagam inflictam terræ eorum, vt patet per prædicta.
Et dabitur gloriam. Per hoc enim confitebantur se percussos à Deo Israël, & terram eorum, eo quod præsumperant capere arcam Dei, & secum ducere ad terram suam. Ad hoc autem inducitur exemplum, cum dicitur.
- MENOC.** *Dabitur Deo Israël gloriam.* Agnoscentes ab eo morbos, & mortem immitti, & ab eo salutem expectantes. Vide dicta Iosué 7 19.
Et à diis vestris. Probabile enim est non Dagon tantum simulachrum, de quo dictum est capite superiore, sed alia etiam idola in alijs satrapijs constituta, Arcæ aduentu corruisse.
- TIRINVS.** *Si forte releuet manum suam à vobis, & à diis vestris.* Hinc conicere posse videtur, non solos homines à fœdis hæmorrhoidibus, excidentibusque intestinis vexatos, neque solos agros à muribus exesos; neque solum Dagon primarium Philistinorum numen terræ allisum, & contractum fuisse: sed insuper etiam alios Philistinorum deos promiscuè ad aduentum Arcæ ex loco suo deturbatos, in humum deiectos, mutilatos, contritos fuisse. Sicut & olim, cum tot plagis flagellaret Deus Ægyptum, non in homines solos, sed & in deos eorum, seu in idola sæuuit. Nam vt patet Num. 33. v. 4. etiam in diis eorum exercuit ultionem. Quo sensu Exodi 12. v. 12. etiam dicitur. *In*
- A** *cunctis diis Ægypti faciam iudicia.* Et Christo ingrediente Ægyptum, corruisse dicuntur omnia idolorum simulacra, vt Isaias prædixerat cap. 19. Porro quod hic dicitur *mures demolitos fuisse terram*, nulli supra fidem videbitur, qui apud Plinium legerit pluribus alijs gentibus idem ex simili *murium* incussione contigisse, & ex Gyaro Cycladum insula incolas à *muribus* esse fugatos: & à *talpis* (quod magis mirandum) urbem integram in Thessalia suffossam fuisse.
- Quare aggranatis.* Arcam retinendo.
Sicut aggranauit Ægyptus, &c. Detinendo populum Israël.
Nonne postquam percussus est. Decem plagis.
Tunc dimisit. Vt habetur Exod. 12. sequitur.
- B** *Quare aggranatis corda vestra, sicut aggranauit Ægyptus, &c.* Nota gloriam Dei Israël, & mirabilia eius, quæ fecerat in Ægypto, non fuisse incognita genti Philistinorum. Quod & similiter existimandum est de alijs gentibus circumquaque vicinis. Sic enim futurum ipse Dominus prædixerat Exodi 9. verbis ab Apostolo repetitis Rom. 9. inquit per Moysen ad Pharaonem: *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Ergo & in vicina Græcia, etsi tunc nondum sint apud eos res litteris consignatæ, nisi obiter aliquid de Moysè, & valde confusè.
Sicut aggranauit Ægyptus. Nota erat Palæstinis historia, siue ex maiorum traditione; siue ex narratione Hebræorum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 11.

V *Ulg.* Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.

Pag. Duas vaccas lactantes, &c. & ligate eas, & recludite filios earum, qui sunt post eas ad domum.

Malu. Accipite duas iuencas ascendentes, super quas non ascendit iugum.

Sept. Rom. Duas vaccas primo enixas sine filiis.

Cald. Duas boues quæ non ductæ sunt iugo.

Arab. Quæ operam nondum exercuerunt.

Vulg. Tollerisque Arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exsoluistis ei pro delicto, ponetis in capsella ad latus eius: & dimittite eam vt vadat.

Pag. Quæ reddidistis ei culpatorium.

Vatab. Pro expiatione peccati.

Tigur. Sacrificium expiatorium.

Malu. Quæ reuertere fecistis, & piaculum ponetis in cedrata.

Sept. Rom. Ponetis ei pro cruciatu, & ponetis in capsula Bethseichthon à parte eius, & expelletis eam.

Reg. Ex latere partis eius.

Cald. Quæ reddetis eam in oblationem expiationis eius.

Syr. Quæ attulistis, & munera ponite in sporta.

Arab. Ponite in pera.

Aquil. In texto conca.

Sym. In scrinio.

Procop. In vrna.

Ioseph. In loculo, seu marsupio.

Alij. In cophino textili.

Vulg. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascendit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minimè, sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.

Pagn. Si viam confinij sui ascendit.

Vatab. Si viâ termini sui ascendat.

Malu. Incurſus ipse fuit vobis.

Cald. Casus ipse qui fuit vobis.

Arab. Casus fortuitus accidit vobis.

Vulg. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluderunt domi.

Malu. Iuencas ascendentes, & coercuerunt.

Alij vt superius.

Vulg. Et posuerunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum.

Pag. Imagines anorum suorum.

Tigur. Cum imaginibus colonum suorum.

Malu. Et cedratam & mures auri, & imagines angustorum meatuum suorum.

Sept. Rom. Et capsulam vrgab.

Cald. Et figuras mariscarum eius.

Arab. Simulachra sedium suarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

E *T* *duas vaccas fœtas*, Alij, *Lactantes, primo enixas.* Vocabulum fœtæ ambiguum est ad grauidas, quæ nondum pepererunt, & ad enixas quæ iam pepererunt, sed hoc loco iam enixas significat, vt patet ex verbis sequentibus. *Recludite vitulos earum domi, quæ exsoluistis ei pro delicto.* Alij, *Culpatorium.* Vide dicta superius. *Ponetis in capsella,* Alij, *In cedrata.* Sep. Rom. *In capsula Bethseichthon.* Solum Heb. est בארגז *berargas*, in capsula: ba enim est præpositio in, at vero argaz est capsula præsertim textilis à verbo ארג *arag*, id est texere, vnde aliqui vertunt. *In cophino textili.* Sep.

autem verterunt in *βέμων*, quamuis rhema potius locum aliquem quam vasis genus significare videatur, nisi tropicè intelligantur, locum pro re locata accipientes. *Similitudines anorum*; Alij, *Mariscarum*. Vide dicta superius. Alij, *Colo-num*. Plurale est à Colon quod intestinum crassius rectum significat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **F**acite *plaustrum*. Ad ponendum arcam desuper reuenter.

Et *duas*. Habentes iam fœtus natos, vt patet per sequentia.

Quibus non est. Et sic non habent vsum ducendi curum.

Iungite in plastro. Ad retrahendum ipsum.

Et *recludite*. Omnia ista fiebant ad experiendum virtutem Dei Israël in reductione arcæ. Vaccæ enim lactantes vitulos, naturaliter inclinantur ad eos nutriendum, & ideo si ipsæ non reuenterentur ad fœtus, & portarent arcam directè ad terram Israël, & maximè quia erant inconuetæ ad portandum iugum vel plaustrum trahendum, signum foret manifestum, quod ducerentur occulta Dei virtute: & ex hoc essent Philistæi certificati quod plaga eorum fuisset à Deo inflictæ, sin autem, alteri causæ imputarentur. Et ex his dictis patet litera.

ESTIVS. *Nunc ergo arripite & facite plaustrum nouum, & duas vaccas fœtas*. Hoc consilium, etsi ab idolorum sacerdotibus ac diuinis datum, tamen instinctu Dei datum videtur, qui hoc modo voluit gloriam suam in reducenda Arca manifestari. Nam & dæmones suis ariohs aliquando hoc suggerunt, non quod ipsis gratum est, sed quod permittuntur, vel iubentur à Deo. Qualia verisimilè est fuisse quædam oracula gentilium, sicut etiam per homines malos, vt per Caipham, occultam veritatem Deus propalare voluit. Vide Chryostomum homilia tertia ad Titum.

Plaustrum nouum. Indignum enim iudicabant Arcam plastro imponere, quod rusticis vsibus deseruiisset. Idem fecit Dauid qui plastro item nouo Arcam imposuit cum illam ex Cariathiarim transtulit in domum Obededom 2. Reg. 6. v. 3.

A *Et duas vaccas fœtas, &c.* Hæc omnia eò spectant vt explorent an ab offenso Deo plagam ipsi, & agri vastitatem acceperint. Vaccæ fœtæ dicuntur, quæ iam vitulos enixæ sunt.

Vasa aurea. Anos & mures aureos. Vas enim apud Hebraeos latissimam habet significationem. MENO C. V. 8.

Et *siquidem, &c.* Vtitatum fuit antiquis illis sæculis vt homines certum inter se signum constituerent, vt ex eo cognoscerent quid facto opus esset. Iuxta illud nonnunquam aperuit Deus quid fieri vellet, vt locum hîc habeat illud Prou. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in signum, sed à Domino temperantur.* MENO C. V. 9.

Fecerunt ergo. Hic consequenter secundum formam LYRAN. dicti consilij arca reducit. Et patet litera ex dictis vsque ibi. V. 10.

B *Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam* ESTIVS.

quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum. Nec ideo existimandum est hanc suggestionem non fuisse à Deo, quod videatur inhonestum, anos, id est, pudendam corporis partem, auro effigiari, & pro munere mitti, Deoque Israël offerri. Nam hoc ipsum ad gloriam Dei Israël spectabat, quod hostes populi eius arcam Dei captiuam apud se tenentes, fœdo morbo in secretiori parte nationum percussi sint, nec prius inde liberati, quam ipsam Arcam remitterent cum muneribus, quibus illam suam percussione, morbi que fœditatem confiterentur, receptamque eius plagæ sanitatem, illi cui munera mittebant, acceptam ferrent, & tanquam perpetua rei gestæ futura monumenta in templo Dei Israël statuerent. Quod quidem cessit in gloriam Dei, & in Philistinorum sempiternum dedecus & opprobrium. Sicut & Psalmista canit: *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*, Psal. 77.

VARIETAS LECTIONVM. *¶ Vers. 12. 13. 14.*

V *Vulg.* Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram: sed & satrapæ Philisthiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames.

Arias. Direxerunt se vaccæ in via super viam Bethsames in via elata vnâ iuerunt eundo & mugiendo.

Malu. Et rectæ fuerunt iuencæ, &c. in strata via vna ambulauerunt ambulare, & mugire,

Sept. Rom. In semita vna ibant & laborabant.

Cald. Verterunt se boues in via.

Vulg. Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos suos, viderunt Arcam, & gauisi sunt cum vidissent.

Malu. Decurtantes decurtationem triticorum, &c. & lætati fuerunt ad videre.

Sept. Rom. Metebant messem frumentorum.

Reg. Gauisi sunt in obuiationem eius.

Cald. In planitie.

Vulg. Et plaustrum venit in agrum Iosué Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustrum, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.

Mont. Vaccas immolauerunt.

Tigur. Obrulerunt.

Malu. Disciderunt ligna & iuencas ascendere fecerunt ascensionem.

Sept. Intrauit in agrum Osée qui in Bethsamis, & statuerunt ibi apud eam lapidem magnum, & vaccas attulerunt in holocaustum Domino. *Reg. vt Vulg.*

Cald. Ad agrum de Beth semes.

Arab. Qui erat in Bethsames, findentes ligna vtramque vaccam iugulantes, obtulerunt eas sacrificium Domino.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

I *Bant in directum vaccæ*. Plus aliquid alij expriment vertentes: *Direxerunt se vaccæ, verterunt se*, nam sensus eorum videtur esse quod Philistini collocauerunt vaccas auersas à Iudæa, & conuersas in Palæstinam, vt facilius in hanc quam in illam partem egrederentur: Et nihilominus illæ se à Palæstina in Iudæam conuerterunt, vt in hanc potius abirent, quod sine aliquo ductu diuino fieri non posset.

Venit in agrum Iosué; Alij, *Osée*, fortè quia erat binominis, sicut ille Moysis successor prius Osée, postea Iosué dictus est. *Erat autem ibi lapis*. *Sept. Rom. Et statuerunt ibi apud eum lapidem*, significantes lapidem tum primum erectum in facti testimonium ac monumentum: nihilominus cætera Exempl. & *Vulg.* cui præcipuè adhærendum, significans hunc lapidem iam ibi præexistisse, quamuis vt *Vulg.* cum *Sept.* conciliemus, præexistens ibi lapis potuit de nouo ad arcæ receptionem erigi & præparari.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T itinere uno gradiebantur. Vniiformiter.
 v. 12. *Et mugientes. Quasi Deum modo suo laudantes.
 Sed & satrapa Philistinorum sequebantur. Ad habendum
 experientiam prædictam.*

LYRAN. *Porro. Hic consequenter agitur de arcæ receptione, &
 primò describitur ipsa receptio, secundo interponitur cu-
 iusdam dicti explicatio, ibi: Hi sunt autem. Circa primum
 dicitur.*

*Elevantes. Dicunt Hebræi quod ista lætitia fuit inepta,
 procedens ex leuitate capitis, & non ex debita reueren-
 tia.*

MENOC. *Metebant triticum in valle. Quia messis illis in regio-*

A nibus fiebant circa Pentecostis festum mense Maio, in eo
 enim festo primæ anni illius fruges offerebantur, Leuitici
 vigesimo tertio, vers. 16. Cum arca fuerit in Philistæorum
 regione menses septem, oportet illam captam mense No-
 uembri.

*Et conciderunt. Scilicet postquam arca fuerat deposita
 per Leuitas, licet ante scribatur.*

*Vaccasque. In hoc videntur malè egisse, quia femella
 non offertur Domino in holocaustum, quod erat sacri-
 ficium perfectissimum, vt habetur Leuit. cap. i. Cætera
 patent.*

Lapis magnus. Qui altaris vicem impleuit.

VARIETAS LECTIIONVM. à Vers. 15. ad 18.

Vulg. Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, &
 capsellam quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa
 aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri au-
 tem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolau-
 erunt victimas in die illa Domino.

Mont. Et ascendere fecerunt ascensiones.

Sept. Attulerunt holocaustos.

Cald. Mactauerunt mactationem sanctitatum.

Arab. Obtulerunt munera.

*Vulg. Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, & re-
 uersi sunt in Accaron in die illa.*

Sept. Rom. Reuerterunt in Ascalonem.

*Vulg. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philis-
 tium pro delicto, Domino: Azotus vnum, Gaza vnum,
 Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum.*

Pag. Propter delictum.

Mont. Culpatorium.

*Sept. Hæ sunt sedes aureæ quas reddiderunt alienigenæ
 pro cruciatu.*

Alij. vt superius.

*Vulg. Et mures aureos secundum numerum vrbium Philis-
 tium, quinque prouinciarum, ab vrbe murata vsque
 ad villam quæ erat absque muro, & vsque ad Abelma-
 gnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ
 erat vsque in illum diem in agro Iosue Bethsamitis.*

*Malu. Et mures aurei numerus omnium vrbium Philis-
 tim, &c. de vrbe munitiois vsque ad villam perru-
 ptionis.*

*Sept. Rom. A ciuitate confirmata & vsque ad pagum Phe-
 rezæi.*

Reg. Ab vrbe murata.

Cald. Ab vrbibus munitis vsque ad vrbes apertas.

*Arab. Iuxta numerum quinque principum præcipuarum
 vrbium suarum vsque ad planiciem Pherezeorum.*

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Reuerfi sunt in Accaron. Sept. Rom. In Ascalonem, quòd etiam verum est, si distributiue sumatur, nam sin-
 guli ad singulas prouincias, quibus præerant, redierunt, quamuis forte in Accaronem omnes simul intrarint,
 quod ea vrbs prima se regredientibus offerret. *Ab vrbe murata vsque ad villam quæ erat absque muro. Sept.
 A ciuitate confirmata, vsque ad pagum Pherezæi, sed eodem sensu, retinuerunt enim vocabulum Hebræum, quod est in
 fonte הַבְּרָזִי hapherazi, id est, vsque ad villam sine muro: nam פָּרָז pharaz, est vicus sine muro, vt Esther 9. v. 19. Ezech. 38
 v. 11. vbi pro oppidis non muratis ponitur פְּרָזוֹת pherazot, quod est plurale nominis pharaz.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **L**euite deposuerunt Arcam. Facile fuit aduocare Leui-
 tas, nam Bethsames ipsa vna erat ex ciuitatibus sacer-
 dotalibus, vt patet Iosué 21. v. 16.

MENOC. *Obtulerunt holocausta. Putat Abulensis quæstione de-
 cima nona, Bethsamitas peccasse horum sacrificiorum
 oblatione. Rationes tres afferri possunt. I. quòd vaccas
 sacrificauerint, cum tamen victimæ è masculis tantum
 offerri deberent. II. quòd ipsi non sacerdotes obtulerint.
 III. quòd eo loco fas non esset offerre, sed tantum in Silo
 vbi tabernaculum. Possunt tamen non difficilè argumenta
 hæc dilui, si dicamus ad primum: tunc masculas victimas
 exigi cum aliud aut necessitas, aut res adiuncta non sua-
 dent. Hæ autem vaccæ diuinitus actæ necessitatis, illo ar-
 ticulo ad sacrificium aptæ visæ sunt. Ad secundum dici-
 mus sacerdotes ex Bethsames vrbe sacerdotali adfuisse. Ad
 tertium non semel ibi sacrificatum vbi tabernaculum non
 erat, cuius rei exempla attulimus alibi. Adde ibi fuisse Ar-
 cam, cuius causa sacrificia fiebant coram tabernaculo. Nec
 huius sacrificij causa aut reprehensos Bethsamitas, aut
 plexos habemus ex scriptura.*

LYRAN. *Hi sunt. Quia superius dixerat, quod quinque prouin-
 ciæ Philistinorum fecerant quinque anos aureos, & quin-
 que mures: hic explicat quod quinque ciuitates princi-
 pales hoc fecerunt, tamen aliæ villæ minores adiacentes
 adiuerunt in expensis, ideo subditur postea: Ab vrbe
 murata vsque ad villam, &c.*

B *Et vsque. Quia terra Philistinorum extendebatur vs-
 que propè locum illum, & vocatur hic Abel magnus, qui
 supra vocatus est lapis magnus, quod patet ex hoc quod
 subditur*

*Super. Ratio autem mutationis huius nominis fuit, quia
 populus ibi percussus fuit & luxit, vt dicitur, & ideo voca-
 tus est Abel quod luctus interpretatur. Item quia nomina
 sunt propinqua. Aben enim in Hebræo lapidem signifi-
 cat, & n, mutata in l, fit Abel, vt patet.*

*Secundum numerum vrbium. Quinque tantum aurei
 mures oblatis sunt, id enim fecerunt Philistæi, quod eo-
 rum sacerdotes, & diuini præceperant: hi autem quinque
 fieri iusserant, vt habemus Num. 5.*

*Ab vrbe murata vsque ad villam, &c. Significatur tam
 muratas vrbes, quam villas aliquid contulisse vt mures
 aurei fierent.*

C *Vsque ad Abel magnum. Lapis ille dictus videtur Abel,
 quia אָבֵל Abel luctum, tristitiam, planctumque signifi-
 cat, quia ergo ibi magnus luctus excitatus est propter
 Bethsamitarum stragem, ideo loco אָבֵל Abel nomen fa-
 ctum est. Sic Genes. 50. v. 11. locum vbi Egyptij Iacob
 sepulturam funebri planctu prosequuti sunt אָבֵל Abel ap-
 pellarunt. Idcirco vocatum est nomen loci illius planctus
 Egypti.*

*Quæ erat. Pro, Qui lapis erat. וְהָיָה, licet sit fœmini-
 ni generis, refert lapidem, quia vox אָבֵל Abel gene-*

ris est sceminini.

Vsq̄ in illum diem. Putat diuus Hieronymus ex Hebræorum traditione, super lapidem hunc Abraham sacrificasse, ideoque notatum esse à sacri textus auctore, lapidem illum post tot sæcula adhuc extitisse.

TIRINVS. *Secundum numerum urbium Philistiim.* Puta quinque urbium iam ante nominatarum, quinque prouinciarum.] Id est, quæ vrbes præerant quinque prouinciis, seu satrapis Philistinorum. Porro aurum vnde mures hi conflati sunt, cortogatum fuerat *ab urbe murata vsque ad villam*, id est ex omnibus totius Palestinæ ciuitatibus ac vicis, siue vallati essent mœnibus, siue à muris nudi, & aperti. Cùm enim nullus locus à murium strage fuisset immunis, nullus etiam à sacro donario ad communem pestem delendam secludi aut volebat, aut debebat. Sicut olim cùm in deserto Hebræi conflarent aureum vitulum, ex omnium promiscuè mulierum inauribus eum conflare voluerunt, Exod. cap. 32. v. 2.

Vsq̄ ad Abel magnum.] Abel *luctum* significat. A subsecuto enim Bethsamitarum luctu, ob ingentem cæсорum stragem versu sequenti, sic vocatur hîc lapis iste in agro vrbis sacerdotalis *Bethsames*, in quo primùm ex plauistro deposita est Arca, & in quo super ligna plauistri combustæ sunt vacca. Erat autem hîc lapis non mobilis, aut è latumiis erutus, sed viuus, & terræ è qua exierat, adhuc infixus, vel rupi (cuius pars erat) affixus. Hunc lapidem tradunt, teste sancto Hieronimo, Hebræi, fuisse aram in qua sacrificarat olim Abraham. Vnde Bethsamitæ sacerdotes iure putarant, sibi quoque licere in eadem iam sacrificare, ob antiquam loci sanctitatem, & recens mi-

A raculum, quo vacca nullo nisi Deo ductore ad eum locum Arcam detulissent. Et verisimile est, licuisse sacerdotibus coram Arca, quocumque illa loco esset, sacrificium offerre. Sed *vaccas* hîc offerunt, quod in holocausto non licuit. Respondeo. Non licuit in solemni & ordinario sacrificio, nisi loco & tempore à lege definitis. Sed hîc omnia fiebant extra & præter ordinem: & Deus hoc ipso quò vacca ductu suo eò adegerat, censebatur eas ad victimam sibi delegisse, & ad aram destinasse.

B Petes, quod ergo fuit Bethsamitarum peccatum, propter quod à Deo mox cæsi hîc dicuntur quinquaginta millia & septuaginta de plebe? Respondent Hebræi, eò quòd aperuerint arcam, & in eandem inspexerint, (sic enim habet textus Hebræus, & ita vertit Pagninus, & Tigurini.) & fortè explorandi causâ, an Philistæi, apud quos toto septimestri exularat, nihil ex Arca sustulissent, nihil indecens intulissent. Sed quia istud videndi studium plus curiosæ intemperantiæ, quàm pietatis habebat, neque debebat nisi à primis sacerdotibus adhiberi, propterea tam severo, tam multorum supplicio punitum meritò fuit.

Sed puto, inspectionem Arcæ non potuisse tam breui tempore in tam multos cadere: & tanto supplicio dignos etiam fuisse quotquot Arcam, quæ à Philistæis cooperta suis velis vt capta, ita iam remissa fuerat, denudarunt, & denudatam curiosius aspexerunt. Nam sub pœna mortis id vetitum erat etiam Leuit. cap. 4. & alibi. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Abulensis, Caietanus, Serarius & Sanctius.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad vltimum.

Vulg. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luitque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.

Malu. Percussit in populo percussione magnam.

Sept. Rom. Et non sunt delectati filij Ieconia, in viris Bethsamiis.

Reg. vt in Vulg. Ios. solum habet 70. viros.

Cald. Et occidit in viris, &c. super quod gauisi sunt, &c. quando apparuit & occidit in senibus populi 70. viros, & in vniuersitate quinquaginta mille viros, &c. quia percussit percussione magnam.

Syr. Eo quòd extimuerint arcam Domini, percussit in populo quinque millia, & 70. viros.

Arab. Eo quòd paruipendissent arcam, & timuerint introducere eam in domos suas & contristatus est popu-

lus propter cladem quâ affecti sunt à Domino, & quòd tanta calamitas sibi accidisset.

Vulg. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis.

Syr. Quis poterit transire coram Domino Deo? &c.

Reg. Stare.

Cald. Ad quem locum transferetur à nobis?

Arab. Quis potest perficere ministerium Domini? &c. sanctissimi, & quis abducat arcam à nobis.

Vulg. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philistiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

Pag. Facite ascendere eam ad vos

Vatab. Abducite.

Malu. Descendere facite eam.

Arab. Restituerunt arcam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Percussit de viris Bethsamitibus. Sept. Six. præmittunt. *Et non sunt delectati filij Ieconia in viris Bethsamiis, &c.* quæ verba in nullis aliis exemplaribus reperiuntur, nec sunt qui horum verborum meminerint præter vnum Theodoretum, & qui eum perpetuò sequitur, Procopium. Consule Theodor. qui sit ille Ieconias: *Percussit de populo 70. viros & quinquaginta millia plebis.* Cald. *Occidit in senibus populi 70. viros & in vniuersitate quinquaginta.* Aliqui volunt sensum nostri Interpretis non esse quòd percussit Dominus 70. viros, & adhuc 50000. virorum, sed quòd percussit 70. viros in populo, qui continebat 50000. virorum, quod probant ex paraphrastej Cald. dicente fuisse percussos 70. in vniuersitate, quasi dicat: in populo 50000. continente. Confirmant ex Iosepho solum 70. viros Bethsamitas occisos fuisse. Nec iuuat explicatio quam Caldæo adhibent: vult enim solum numerum minorem occisorum fuisse de populo: maiorem autem de vniuersitate, aliàs debuisset dicere occisos 70. viros ex vniuersitate 50000. virorum. Ad Iosephum, quamuis in aliquibus editionibus eius solum habeatur, quod 70. viri interempti fuerint, sed in Glossa ordinaria, apud quam citatur, habetur etiam numerus 50000. virorum similiter. Et licet aliter haberet in versione Ruffini an præualeret 70. Interpr. ipso antiquioribus? Theodor. quidem in aliquibus latinis editionibus antiquis habet occisos solum 40000. sed in recenti nobis donatâ curâ & operâ eruditissimi P. Sirmondi, vtrumque numerum occisorum, tum in Græco tum in Latino exemplari continet, verum est Syr. & Arab. præter numerum 70. virorum de populo, solum annumerare ex plebe occisos 5000. virorum.

Quis poterit stare in conspectu? Alij, *Quis poterit transire?* & quamuis hoc verbum oppositam habeat significationem, tamen ex vtraque perfecta seruitus intelligitur, quæ ad nutum Domini nunc stando, nunc transeundo completur, & est sensus, quis poterit seruire, seu ministrare (vt habet Arab.) satis dignè in conspectu Domini?

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 19.

Percussit. Hic consequenter describitur populi percussio: cuius percussione duæ causæ prius sunt tactæ, scilicet inepta lætitia, & holocaustum indebitè oblatum. Tertia tangitur hîc scilicet curiositas, qua moti fuerunt ad videndum arcam nudam: quod sub pœna mortis inhibebatur, vt habetur Num. 4. Quarta etiam causa ex circumstantiâ literæ datur intelligi, scilicet quod arcam Domini dimiserunt nimis sub dio sine luminaribus & cultu debito, ideo sequitur.

Et percussit. Quod sic debet intelligi etiam secundum Hebræos quod solum 70. viri sunt percussi qui erant tantæ reputationis quod æquiparabantur quinquaginta millibus de plebeis, eo modo loquendi quo dicitur 2. Reg. 18. de Dauid: Tu vnus pro decem millibus computatis, principales enim populi percussi fuerunt, eò quòd debebant ordinare populum & præcauere de prædictis offensis.

ESTIUS.

Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini, &c. Docemur hîc quam graue ergo sit peccatum, manibus & ore indignè tractare sacra mysteria, si tam grauiter puniti sunt Bethsamitæ, qui Arcam Dei nostrorum mysteriorum tantum figuram, tantummodo curiosè aspexerunt, contrectasse autem non leguntur. Quod vero dicitur, *Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis,* in Hebræo etiam posteriori loco est, *quinquaginta millia virorum.* Itaque cum non sit verisimile in vno oppido non admodum cele-

abri, fuisse tantam virorum multitudinem. Hieronymus & alij eum sequuti, sic istud exponunt, id est, percussit de populo septuaginta viros præcipuos, quorum merito & gloriæ vix quinquaginta millia plebis, seu vulgarium virorum compararentur. Sicut Dauidi dicitur 2. Reg. 18. *Tu vnus pro decem millibus computaris.*

Eo quod vidissent Arcam. Quam, scilicet, velis detra-
ctis, quibus obuolutam à Philistæis acceperant, viderunt, quod à Domino vetitum fuerat Num. 4. v. 15. 19. & 20. Imò Emanuel Sa, & Mariana ipsam Arcam inspexisse putant, nam Hebræa habent: *Eò quod aspexerant in Arcam Domini,* vel vt Pagninus vertit: *quia aspexerant que erant in Arca Domini.* Id verò ab illis factum, vel ex curiositate vt tabulas legis viderent; vel studio cognoscendum Philistæi aliquid in Arcam posuissent, sicut ad eius latus aurea illa munera collocauerant; vel an aliquid sustulissent.

De populo septuaginta viros, &c. textus Hebraicus sic habet: *& percussit de populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum,* & sensus videtur esse; ex quinquaginta millibus, qui aderant, septuaginta cecidisse, quam explanationem sequitur Iosephus libro 3. cap. 11. Lyranus, & alij. Itaque cum dicitur, *& quinquaginta millia plebis,* sup-
plendum *aderant,* aut ad hunc sensum aliqua alia ratione vulgata nostra versio explicanda est, communior tamen, magisque recepta sententia est, septuaginta supra quinquaginta millia percussos interisse.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS.

Deducitur arca in domum Abinadab in Gabaa. Et Samuelis hortatu Israëlita totis animis addicunt se cultui diuino: vnde præclaram de Philistæis victoriam referunt, orante pro ipsis Samuele.

1.



Enerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini. 2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israël post Dominum. 3. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philistiim. 4. Abstulerunt ergo filij Israel Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli. 5. Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israel in Masphath, vt orem pro vobis Dominum. 6. Et conuenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Israel in Masphath. 7. Et audierunt Philistiim quòd congregati essent filij Israel in Masphath, & ascenderunt satrapæ Philistinorum in Israel. Quod cum audissent filij Israel, timuerunt à facie Philistinorum. 8. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum. 9. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudiuit eum Dominus. 10. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel. 11. Egressique viri de Masphath, persecuti sunt Philistæos, & percusserunt eos, vsque ad locum qui erat subter Bethchar. 12. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. 13. Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt vltra vt venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philistæos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philistiim ab Israel, Israeli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: liberauitque Israel de manu Philistinorum, eratque pax inter Israël & Amorrhæum. 15. Iudicabat quoque Samuel Israelem

cunctis diebus vitæ suæ : 16. & ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Masphath , & iudicabat Israelem in supradictis locis. 17. Reuertebaturque in Ramatha : ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israelem : ædificauit etiam ibi altare Domino.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduserunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini.
Pag. Ascendere fecerunt arcam Domini.
Vatab. Filium eius consecrauerunt.
Main. Ad obseruare arcam.
Sept. Ad domum Aminadab quæ in colle.
Reg. Et filium eius sanctificauit.
Cald. Ad domum Aminadab qui in Gibghathâ, &c. præfecerunt ad custodiendum.
Syr. Qui consecrauit filium suum, & custodiuit.
Arab. Et is secreuit, &c. & consecrauit eum.
Vulg. Et factum est ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe iam an-

nus vigesimus) & requieuit omnis domus Israel post Dominum.
Pag. Multiplicati sunt dies & fuerunt 20. anni & luxerunt omnis domus Israel, & sequuti sunt Dominum.
Mont. Et lamentati sunt post Dominum.
Tigur. Lamentatione quadam domus anhela fuit.
Sept. Rom. Respexit Dominum.
Reg. Reuersa est post Dominum.
Cald. Et quieti fuerunt post cultum Domini.
Syr. Vt multi elapsi sunt dies, essentque anni circiter 20. & inclinassent omnes Israelitæ ad Dominum.
Arab. Receperunt se Israelitæ.
Pbilo. Et quieuit terra septem annis.
Abul. Et festinauit vel parauit se omnis domus, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Reduxerunt arcam; Alij, *Ascendere fecerunt*, hinc enim reducere non significat iteratam vecturam, nunquam enim antea in hanc urbem arca introducta fuerat: significat autem vecturam quandam laboriosam, & arduam, & accliuem: Vnde alij verterunt, *Et ascendere fecerunt*, nam Cariathiarim altior est quam Bethsames. *Filium eius sanctificauerunt*; Alij, *Consecrauerunt*, *prefecerunt*. Sanctificasse ergo & consecrassè nihil aliud est quam præfuisse eum huic custodiæ, quia eum elegerunt ad hoc munus obeundum, fortè autem ad illam præfecturam aliqua præparatio externa necessaria erat, vt aliquis corporis cultus nitidior, & aliquod ornamentum huic custodiæ conueniens: *Multiplicati sunt dies*; Alij, *Multi lapsi sunt dies*, postquam enim arca in vrbe Iarim collocata fuit, multiplicati sunt dies, id est, multi elapsi sunt anni, nempe 20. vel circiter 20. vt ait Syr. Vnde cum ait Philo Biblicus, *quieuit terra 7. annis* non audiendus est, si de vno tantum septennio annorum loquitur, sed si per illud septennium, quod est numerus perfectus, diurnam durationem intelligit, scilicet plurimorum annorum, non reiiciendus. *Et requieuit omnis domus Israel post Dominum*; Alij, *Luxerunt*; Alij, *Inclinauerunt*, *parauit*, *festinauit*. Inter ינחו יאנachu, à verbo נח nuach, quod est requiescere & ינחו ינחוו, à verbo נחח nachah, quod est lamentari, & ינחו ינחשו, à verbo נחש nachash, quod est festinare, non est magnum discrimen quoad characteres; vnde facile fuit vt alij aliter transferrent, sicut in edit. Græc. tam Reg. quam Rom. in similitudine verborum ἐπέσπευσε, respexit & ἐπέσπευσε, reuersa est: at in sensu non est pugna, sed maxima coherentia, nam qui ad Dominum respiciunt & per veram penitentiam conuertuntur, & ad meliorem frugem festinant, hi verè & propriè in Domino requiescunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**enerunt ergo. Descriptâ prostratione populi Israël propter filiorum Heli peccata, hinc consequenter describitur releuatio ipsius per Samuelem. Et 1. ponitur continuatio ad prædicta. 2. releuatio ista, ibi. *Et factum est qua die mansit ibi arca Domini*. In fine præcedentis capituli dictum fuit qualiter significatum fuit viris de Cariathiarim, quod arcam ad se ducerent: hinc consequenter ostenditur, qualiter hoc fecerunt, cum dicitur: *Venerunt ergo, &c. & reduserunt, &c.* ad ciuitatem suam.

Et intulerunt eam, &c. Hoc non fuit factum statim, sed per magnum tempus post, quia per aliquod tempus stetit in Carathiarim, & inde translata fuit in Masphath, & inde in Galgala. vt dicitur libro de Hebr. quæstionibus, & postea fuit translata in Nobe vbi erat tempore Saul, secundum quod habetur infra cap. 21. & inde translata est postea in Gabaa in domum Aminadab vt hinc dicitur: Et de loco illo Dauid transtulit eam in domum Obededom, & inde in ciuitatem Dauid, vt habetur 2. Reg. 6.

Eleazarum autem, &c. Sanctificauerunt, &c. Hebræi dicunt, *Preparauerunt*, seu *disposuerunt*: & idem redit, quia talis præparatio est quædam sanctificatio.

MENOC. *In domum Abinadab.* Qui erat e Leuitico genere, vt ait Iosephus, & opinione religionis, & iustitiæ celebrer.

In Gabaa. Gabaa Hebraicè collem significat, ideoque LXX. pro Gabaa habent βουνών, id est, *collem*. Sensus ergo est positam arcam in domo Abinadab in colle, intra tamen ciuitatem Cariathiarim, quod patet ex 1. Par. 13. v. 6. vbi legimus: *Ascendit Dauid, & omnis vir Israel ad collem Cariathiarim. &c. vt auferret inde arcam Domini de domo Abinadab.*

A Sanctificauerunt. Destinarunt, addixerunt, vel consecrauerunt. Cald. *prefecerunt*.

In Gabaa. Hebraicè, id est, *in colle*, seu loco sublimi, in ciuitate Cariathiarim. Patet ex 1. Par. 13. v. 6. vbi quæ hinc Gabaa dicitur, *Collis* appellatur.

Eleazarum filium. Abinadab iam decrepiti, *sanctificauerunt, vt custodiret arcam.* Cum enim Achitob seu Abiathar (erat enim binomius filius Phinees, nepotulus Heli) cui Pontificatus debebatur, esset admodum infantulus, elegerunt vnixeruntque hunc *Eleazarum*, qui vices illius tantisper suppleret. Erat enim & ipse Leuita, vt inquit Iosephus, & fortè ex nobilissimo Leuitarum trunco, ex Aaronis posteris sacerdos.

B *Et factum.* Hinc consequenter declaratur releuatio populi sub Samuele, quæ facta est propter conuersionem populi ad Deum, per sollicitudinem Samuelis: Circa quod primò describitur dicta conuersio. 2. Philistinorum debellatio, ibi; *Et audierunt.* 3. Populi pax, & bona ordinatio, ibi: *Facta est itaque.* Circa 1. quia littera est intricata, & indiget supplemento, sicut & in pluribus aliis locis sacre scripturæ, sciendum quod Heli mortuo Samuel statim incœpit discurrere, & docere populum, vt illum reduceret ad Deum, per debitam conuersionem ad cultum diuinum; quæ quidem conuersio incepit à tempore, quo populus iam viderat malum, quod euenerat propter peccata filiorum Heli, & audierat plagam Philistinorum propter arcam Domini, & durauit à tempore Samuelis, vsque ad regnum regis Saulis, scilicet 20. annis, vel circiter. Et hoc notatur cum dicitur, *Et factum.* Id est, translata fuit ibi de Bethsames, vt prædictum est, *multiplicati sunt*

In quibus Samuel hortabatur populum ad bonum. Erat quippe iam, postquam inceperat Samuel docere populum.

Et requieuit Scilicet 20 annis quibus præfuit Samuel, & subditur modus quo Samuel reduxit populum ad Deum à principio, cum dicitur.

ME NOC. *Multiplicati, &c.* Quasi dicat, multis diebus illic mansit, scilicet per viginti annos.

Requieuit. Hebr. *luxit*, id est. pœnitentiam egit. LXX. *reuerfa est.* Cald. *quieta fuit.*

Post Dominum. Sequendo Dominum.

A *Et requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Id est, nouo fœdere sociata est Domino. Cum enim variis hucusque animorum moribus agitarentur Iudæi, & quidam in hanc, quidam in alias regiones propenderent, tandem opera Samuelis, cuius apud omnes erat singularis auctoritas, quique totis viginti annis in id omnibus persuadendum incubuerat, effectum ut omnes vno animo, vno studio, vnum Deum cæli delegerint, in cuius obsequio & cultu gradum figerent stabilem & certum. Et hoc protestantur insigni hieroglyphico.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 3. & 4.*

V *Vulg.* Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferite deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philistiim.

Malu. Discedere facite Deos nothi, &c. & apparate cor vestrum, & seruate eum ad eum solum.

Sept. Rom. Circum auferite Deos, &c. & lucos.

Aquila. Lucos Astaroth.

Cald. Vos redeuntes ad cultum Domini, transire facite errorem gentium de inter vos Daghalaia & Gasthara-tha, & firmate cor vestrum in cultu Domini, & seruite ante eum in solitudine sua.

Syr. Auferite Deos & phana, &c. & firmum habete cor vestrum.

Arab. Amandate à vobis, &c. & idola fœminarum quæ clanculum colitis, &c. eumque solum adorate.

Vulg. Abstulerunt ergo filij Israël Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino.

Malu. Discedere fecerunt.

Sept. Rom. Circum abstulerunt, &c. lucos.

Cald. Et transire fecerunt Baghalaia & Gasthara-tha & seruierunt ante Dominum in solitudine sua.

Syr. Abstulerunt phana solumque Deum coluerunt.

Arab. Amouerunt à se idolum Baal, & simulachra fœminarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

B *Aalim & Astaroth;* Alij non nominant, *Baalim.* Verum quia Baalim Deos alienos denotat, & quia in Scriptura cum Astaroth coniungitur, ideo vtrumque simul complectitur *Vulg.* Baal autem ex aliquo additamento ad Deos vel Deas aliquas denotandas determinatur. *Et Astaroth.* *Sept. Lucos;* Alij, *Phana, &c.* quia cum hæc idola inter nemora & lucos colerentur, à loco rem locatam significarunt. Vel forte non legerunt in Hebræo עשתרות *ghastaroth*, sed אשרות *asseroth*, id est, lucos, sed sensus idem est, quia semper idola vel ex suo nomine vel ex suo loco indicantur. *Aquila* vtrumque coniungit, ut significet non solum idola auferenda, sed etiam nemora in quibus colebantur, eradicanda, ne si locus remaneret, idolatria repullularet. *Astaroth* autem quod est plurale, à singulari *Astarath*, quod generaliter quamlibet deam significat, vnde *Arab.* vertit: *Et idola fœminarum*: tamen ad certas ex certis circumstantiis limitatur *Præparate corda vestra*: Alij, *Firmate cor vestrum in cultu Domini.* Verbum *הכינו* *hachinu*, à radice *כון* *chon*, præparare & confirmare significat: sed idem sensus. *Seruite illi soli.* *Cald.* *Seruite illi soli in solitudine sua*, quasi domus Dei ita sit à consortio aliorum deorum aliena, ut vel ipsa solitudo videatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **MENOC.** **S** *I in toto corde.* Et patet litera vsque ibi. *Auferite Deos alienos.* Hæc causa propter quam requieuit domus Israël, quia scilicet adhortante Samuele, & populo monita faciente cultus idolorum sublatus,

B *Baalim & Astaroth.* Vide dicta Iudicum 2. num. 11. & 12. hisce nominibus idolorum, quæ in Syria & Palæstina erant frequentissima, Deos, Deasque omnes infidelium intelligit.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 5. ad 9.*

V *Vulg.* Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israël in Masphath, ut orem pro vobis Dominum.

Cald. Orabo super vos ante Dominum.

Vulg. Et conuenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Pecauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Israël in Masphath.

Malu. Errauimus Ihuh.

Sept. Rom. Hauriunt aquam & effundebant, & iudicabat Samuel.

Reg. Iudicauit.

Arab. Sane ieiunauimus, quia deliquimus.

Cald. Fuderunt cor suum in pœnitentia ante Dominum.

Vulg. Et audierunt Philistiim quod congregati essent filij Israël in Masphath, & ascenderunt satrapæ Philistinorum in Israël. Quod cum audissent filij Israël, timuerunt à facie Philistinorum.

Malu. Quod congregauerunt sese, &c. & timuerunt de faciebus Philistiim.

Cald. Ascenderunt tyranni, &c. super Israël.

Vulg. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut saluet nos de manu Philistinorum.

Pag. Ne fileas pro nobis clamando.

Sept. Rom. Ne cesses à nobis, ut non clames ad Dominum Deum tuum.

Cald. Ne taceas à nobis ab orando ante Dominum.

Vulg. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Israël, & audiuit eum Dominus.

Mont. Agnum lactis, & ascendere fecit eum ascensionem.

Malu. Et conclamauit Samuel ad Ihuh in vsque ad Israël, & respondit eum Ihuh.

Sept. Rom. Attulit eum holocaustosim cum vniuerso populo Domino.

Cald. Holocaustum completum.

Eccles. 46. nu. 17. Inuocauit Dominum oppugnando hostes in oblatione viri lacte nutriti.

Hyer. Viri immolati,

Aug. Torniel. Obtulit vitulum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T *Vlt agnum lactentem. Torniel. vitulum,* sed videtur ei pro agno vitulus irrepisse: verum est in Reg. & Compl. Siracidem Eccl. 46. loquentem de Samuele dixisse, *Inuocauit Dominum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes in oblatione viri lacte nutriti, vel lactentis, vel vt Hyer. viri immolati.* Scio nostrum Lyranum sequentem codices hanc lectionem habentes referre virum immolatum ad Samuelem, quasi sensus sit, inuocauit Dominum, & oppugnauit hostes in oblatione sua, quæ erat Deo gratissima, vt pote cuiusdam viri immolati, seu à quodam viro immolato exhibita, vbi nulla fit mentio agni qui hoc loco oblati dicitur: Nihilominus dicendum est aut illam editionem Græcam esse corruptam, & pro *αγνῶν*, id est agni, irrepisse *ἀγρῶν*, id est viri, aut nomine viri lactentis intelligendum esse agnum masculum, viri enim nomen in quouis grege significat masculum animal, vt patet ex Genes. 7. vbi dicitur, *Tolles septena & septena masculum & fœminam*, vbi in Hebr. pro masculino & fœmina, est *virum & uxorem eius*. Sic igitur potuit in Eccles. Agnus masculus viri nomine significari, & hunc esse germanum sensum conuincit Vulg. editio nouissimè correctæ, quæ habet in oblatione agni immolati, alludens ad hunc agnum, qui hoc loco dicitur immolatus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **C**ongregate. Vbi renouauit fœdus populi cum Deo, A
 y. 5. tideo subditur.

MENOC. *In Masphath.* Conuocatus est populus in Masphath, quia eo ex omnibus Israëlitis partibus commodè conueniri poterat.

Vt orem pro vobis Dominum. Orauit, & sacrificauit Samuel, licet non esset ex ordine sacerdotali, Deo ita inspirante. Vide dicta Leu. cap. 17. num. 3.

LYRAN. **H**auseruntque. Ra. Sa. dicit, quod hoc fecerunt in signum humiliationis, quasi dicerent: Sicut aqua effusa ad nihilum valet ultra, sic in conspectu tuo nihil sumus vel videmur. Ionathan filius Oziel maximæ reputationis apud Hebræos, hoc exponit de conuersione cordium ad Deum, & sic per istas aquas intelliguntur lachrymæ contritionis exeuntes à corde, & per oculos effusæ.

Indicauitque. Quia non solum reconciliauit populum Domino sed etiam vnumquemque de populo ad proximum suum, iniurias & malefacta ad æquitatem iustitiæ reducendo. Aliter autem exponitur secundum aliquos ab illo loco: Erat quippe annus vicesimus, scilicet quo arca Domini manserat in Cariathiarim, ita quod per hoc notatur, quod tot annis mansit ibi ante quam inde alibi transferretur. Et quod sequitur: *Hauseruntque aquam & effuderunt*, dicunt aliqui quod in illa aqua erant maledicta congesta, sicut in sacrificio zelotypiæ, ita quod labia bibentium si fuissent idololatræ ita iungebantur, quod non poterant ab inuicem separari, & per hoc conuincebantur, sicut tempore Mosi per potum aquæ, vbi puluis vituli aurei fuerat commixtus, prout dictum fuit Exod. 32. ideo sequitur: *Indicauitque Samuel.* scilicet idololatræ interficiendo qui conuincebantur modo prædicto, prima tamen expositio videtur mihi magis rationalis: lector tamen eligat quam voluerit.

ESTIVS. *Et conuenerunt in Maspha, hauseruntque aquam, &c.* Hieronym. in tradit. Hebræis refert Hebræorum quorundam opinionem, quod hac aqua explorauerit Samuel, qui inter Israëlitas idola coluissent, & qui non; Sicut & Moyses fecerat eâ aquâ, in quam proiecerat cinerem vituli aurei, quam legitur filiis Israël dedisse ad bibendum. Sed vtrumque fabulosum est. Non enim Deus per homines vnquam legitur manifestasse occulta peccata alicuius multitudinis per singulos. Alij itaque dicunt effusam fuisse coram Domino aquam in signum remissionis peccatorum. Alij in signum humiliationis, quasi dixerint; Nos sumus coram te sicut aqua ista effusa. Caldæus paraphrastes, abundantiam lacrymarum intelligit. Vt est, omnino vide-

tur ad pœnitentiæ significationem pertinuisse, quia sequitur & aliud pœnitentiæ opus; *Et ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt, peccauimus Domino, &c.*

Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini. Qua ceremonia videntur significare voluisse affectum cordis, & adhærendi Deo desiderium, quod in conspectu Domini orantes effundebant. Vel in detestationem idololatriæ, quam penitus abiicere volebant, ita vt illius nullum superesset vestigium, nullæ reliquiæ, quod aptè effusio aquæ significat, cuius effusæ nihil vasi, quo continebatur adhæret, secus ac fit in oleo, melle, aliisque huiusmodi liquoribus. Emanuel Sa putat esse modum iuramenti, quasi dicerent: Ita pereamus vt aqua è vase fusa, si pactum cum Deo violauerimus.

Indicauit filios Israel, &c. Cum suprema potestate, vt reliqui iudices, de quibus in libro Iudicum.

B *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Designantes, ita à se abiici antiquam impietatem, & omnem Baalis & Astaroth (de quibus dixi Iud. 2. v. 13.) id est, omnium idolorum execrandam memoriam, vt non minus excedant ab animo, quàm aqua ex vase, ex quo ita defluit, vt nullus eius vel sapor, vel odor, vel color, vel humor vasi adhærescens maneat, sed tota perit & vanescit. Symbolum hoc est animi verè pœnitentis, qui nihil apud se residuum manere patitur vitæ morumque priorum, quorum iam pœnitet & pudet, ita Sanctius.

Et audierunt. Hic consequenter describitur Philistinorum debellatio. Ad cuius intellectum sciendum, quod Philistiim post debellationem populi Israel propter peccata filiorum Heli tenuerunt ipsum sub tributo, & ne haberent consilium & opportunitatem rebellandi, interdixerant eis congregationes populi fieri, propter quod audito, quod congregati essent in Masphath, venerunt contra eos in prælium, sed Samuele orante & holocaustum pro populo offerente, fuerunt cælitus debellati, secundum quod dicitur infra.

Ascenderunt ad Israel. Contra Israel.

Obrulit holocaustum. Vel per sacerdotem, vel per seipsum ex diuina inspiratione, vel vt sacerdos extra ordinem vulgarium sacerdotum. Vide dicta Leu. 17. num. 3. & Serarius hoc cap. 4. quæst. 1.

Integrum. Angustiæ temporis, quas imminens hostis afferebat, tantæ fuerunt, vt agnum non diuiserint testes vt moris erat, sed integrum, & fortasse cum pelle, iabus, & intestinis in flammis iniecerint. Ita Sallianus.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 10. ad 13.

Vulg. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel. Pag. Intonuit voce grandi, & contriuit eos.

Calet. Et reddidit eos attonitos, & fuerunt mortificati in conspectu Israëlitis.

Tigur. Ingenti sonitu intonuit, & conturbauit eos vt Tom. I V.

cæderentur.

Malu. Et fuit Semuel ascendere faciens ascensionem & Pelistim accessi fuerunt cæioni in Israele, &c. & consternati fuerunt.

Sept. Rom. Et confusi sunt.

Cald. Sonuit Dominus.

Syr. Insonuit elato sonitu.

Arab. Audire fecit Dominus clamorem altisonum, quo

perterriti fuerunt, & trepidarunt corda eorum.
Vulg. Egredique viri de Masphath, persecuti sunt Philistæos, & percusserunt eos, vsque ad locum qui erat subter Bethchar.
Cald. Percusserunt eos vsque subter Bethsaron.
Arab. Destruerunt eos, interfecitque fuerunt ex eis caesi multi, peruenitque fuga eorum vsque ad inferiorem partem Betjasan.
Vulg. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.
Malu. Vocauit nomen eius Eben Haghazer.

Sept. Rom. Statuit illum inter Massephat, & inter verem, & vocauit, &c.
Syr. Vocauit lapidem auxiliorum.
Ioseph. Vocauit nomen, &c. lapis fortitudinis.
Vulg. Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra vt venirent in terminos Israel. Facta itaque est manus Domini super Philistæos, cunctis diebus Samuelis.
Pag. Et humiliauerunt se Pelistim.
Sept. Rom. Humiliauit Dominus alienigenas.
Cald. Et fracti sunt, &c. & fuit percussio Domini in Philistæos.
Syr. Sic profligati sunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Percusserunt eos, nempe Philistæos. Addit aliquid amplius Eccles. nempe, *Et intonuit de cælo Dominus, &c. & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philistiim.* Noster ergo *Vulg.* hîc solum mentionem facit percussione Philistinorum: Eccles. autem etiam & Tyriorum, quod & verum est, quia fortasse Tyrij propter locorum vicinitatem socia arma cum Philistinis auxilia implorantibus aduersus Israelitas copulabant. *Vocauit nomen, &c. Lapis adiutorij.* Ioseph. *Fortitudinis* tamen omnia exempl. dicunt appellatum fuisse Abenhaazer, id est lapidem adiutorij: Potuit oriri diuersitas ex similitudine vocum Hebraicarum, nam גזר *gazar*, est auxiliari, vnde גזר *ghezer*, id est auxiliium, at vero גזר *gazaz*, est roborare. vnde גזר *ghez*, id est fortitudo, ex qua fortè similitudine fieri potuit vt à Iosepho lapis fortitudinis diceretur, qui in Hebræo Abenhaazer, id est lapis adiutorij appellatur. *Et humiliati sunt;* Alij, *Contriti.* Verbum כנע *chanagh*, vtrumque significat, & humiliare & conterere, & quidem superbis æquè durum est humiliari & conteri, vt si quando humiliantur, prorsus contriti sibi videantur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **INTONUIT AUTEM DOMINUS, &c.** Ita quod ex fulgure multati fuerunt mortui, & alij exterriti fugientes pro magna parte occisi. Et patet littera.

TIRINVS *Intonuit Dominus fragore magno.* Addit Iosephus: *Terra sub pedibus intremuit, nonnulli in improvisos hiatus prolapsi: alij fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulguribus oculos ac manus semisulati, vt ne arma quidem retinere possent.* Ex Eccles. 46. vbi de hac re sermo est, colligimus etiam Tyrios & qui Tyriorum suberant imperio, hac eadem clade inuolutos fuisse, quos nempe Philistæi viris & viribus, vt cumque exhausti, in subsidium aduocarant. *Intonuit enim de cælo Dominus, & contriuit principes Tyrio-*

rum, & omnes duces Philistiim. Ex hoc tempore, anno à reducta arca vicesimo, ætatis verò suæ 32. Samuel stabilem sibi sedem in Masphath constituit, vbi iudex ius diceret, & princeps Rempubl. moderaretur: sic tamen vt subinde per annum pro commodo reliquarum tribuum excurreret in *Bethel & Galgala*, vt & ibi conuentus ageret, ius diceret, lites, componeret, vt infra v. 16. insinuat.

Facta est. Hic consequenter describitur populi Israel tranquillitas, & bona ordinatio sub regimine Samuelis, & patet littera vsque ibi.

Nec apposuerunt ultra. Longo nimirum tempore, nam postea iterum cum Philistæis pugna, de quibus infra.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 14. ad 17.

V*Vulg.* Et reddite sunt vrbes, quas tulerant Philistiim ab Israel, Israeli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: liberauitque Israel de manu Philistinorum, eratque pax inter Israël & Amorrhæum.

Pag. Et redierunt vrbes.

Sept. Rom. Et reddiderunt se ipsi Israel ab Afcalone vsque Azob, & terminum Israel abstulerunt de manu alienigenarum.

Arab. Reduxit Samuel filiis Israel, &c.

Vulg. Iudicabat quoque Samuel Israellem cunctis diebus vitæ suæ.

Malu. Vitarum suarum.

Vulg. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Masphath, & iudicabat Israellem in supradictis

locis.

Malu. Et ambulabat de sufficientia anni in anno & circumgyrabit Bachel, &c.

Sept. Rom. Iudicabat Israel in omnibus sanctificationis eius.

Reg. In omnibus locis istis.

Lucifer. In sanctificationibus suis.

Cald. Iudicabat omnia loca hæc.

Arab. Prospiciebat iudicio filiorum Israel, & causis vrbium ac regionum istarum.

Vulg. Reuertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israellem: ædificauit etiam ibi altare Domino.

Sept. Rom. Reuersio autem eius erat in Ramatham.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Accaron vsque Geth. *Sept. Rom.* Ab Afcalone vsque Azob. Fortè non est pugna, quia inter vtrosque terminos regio illa prius capta à Philistinis, & postea ab Israelitis recepta, clauderetur. *Iudicabat Israellem in supradictis locis.* *Sept. Rom.* In omnibus sanctificationis suis. *Lucifer,* In sanctificationibus, id est in locis his, qui ex visitatione Samuelis viri sanctissimi quodammodo sanctificabantur, quia ab his vitia extirpabat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ERATQUE PAX.** Quia seruiebat Israel sub tributo.
ESTIVS. **ET REDDITE SUNT VRBES QUAS TULERANT PHILISTIIM AB ISRAEL, ISRAELI, AB ACCARON VSQUE GETH.** Quaritur quomodo hic dicatur redditas esse vrbes ab Accaron, vsque Geth, & terminos suos, cum nec ante nec post legamus eas à filiis Israel fuisse occupatas, aut habitatas? Nam & infra cap. 17. prostrato & interempto Goliath, filij Israel dicuntur tan-

tum persecuti Philistæos vsque ad portas Geth. Et cap. 21. Dauid profugit ad Achis regem Geth, vt tutus esset à Saule. Dicendum ergo non hic dici ipsas vrbes Accaron & Geth redditas fuisse, sed eas vrbes quæ interiacebant, inter Accaron & Geth, quas Philistæi superioribus bellis abstulerant Israelitis, pertinentes maximè ad tribum Dan, quæ erant vicinissimæ Philistæis, vt patet ex historia

Samfonis, & chartis Geographicis.

MENOC. *Reddita sunt vrbes.* Vel vi ablata, vel à Philistæis sibi ab Israëlitis timentibus, reddita.

Liberavit Israel de manu Philistinorum. Iugum leuius fecit tyrannidis eorum, adhuc tamen tributum Philistæis pendebant, quod tandem sustulit Dauid, de quo dicitur 2. Reg. 8. v. 1. *Percussit Dauid Philistim, & humiliavit eos, & tulit Dauid frenum tributi de manu Philistinorum.*

TIRINVS. *Eratque pax inter Israel & Amorrhæum.*] Neque enim solum Philistæorum iugum excussit Samuel, recuperavitque oppida antè deperdita: sed insuper, omnes etiam alios vicinos populos, qui hîc Amorrhæorum, quasi reliquis præcellentium, nomine comprehenduntur, coëgit à bellis abstinere, quibus penè omnibus sæculis Israelem infestare solebant. Et ex hac tam alta pace & aureo otio fortè contigit, quod cessante vbiq; bellico timore, armorum quoque vt vsus, ita & fabricatio cessaret, nullaque noua arma conflarentur, & vetera in rem rusticam conuerterentur: vt mirum non fuerit, sub initium regni Saulis nulla penè toto Israël arma reperta fuisse. Neque verò permiserunt Philistæi, cum sub id tempus iterum Israëlitis à Deo delapsis præualere inciperent, vt armis semel nudati, rursus noua cuderent: quin nec fabrum vllum ferrarium ipsis permisere, non modo qui lanceas, hastas aut enses cuderet, sed neque qui rustica instrumenta, ligonem puta, falcem, securim aut vomerem vel de nouo conficeret, vel obtusa acueret, vel contracta instauraret: sed cogebantur in oppida Philistinorum ad ea curanda excurrere, vt infra habemus in fine cap. 13. Sed frustra fuisset omnis hæc inhibitiõ, nisi longa pace iam antè defuissent sponte & arma cudi, & fabrilia exerceri.

LYRAN. *Iudicabat quoque Samuel, &c.* Scilicet vsque ad institutionem, & conformationem Saulis: ex tunc enim Saul habuit officium iudicandi.

MENOC. *Cunctis diebus vite sue.* Ex quo colligitur eum post depositam Reipub. administrationem, nouo rege inducto, non diu fuisse superstitem, vel dicitur iudicasse toto tempore vitæ, quia vel solus iudicauit, vel cum filiis, vel cum Saule nouo rege.

LYRAN. *Et ibat.* Per loca ad iudicandum opportuna proprio labore & expensa, vt habetur infra 12.

MENOC. *Bethel, & Galgala, & Masphath.* Hæc obibat ciuitates, & in illis diutius, quam in aliis subsistebat vt ius diceret, omnesque ad officium faciendum, retinendamque veram religionem incitaret, commodius enim in illis vrbibus

A populi conuentus agere poterat, & ad eum Israëlita facilius confluere.

Reuertebaturque. Vbi communius iudicabat populum.

Edificauit altare. Sed in hoc videtur fecisse contra legem, quia non debebat esse altare aliquod ad immolandum, nisi in loco vbi erat arca, sicut dictum fuit Iosué 22. quæ non legitur fuisse in Ramatha. Dicendum quod ex dispensatione Domini poterat alibi immolari, & per consequens altare construi, & hoc modo Samuel ibi altare construxit. Potest etiam dici secundum illud quod dictum fuit Deut. 12. & est satis verisimile, quod à tempore quo arca fuit capta per Philistæos, vsque ad tempus, in quo fuit posita in templo constructo per Salomonem, arca non habuit stabilem mansionem: quia tempore intermedio de loco ad locum frequenter fuit transportata, vt patet ex prædictis: & aliquando ad exercitum deportata, vt habetur infra 14. & ideo sacrificia votiuia, ad quæ offerenda homines non tenebantur, sed si fiebant ex deuotione, poterant fieri hoc modo, tempore, quo arca & tabernaculum fuerunt in deserto, eò quòd arca adhuc non habebat stabilem mansionem: sicut dictum fuit Deut. 12. Tempore verò quo fuit in Silo, non fuit hoc licitum, prout dictum fuit Iosué 22. quia tabernaculum & arca, longo tempore fuerunt ibi: & habuerunt ibi stabilem mansionem, licet non ad semper.

Reuertebaturque in Ramatha, ibi enim erat domus eius.

B Quomodo hoc consistat cum eo quod mater eum consecravit, vt perpetuò Deo in tabernaculo seruiret, explicatum est supra cap. 1. Sed maior quæstio nascitur ex his quæ sequuntur; *Edificauit etiam ibi altare Domino*, nempe, an id factum non sit contra legem, eo quod ibi non esset tabernaculum nec arca? Respondet glossa, id eum fecisse, ne populus immolaret diis alienis, & ob hoc eum non reprehendi. Sed plenior responsio est, quia per id tempus arca non habebat stabilem mansionem, idque vsque ad tempus quo templum fuit extructum à Salomone, & interea putant non fuisse peccatum immolare in excelsis, modo vero Deo.


Edificauit etiam ibi altare Domino. Vt in eo hostias immolaret cum vsus ferret. Hoc, vt sapius dictum, ex diuina dispensatione factum videtur.

Edificauit Samuel ibi altare Domino.] Quia ibi plerumque morabatur, & frequentius sacrificabat. Id verò quo iure licuerit Samueli, dixi capite vltimo libri Iudicum.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Filiis Samuelis ad auaritiam declinantibus petit populus sibi regem, quibus Samuel, iubente Domino, ius regis prædicit, sed non auditur.

I.  Actum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israël. 2. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee. 3. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. 4. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. 6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. 7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. 8. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hunc: sicut dereliquerunt me, & seruiuerunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se regem, 11. & ait: Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum,

12. & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messorum segetum, & fabros armorum & currum suorum. 13. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. 14. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. 15. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. 16. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. 17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. 18. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. 19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit super nos, 20. & erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. 21. Et audiuit Samuel omnia verba populi: & locutus est ea in auribus Domini. 22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

VARIETAS LECTIONVM. à *Vers. 1. ad 15.*

Vulg. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices super Israël.
Malu. Iudicantes Israël.
Cald. Præfecit.
Vulg. Fuitque nomen primogeniti eius Ioël: & nomen secundi Abia iudicum in Bersabee.
Arab. Hi duo sedebant pro tribunali in Birsebaa.
Vulg. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.
Vatab. Sequuti sunt cupiditatem.
Malu. Extenderunt post præcisionem, & extenderunt iudicium.
Sept. Rom. Declinauerunt post consummationem, acci-

piebant dona, & peruertebant iustificationes.
Reg. Declinauerunt post vtilitatem.
Cald. Respexerunt post Mammon falsitatis.
Arab. Fraudem diligentes admittebant munera, & ascetabantur in iudicio.
Vulg. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha.
Sept. Rom. Et congregantur filij Israël.
Vulg. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.
Cald. Præfice regem.
Syr. Vt iudicet nos pro more cunctarum gentium.
Aliqui. Ad vindicandum nos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DDeclinaueruntque post auaritiam. *Cald.* Respexerunt post Mammon falsitatis. Auaritia enim est quædam falsitas, seu mendacium, sicut auarus fictus & mendax, suas enim diuitias simulat, fingitque se pauperem. *Sept. Rom.* Declinauerunt post consummationem. *Reg.* Vtilitatem. Nam *συντέλεια*, quæ hic ponitur, est quædam consummata vtilitas, ad quam filij Samuel aspirabant: *Malu.* habet, post præcisionem. Hebraicè est *בצב* *betzagh*, cui omnia hæc significata subsunt, desiderium, cupiditas, quæstus, lucrum, præcisio. *Vt iudicet nos.* Aliqui. *Ad vindicandum nos.* Sed amplior est iudicandi significatio, quæ & ius dicere, & vindicare includit.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **F**actum est. Descripta superius malitia filiorum Heli, hic consequenter describitur malitia filiorum Samuelis, quia vtraque fuit occasio vt terminaretur regimen per iudices, & reges instituerentur. Igitur circa hoc primo describitur filiorum Samuelis transgressio, secundo populi petitio, ibi: *Congregati ergo.* Tertio Domini desinitio, ibi: *Et orauit Samuel.* Circa primum dicitur.
- Factum est.* Quia non poterat ita commodè per loca ad iudicandum discurrere.
- Posuit filios suos.* Credens eos fore suæ iustitiæ imitatores. Sed hoc non fuit ita. Vnde subditur.
- MANOC** **Y.** 2. **In Bersabee.** Quæ est in finibus Israël in parte Australi. Filiorum gubernationi hanc partem attribuit, vt quandoquidem ille circuire, vt prius, non poterat prouinciam, senio impeditus, illi, populo ius dicendo in partem oneris venirent.
- LYRAN.** **Y.** 3. **Acceperuntque.** Et sic dupliciter peccauerunt. Scilicet accipiendo munera pro iudiciis, quod non est licitum, licet pro labore iusto & bono, iudices possint accipere stipendia ad victum decentem & honestum; 2. quia propter munera declinauerunt à iustitia reddendo iudicium peruersum.
- Et non ambulauerunt filij illius in viis eius.* Nulla Samuelis culpa, sed suo ipsorum vitio: quare nec à Domino vt Heli reprehensus, aut plexus est Samuel.
- Filij Samuelis peruerterunt iudicium.* Muneribus & auaritia corrupti. Timebant, credo, ne in se vnus verum non esset vetus prouerbiu, *Heroum filij noxa*: quo significatur, magnorum parentum filios valdè ab illorum moribus vt plurimum degenerare, seque indignos præstare (vt aiebat Demosthenes) qui ex illustri stirpe procreantur: & quod
- A** **Ælius** Spartianus dicebat, melius parentibus fuisset, de rebus humanis sine posteritate discedere.
- Petes, Cùm vsque adeo in Heli punierit Deus filiorum peccata, cur non etiam à Samuele exegit pœnas eorum quæ filij in subditos sibi populos admiserunt? Respondeo cum S. Gregorio & Theodoro, quia plura & grauiora fuerunt peccata filiorum Heli: nam templum profanabant, religiosas fœminas constuprabant, sacrificiorum ritus & ordinem peruertebant: at Samuelis filij non nisi munera accepisse dicuntur, & dum suis commodis & auaritiæ student, iudicia peruertisse. Accedit, quod Samueli peccata filiorum comperta aut nota non fuerint, quemadmodum Heli. Nam Samuel in Ramatha ius dicebat, illam Aquilonarem Iudææ partem sibi reseruans administrandam, filios verò in Bersabee collocarat, & Australem illis plagam demandarat, vt hic dicitur v. 2. Vnde facillè poterant illorum procul absentium scelera parentem optimum latere.
- Congregati ergo.* Hic consequenter describitur populi petitio de rege habendo, cuius vna causa, malitia filiorum Samuelis, & hic exprimitur, cùm dicitur, *Filij tui, &c.* Alia fuit, quia audierant Naas, regem filiorum Ammon, disponentem exercitum ad veniendum contra eos, & ideo volebant habere regem capitaneum sui exercitus, contra eum: & hæc causa hic tacetur, sed infra exprimitur cap. 12.
- Sicut & cetera habent nationes.* Hac forma loquendi leges illas respuisse videntur, quas Regibus Israëlitis Dominus indixit Deut. 17. & barbaricum illum circumiectionum regum dominatum elegisse.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 6. ad 9.

Vulg. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis regem, vt iudicet nos, & orauit Samuel ante Dominum.

Mont. Et malum fuit verbum.

Malu. Et interpellare se fecit Samuel ad Ihuu,

Arab. Egredere tui id Samuel.

Vulg. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.

Malu. Non enim te spreuerunt, sed me spreuerunt.

Caiet. Non te abominati sunt, sed me abominati sunt à regnare super eos.

Vatab. Non enim te repudiant, sed me.

Malu. Non te fastidiuerunt, quia me fastidiuerunt.

Cald. Audi dicto populi in omnibus, quia non te elongauerunt, nam in cultu meo spreuerunt ne sim rex.

Arab. Non te quidem reprobauerunt, &c, nec optant me regnare.

Vulg. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die quæ eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruiuerunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.

Mont. A die ascendere facere me eos.

Malu. Secundum omnes facturas suas.

Sept. Rom. Secundum omnia facta quæ fecerunt mihi.

Cald. Reliquerunt cultum, & coluerunt errores gentium.

Arab. A tempore quo me destituerunt & seruiuerunt diis alienis.

Vulg. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos.

Pag. Vt contestando contestatus fueris contra eos, indicabis eis legem regis.

Mont. Rationem regis.

Caiet. Iudicium regis.

Tigur. Verumtamen sanctè obtesteris eos.

Sept. Rom. Tantummodo contestans contestaberis eis, & annuntiabis eis iustificationem regum. *Reg. Ius.*

Cald. Indices eis statutum regis.

Arab. Declara eis & indica iura regum, qui regnaturi sunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non te abiecerunt; Alij, Non te abominati sunt, non te fastidiuerunt, &c. Verbo *מאס* *maas*, subiiciuntur hæc omnia significata, abominari, spernere, repudiare reprobare, &c. Aduerte Tertull lib. 4. contra Marcion. cap. 14. refert hæc verba tanquam dicta ad Moysen, sed planè fuit memoriæ vitium, Moysen pro Samuele reponentis, quum in eam censuram eius Interpres Pamelius impingit. *Hoc erit ius Regis; Alij, Iudicium, Lex, &c.* Hebr. est *מִשְׁפָּחַת* *mispchat*, quod plerumque significat iudicium, à verbo *שָׁפַח* *saphat*, id est, iudicare; aliquando verò morem & consuetudinem, vt patet ex pluribus, sed ex Psal. 118. *Miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum*, hoc est secundum consuetudinem, quam seruas erga diligentes te, vbi etiam in Hebræo idem nomen habetur, vnde Genebrard. in hunc Psal. sentit ius regis hoc loco positum pro consuetudine regis vsurpari, & concinit nomen Græcum *δίκη* *diqua*, hoc est iustificatio, seu consuetudo, vt Vatab. exponit: Et videtur hæc germana expositio. Nam quæ rex dicitur hoc loco sibi arrogaturus, nullo iure scripta perhibentur, sed solo vsu & consuetudine regum introducta.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Displicuitque sermo.* Propter tria. Vnum fuit, quia displicuit sibi malitia filiorum suorum, quæ vsque tunc latuerat ipsum. Aliud fuit propter honorem diuinum qui videbatur contemni, seu diminui, eò quòd retinuerat sibi in populo Israël nomen regum. 3. quia populus in hoc volebat assimilari Gentilibus, dicens, *Constituete nobis regem, sicut & vniuersa habent nationes.*

Et orauit. Hic consequenter ponitur Domini definitio. Samuel enim istud negotium retulit ad Dominum, qui respondit.

MENOC. *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Merito displicuit. I. quia cum Dominus populi Israëliti Rex, & immediatus princeps esse vellet, ipsi contra Dominum quodammodo repudiabant. II. quia regiam inducere conabantur potestatem, quam reges nimiam & immodicam facturi erant, vt ex iis quæ num. 11. sequenti dicentur, apparet. III. quia ipse de Republica optimè meritis redigebatur in ordinem, electo enim Regi subditus erat futurus.

Et orauit Samuel ad Dominum. Videtur senioribus respondisse se consulturum Dominum, & quod tulisset responsum se illis cum fide relaturum.

LYRAN. *Audi vocem populi.* De rege instituendo.

Non enim. Quia tu solum eras meus vicarius, & quod ista petitio eorum ex malo processerit, ostenditur, cum subditur, *iuxta omnia opera sua, &c.*

MENOC. *Non enim te abiecerunt sed me.* Vtrumque abiecerunt, sed non tam te, quam me.

TIRINVS. *Audi vocem populi in omnibus.* Id est, conuicias postulas à populo: neque grauer feras, te ab illis, quorum saluti tanto studio, tanto zelo hæctenus seruisti, iam videri contempnum: cum ego ipse qui Deus illorum sum, nihilominus ab ipsis contemnar, quia nempe sprete ratione illa gubernationis quam ipse præscripsi, aliam ipsi vrgent ad exemplum & imitationem Gentilium, vt postularant v. 5. Qua ratione nolunt amplius me regnare super Israël, sed diabolum, quo auctore leges illæ barbaræ Gentilium

Tom. IV.

regum & tyrannorum in orbem inuectæ sunt. Vnde patet, non peccasse Iudæos, quòd regem peterent, nam Deut. 17. facta illis fuerat eius petendi potestas: sed quòd peterent regem, qualem *vniuersa habent nationes*, id est, qui populum regat, non ex nutu Dei, seu illis legibus, quas regibus Israëlitis, si quando crearentur, Deus præscriperat Deut. 17. sed pro suo beneplacito, & peregrinis aliis institutis quæ auctore diabolo barbaræ & idololatræ nationes vsurpant. Hoc est enim quod exprobrat ipsis tum hoc & sequenti cap. tum vel maximè cap. 12. v. 12. *Videntes*, inquit, *quod Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis*, id est, nolimus exinceps legibus aut optimatum, aut tuis, aut diuinis regi, sed vnus arbitrio & placito, prout moris est apud Ammonitas & alias gentes. His conformiter iubet Deus.

Sicut dereliquerunt. Ostendentes factò, quod non haberent me pro rege suo.

LYRAN. v. 8.

Sic etiam faciunt, &c. Abiiciendo te ne sis vicarius meus.

Iuxta omnia opera sua. Consolatur Dominus Samuelem, docens postulatam populi non inde ortum quod ipse creditum sibi munus minus diligenter, aut fideliter impleuerit, sed ab innata ingenij leuitate, à die qua de Ægypto educti sunt, multis experimentis cognita.

Verumtamen contestare. Circa quod sciendum, quod aliqua sunt de iure regis in necessitate positi, propter bonum commune regni, & sic omnia quæ inferius exprimuntur à Samuele sunt de iure regis, quia in tali casu omnia sunt regis vel principis, & exponenda vel expendenda pro bono communi. Sicut & in corpore naturali ali videmus, quod manus vel etiam alia pars corporis naturali instinctu exponitur pro conseruatione vitæ ipsius corporis. Si autè accipiat alio modo ius regis extra necessitatem, sic plura exprimuntur à Samuele, quæ non pertinent ad ius ipsius regis: vt pote omnia illa quæ reddunt populum subditum seruilem, & quæ non respiciunt bonum commune, sed

X iij

magis hominis in regno positi voluntatem : & talia prædixit eis Samuel , ad retrahendum eos ne peterent regem , quia eis non expediebat , & quia regimen propter magnitudinem potestatis regi concessam de facili conuertitur in tyrannidem , vnde & Deut. 17. vbi agitur de constitutione regis dicitur : *Non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum meum in Ægyptum* , scilicet quasi seruum , nec habebit argenti & auri immensa pondera , & ibidem subditur : *Ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, & secundum istum duplicem intellectum exponenda sunt quæ sequuntur de regio iure vsque ibi.*

MENO C. *Contestare.* Quasi dicat , Testans prius Deum , & homines.
Ius regis. Non hinc significatur quid Reges iure possint,

A sed quid audeant.

Prædic eis ius regis.] Hoc est, explica cæco populo, quale ius vsurpatoris sit rex quem similem regibus aliarum nationum sibi præfici postulant. Nempe qui non communi consilio, sed suo solius arbitratu rem versaret publicam: non tam populi commodis, quàm suæ gloriæ, suo lucro, suæ libidini studeret. Et verò tales Hebræis reges vt plurimum obrigisse, nimis manifestum est ex iugo grauissimo, quod & Salomon, & Roboam, & Ieroboam, & ferè omnes alij reges subditis imposuere. Hinc optimè docet sanctus Thomas, non agi hinc de iure vero, aut iusto, sed de iniusto & vsurpatio, quali solent vt qui nullis legibus frænari, sed omnia pro libito facere volunt, ita sanctus Gregorius, Caictanus, Abulensis & Vatablus.

VARIETAS LECTIIONVM. Vers. 10. 11. & 12.

Vulg. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum qui petierat à se regem.
Vulg. Et ait : Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum.
Pag. Lex regis, &c. filios vestros ponet in equitibus suis, & current ante currum eius.
Mont. Hæc erit ratio, &c. ponet sibi in curru suo, & current ad facies currus eius.
Malu. Vehiculi eius.
Sept. Rom. Hæc erit iustificatio.
Cald. Hoc erit statutum, &c. & sequentes ante currus.
Arab. Faciet eos equites sibi gradientes ante rhedas suas, alios autem constituet pedites ambulantes coram se.
Vulg. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messorum segetum, & fabros ar-

morum, & curruum suorum.
Pag. Ponet sibi, & quinquagenarios, & ad arandum arationem suam, & ad metendum messem suam, & ad faciendum vasa bellica sua, & arma curruum suorum.
Arab. Ad ponendum sibi principes millium, & principes quinquaginta, & ad faciendum vasa sui belli.
Malu. Et ad decurtare decurtationem eius, & ad facere vasa cætionis, & vasa currus eius.
Sept. Rom. Et ad ponendum eos sibi centuriones, & chiliarchos, &c. ad vindemiam vindemiam ipsius.
Cald. Ad præficiendum sibi magistrum millium, & magistrum quinquagenorum, &c. & opifices ad faciendum bella.
Syr. Quinquagenarios, & decuriones.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Constituet sibi tribunos; Alij, Principes millium. Sept. Chiliarchos, id est, præfectos millenarios: Centuriones; Alij, Principes quinquaginta, nec refert si Vulg. dixit centuriones, id est, principes centum quia sensum attendit, non verba, & intellexit hoc loco certa munia pro incertis vsurpari: addit Syr. *Et decuriones; & aratores agrorum suorum.* Sept. addunt, *Et vindemiatore*, nam magna pars diuitiarum quibus reges Israël potiebantur, terræ fructibus constabat. *Et fabros armorum, &c.* Alij, *Ad faciendum vasa belli, & vasa curruum*, iuxta vulgarem Hebraicum quo instrumenta, quælibet vasa appellantur.

ANNOTATIONES.

MENO C. **P**onet in curribus suis. Aurigas faciet curruum suorum.

B Tribunos, centuriones. Prætorianos milites ad corporis sui custodiam destinatos. MENO C. y. 11.

VARIETAS LECTIIONVM. Vers. 13. ad 18.

Vulg. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas.
Arius. Sumet in pigmentarias, coquinarias, & impestri-ces.
Tigur. Vt sint cupedinarias.
Malu. Filias vestras accipiet condimentatricibus & matricibus, & pistricibus.
Cald. Accipiet in ministras.
Syr. In textrices, molitricas.
Joseph. Culinarias & molares. *Comestor.* Cupedinarias.
Vulg. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.
Arab. Et præstantissimas oleas vestras accipiet.
Vulg. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis.
Cald. Accipiet in decimas, & dabit principibus suis.
Arab. Ministris.
Vulg. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.

Pag. Iuvenes optimos, & faciet in opere.
Malu. Et electos vestros bonos, & faciet ministeriali suo.
Sept. Rom. Et armenta bouum vestra bona, & decimabit opera vestra.
Arab. Occupabit.
Vulg. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui.
Malu. Ouem vestram decimabit.
Cald. Oues vestras accipiet vnam è decem.
Vulg. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.
Mont. Et non respondebit vobis.
Malu. Conclamabitis de ad facies.
Cald. Non accipiet Dominus orationem vestram in tempore illo.
Syr. Et vlulabitis in die propter regem vestrum.
Arab. Precabimini, ac supplicabitis propter illam vobis angustiam vestram.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vnguentarias; Alij, Pigmentarias, quæ nomina negant esse synonyma aliqui, cum pigmentaria siccorum, vnguentaria vero liquidorum odoramentorum confectrices dicantur. Nihilominus nomen Hebræum quod hic ponitur *רַקַּחֹת* *rakachot*, indifferens est ad vtrumque significandum, à verbo *רַקַּח* *rakach*, id est odoramenta tam liquida, quam sicca temperare, seu commiscere. *Et focarias*; Alij, *Coquas, coquinarias*: non sumitur enim hic focaria pro concubina, sed pro muliere foco addicta ad coquendum, Patet ex vocabulo *טַבַּחַח* *tabbach*, id est, ingulare, seu occidere, seu coquere. *Panificas*; Alij, *Molarias*. In Hebr. est *אֹפְתוֹת* *ophoth*, à radice *אָפַח* *aphah*, id est coquere, præsertim panes in clibano, vnde Vatab. vertit pistrices, id est, fœminas pistrinam artem exercentes.

Vinearum reditus addecimabit; Alij, *Accipiet in decimas*. Verbum decimandi quo vitur Vulg. seu addecimandi, quamuis aliquando dicat decimas soluere, tamen hic sumitur pro decimas exigere, est enim æquiuocæ significationis. *Dabit eunuchis*; Alij, *Principibus*. In Hebræo enim est *סַרִּיסִים* *sarissim*, qui non sunt execti, sed illi qui multum gratia & auctoritate apud regem valent, qui præcipuis muneribus adhibentur. Hi autem principes dicuntur eunuchi Metaphoricè, scilicet quod sicut execti intimis regum cubilibus custodes aderant, ita & hi præcipuis regum negotiis præponuntur: *Iuuenes optimos*; Alij, *Pulchros, electos*, quasi timidi reges foras non prodirent, nisi speciosorum iuuenum examine stipati. *Et asinos auferet*; Alij, *Et armenta boum*. Vulg. per asinos, quia sunt animalia maximè laboriosa, alia seruitio hominis destinata, intelligit.

ANNOTATIONES.

MENOC. **F**ocarias. Coquinarias, nam Septuaginta habent, *μα-
Υ. 13.* *Υ. 13.* *Υ. 13.*
MENOC. **Eunuchis.** Aulæ ministri eunuchi vocabantur, etiam si
Υ. 15. secti non essent.
MENOC. **Iuuenes optimos.** Hebr. *bonos*, sed per bonos pulchros in-
Υ. 16. tellige, eleganti scilicet forma.
LYRAN. **Vosque eritis.** Scilicet si conuertatur regnum in tyran-
Υ. 17. nidem: quod de facili fit, saltem in parte propter magnam
regis potestatem.

A **Vosque eritis ei serui.** Quasi dicat, ad summam seruitu-
tem redigemini.
Et clamabitis. Propter oppressionem quam vobis indu-
cet.
A facie regis vestri. Id est, propter regem vestrum, & ty-
rannidem, qua vos opprimet, clamabitis. Cald. habet, *Ab
ante regem vestrum*, id est, clam eo, neque enim gemitus li-
ber erit.

MENOC.

LYRAN.
Υ. 18.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad ultimum.

Vulg. Noluit autem populus audire vocem Samuelis,
sed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit super
nos.

Malu. Et renuerunt ad audire vocem, &c. non, quia si rex
erit super nos.

Arab. Noluit populus acquiescere consilio.

Vulg. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudi-
dicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pu-
gnabit bella nostra pro nobis.

Malu. Et cædet cæsiones nostras.

Sept. Bellabit bellum nostrum.

Cald. Vindicabit rex noster.

Vulg. Et audiuit Samuel omnia verba populi: & locutus
est ea in auribus Domini.

Cald. Ordinavit ea ante Dominum.

Syr Arab. Retulit ea coram Domino.

Vulg. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem
eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad
viros Israël: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

Pag. Regnare facies eis regem.

Malu. Et dixit ad homines, ambulauit vir vrbi suæ.

Sept. Recurrite vnusquisque ad, &c.

Syr. Ausculta voci eorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Locutus est in auribus Domini. Cald. *Ordinavit ea ante Dominum*, quasi populus furore percitus in verba tumultuaria, & incondita eruperit, quæ proinde Samuel tranquillatus in bonum aliquem ordinem reddiderit, priusquam ad diuinas aures retulerit. Vel ordinavit ea, hoc est ordine retulit quæcumque à populo audierat. *Audi.* *Syr.* *Ausculta*, verbum audio apud Latinos & verbum *שָׁמַע* *schamagh*, apud Hebr. propriè quidem significat percipere voces, figuratè autem obedire: priorem significationem in præcedenti versu, posteriorem in præsentis habet, & ideo *Syr.* vertit, *ausculta*.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Nequaquam.** Scilicet dimittet nos Deus exaudire si B
Υ. 19. regem habemus. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. **Egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra.** Hæc etiam
Υ. 20. fuit Israëlitis occasio Regis postulandi, vt scilicet eum in bello ducem haberent, præsertim cum bellum Ammoniticum instaret, vt patet ex cap. 12. sequenti num. 12. vbi Samuel sic populum alloquitur: *Videntes autem quod Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi. Nequaquam sed rex imperabit nobis.*

MENOC. **Locutus est in auribus Domini.** Dominum scilicet confu-
Υ. 21. lens quid deinceps facto opus esset.

LYRAN. **Vadat vnusquisque.** Hoc autem dixit Samuel, vt super
Υ. 22. electionem regis inquireret Domini voluntatem, à qua dependet regis institutio, secundum quod habetur Deut. 17. vbi de institutione regis dicitur: *Eum constitues regem quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Ad maiorem prædictorum euidentiam queritur, vtrum filij Israël peccauerunt petendo super se regem. Et Tom. IV.

arguitur quod non, quia petere illud quod est bonum simpliciter, & de dictamine rationis rectæ non est peccatum: gubernatio autem populi per regem est optima vt dicit Philosophus 3. Politicorum, & per consequens est de dictamine rationis rectæ, quæ magis respicit bonum commune quàm particulare, ergo, &c. Item illud quod conceditur lege diuina licitum est, quia nullum peccatum concedit, sed Deut. cap. 17. concedit lex diuina filiis Israël constitutionem regis vbi dicitur: *Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. &c.* Et sequitur: *Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit, ergo, &c.* Contra infra cap. 12. dicitur. *Sciatis & videbitis quia grande feceritis vobis malum in conspectu Domini, petentes super vos regem.* Ad hoc dicendum quod cum regnum sit optima politia, cæteræ gentes à filiis Israël petendo vel constituendo super se regem non peccauerunt, sed magis bonum egerunt. Filij autem Israël hoc faciendo peccauerunt, vt patet per verba Samuelis ad hoc allegata,

quæ habentur infrà cap. 12. & per consequens miraculum à Deo datum ad verificationem verbi Samuelis, vt ibidem habetur. Cuius ratio est, quia Deus populum Israël elegit sibi specialem & peculiarem præ cæteris populis secundum quod dicitur Deut. 26. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris*, & ideo voluit esse rex immediatus illius populi, propter quod & legem dedit ei in monte Sinai per seipsum, id est, per angelum in persona illius loquentem & non per hominem mediatorem: propter quod voluit homines gubernatores illius populi ab ipso immediatè institui, tanquam eius vicarij essent & non reges vel Domini: vt patet in Moysè & Iosué, & in iudicibus sequentibus, de quibus dicitur in lib. Iudic. Suscitauit eis Dominus talem vel talem iudicem, propter quod filij Israël fecerunt contra ordinationem Domini, petendo super se regem hominem mortalem, cum Domi-

nus hoc sibi retinisset & ad bonum populi: quia semper sic fecisset si populus ille in bona subiectione sub Domino sterisset. Ex dictis patet primum argumentum: quia si gubernatio regis optima est, sequitur quod melior est gubernatio habere regem Deum immediatè, quàm Deum est melior homine: & ideo contra istam ordinationem petere non est bonum, sed malum. Ad secundum dicendum, quod illud quod habetur Deut. 16. de constitutione regis, quantum spectat ad populum non fuit concessio proprie dicta, sed magis permissio, sicut repudium vxoris fuit permissum ad duritiam cordis eorum, prout dictum fuit Deut. 24. sicut tamen in repudio fuit præceptum, quod darent libellum repudij si repudiarent: sic in proposito si pertinaciter regem habere vellent, præceptum fuit quod de populo Israël haberent, & non de alio, vt ibidem dicitur.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS.

Saul, qui dum de perditis asinis consulit Samuelem, ab ipso intelligit, se regem fore Israël.

I.



T erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Israël melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum. 3. Perierat autem asinae Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum vnum de pueris, & confurgens vade, & quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, 4. & per terram Salisa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per terram Iemini, & minimè repererunt. 5. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni & reuertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis. 6. Qui ait ei. Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit, nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. 7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram. 9. (Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) 10. Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei. 11. Cumque ascenderent cliuum ciuitatis inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est Videns? 12. Quæ respondentes, dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodiè populi in excelsu. 13. Ingredientes urbem, statim inuenietis eum antequam ascendat excelsu ad vescendum, neque enim comesturus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum. 14. Et ascenderunt in ciuitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obuiam eis, vt ascenderet in excelsu. 15. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quàm veniret Saul, dicens: 16. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël: & saluabit populum meum de manu Philistinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. 18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis. 19. Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum Videns: ascende ante me in excelsu, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te manè: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. 20. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israël? nonne tibi & omni domui patris tui? 21. Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum? 22. Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati, erant enim quasi triginta viri. 23. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi vt seponeres seorsum apud te. 24. Leuauit

autem cocus armum, & posuit ante Saül. Dixitque Samuël: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocauit. Et comedit Saül cum Samuële in die illa. 25. Et descenderunt de excelsu in oppidum, & locutus est cum Saüle in solario, strauitque Saül in solario, & dormiuit. 26. Cumque manè surrexissent, & iam elucesceret, vocauit Samuël Saulem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül: egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuël. 27. Cumque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuël dixit ad Saül: Dic puero vt antecedit nos, & transeat; tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore.

Tigur. Heros fortis.

Malu. Præualidus strenuitatis.

Sep. Rom. Filius Abied, filij Iared, vir potens. *Addunt Reg.* Robore.

Cald. Vir virtutis.

Vulg. Et erat ei filius vocabulo Saül, electus & bonus: & non erat vir de filiis Israël melior illo, ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.

Pag. Altior erat omni populo.

Varab. Electus & pulcher.

Tigur. Iuuenis erat.

Malu. Excelsus de omni, &c.

Sept. Rom. Procerus, vir bonus, &c. excelsus super omnem terram.

Reg. Ingens vir bonus.

Cald. Non erat vir de filiis Benjamin qui pulcher ab eo.

Arab. Vir perfectus inter viros, quo non erat, &c. perfectior, eminebat statura omni populo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fortis robore, Alij, Potens vir virtutis. Licet nomen Heb. גבור *gubor*, significet vel quisquis est potens, vel imperio, vel opibus, vel viribus, tamen חיל *chail*, quod est posterius nomen determinatur ad significandam fortitudinem, seu potentiam in externis viribus consistentem. *Electus & bonus.* Alij, *Electus & pulcher, iuuenis.* Quæ verba licet de elegantia corporis intelligant, non renuo, quin etiam de præstantia mentis interpreteris. Nec Vulg. refragatur, quia electus, & bonus dicitur, non solum qui interna mentis præstantia, sed etiam qui externa elegantia corporis efflorescit.

Et non erat de filiis Israël melior illo. *Cald.* Non erat vir de filiis Benjamin qui pulcher ab eo. Quod eodem modo intelligi potest, ac in præcedentibus verbis. *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* *Sep. Rom. & Reg.* Excelsus super omnem terram. Sed eorum figurata est lectio, qui terram pro populo vsurpant, vnde in aliis Codicibus veteribus habetur, super omnem populum: hinc desumitur proceritas Saülis, qui ab humero, & sursum cæteris Israëlitis erat eminentior.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 1.** **E**T erat vir de Benjamin. Regimine iudicum terminato, hic consequenter agit de regno. Et 1. de regno labili Saülis. 2. de stabili, scilicet ipsius Dauidis, cap. 17. 3. transgressoris reprobatio, cap. 15. ibi: *Factum est autem verbum Domini.* Prima adhuc in 3. quia circa institutionem Saülis in Regem, 1. describitur ipsius electio. 2. electionis confirmatio cap. 11. 3. populi increpatio. cap. 12. Prima in duas, quia primo describitur Saülis electio secreta. 2. publica, circa medium 10. cap. ibi: *Et vocauit Samuël populum.* Prima adhuc in duas. 1. ponitur Saülis electio. 2. electi vntio, cap. 10. ibi: *Perierant autem a fine.* Circa primum sic proceditur. Quia primo habilitas Saülis ad regem, dum describitur: secundo à Samuële cognoscitur, ibi: *Perierant autem.* Tertio honorificè à Samuële suscipitur, ibi: *Assumens itaque Samuël.* Circa primum describitur aptitudo Saülis ad regendum, ratione patris sui, cum dicitur: *Erat vir de Benjamin nomine Cis.* Hoc dicitur, quia erat in toto populo Israël famosus.

Fily Sareth. Hoc non est de textu.

Fortis robore. Hoc dicitur ad denotandum fortitudinem Saülis, quia Fortes homines solent fortes generare. Consequenter ostenditur aptitudo Saülis ratione morum, cum dicitur.

MEN OC. *Iemini.* Id est, de tribu Benjamin. *Cald.* *Ex tribu domus Benjamin.*

LYRAN. *Et erat ei filius vocabulo Saül.* Quia erat famosus.

Y. 2. *Electus.* Sine macula notabili vitiorum.

Et bonus. Ratione morum, & virtutum.

Et non erat vir de filiis Israël. Ex quo notatur, quod

A non solum erat bonus, sed etiam excellentis bonitatis. Consequenter describitur eius aptitudo, cum dicitur.

Ab humero. In quo notatur fortitudo corporis, quæ multum est necessaria in regibus, & pulchritudo personæ, quod multum est decens in eis, secundum illud, species prima digna est imperio.

Et erat ei filius vocabulo Saül, electus & bonus. **ESTIVS.** Quomodo electus, qui postea legitur reprobatus? Item quomodo subditur; *Et non erat vir de filiis Israël melior illo?* An ergo ipse melior Samuële? Referunt quidam ad præsentem iustitiam, & electum intelligunt insigniter bonum, vt sit hyperbolica quædam commendatio probitatis eius, quomodo dicere solemus etiam Latine, de aliquo egregiè docto: Nihil illo doctius. Alij tamen malunt hæc omnia referre ad formam, & robur corporis. Vnde sic quidam vertit ex Hebræo; *Saül iuuenis erat, & pulcher, nec erat inter filios Israël illo pulchrior.* Cui interpretationi consentit quod sequitur; *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Et capite sequenti de corporis habitu loquitur Samuël, quando dicit ad populum: *Certe videris, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Scilicet animi affectionem populus videre non poterat.

Electus & bonus. Animi, & corporis dotibus egregiè ornatus.

Ab humero & sursum, &c. Facit proceritas corporis ad pulchritudinem, & maiestatem; nam parui concinni, & elegantuli esse possunt, pulchri non possunt. Vide Arist. 4. Et hic cap. 3.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 3. ad 6.*

Vulg. Perierant autem asinae Cis patris Saül: & dixit Cis ad Saül filium suum: Tolle tecum vnum de pueris, & confurgens vade, & quære asinas, qui cum transissent per montem Ephraim.
Malu. Et ablatae fuerant asinae: Accipe euge vnum de excussis, & surge.
Sept. Rom. Et surgite, & quærite.
Syr. Surgens itaque Saül abiit, secumque ducens vnum e pueris, abiit quæsitum asinas patris sui.
Vulg. Et per terram Salifa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim: & non erant: sed & per terram Iemini, & minimè repperunt.
Cald. In monte Ephraim, & transiuit in terra Australi, &c. transierunt in terra deserti, & non erant, transierunt in terram tribus Benjamin.
Syr. Cum transisset per terram carbonum, &c. transisset per terram vulpium.
Vulg. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saül ad puerum qui erat cum eo: Veni & reuertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis.
Pag. Ne fortè cessauerit pater ab asinis, & timeat nobis.

Vatab. Ne destiterit.
Malu. Saül dixit excusso suo, ambula & reuersi fuimus.
Sep. Rom. Ne omittens pater meus asinas, sollicitus sit quæ de nobis.
Reg. Ne dimittens quæ circa asinas, curas, curet de nobis.
Vulg. Qui ait ei. Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit, nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.
Pag. Vir honorabilis: Omne quod loquetur veniendo veniet, &c. quàm ambulamus.
Vatab. Vir clarus, insignis.
Malu. Gratus.
Sept. Rom. Homo honoratus, &c. eueniens aderit, & nunc eamus, &c. super quam ibimus super eam.
Reg. Homo gloriosus.
Cald. Ecce nunc propheta Domini in vrbe, &c. vaticinabitur veritatem, omne quod vaticinabitur, firmando confirmabitur.
Arab. Est vir venerabilis apud populum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS:

Sed & per terram Iemini. *Cald.* Transierunt in terram tribus Benjamin. Et licet aliqui velint totam ipsam terram Benjamin, tamen potius dicendum fuisse solam partem illius sic appellatam, à Iemini, sexto auo Saülis, neque enim tota terra quæ latior erat potuit perlustrari tam breui temporis spatio, nimirum trium dierum, quos Saül in conquirendis asinis collocavit. *Ne fortè parens dimiserit asinas.* Benè *Sep. Reg.* *Ne dimittens curas circa asinas. curet de nobis.* *Vir nobilis,* Alij, *Honorabilis, gloriosus.* Heb. נִכְבָּד *nichbad*, cui hæc omnia significata subiiciuntur: fuit enim Saül omni honore, & gloria dignus, & insignis nobilitate. *Omne quod loquitur sine ambiguitate venit,* Alij, *Veniendo veniet.* Id est, certissime veniet.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 §. 3.

Perierant autem asinae. Hic consequenter describitur A cognitio Saülis à Samuële, quæ facta est dupliciter. Primo per humanam inquisitionem. 2. per diuinam reuelationem, ibi: *Dominus autem reuelauerat.* Primum autem contigit eo quod Saül quærens asinas patris sui, & non inueniens venit ad Samuëlem, vt audiret veritatem. Et hoc est quod dicitur. *Perierant autem.* Id est, timebantur perisse, non enim simpliciter perierant, quia postea sunt inuentæ.

Vade & quære. Ex quo patet humilitas Saülis, qui negotium humile, & laboriosum non recusauit.

MENOC.

Asina Cis. Illo æuo multus erat asinorum vsus in Palæstina, itaque vt boum armenta, ita asinorum alebantur, quorum multiplex erat vsus, & prouentus.

Pueris. Famulis.

MENOC.
 §. 4.

Salifa. Salifa Hæc Gen. 14. dicitur Bale, & Segor. Vide Hieronymum in Genesim.

Cum autem venisset, &c. Iste fuit atauus Samuëlis, vt habetur in principio huius libri.

Terram Suph. In qua erat Ramath Sophim.

Vir nobilis. Hoc dicitur propter dignitatem prophetiæ quod patet ex hoc quod sequitur. *Omne quod loquitur, absque ambiguitate venit.*

Nunc ergo eamus illuc. Id est, de asinis, propter quas fiebat via illa.

Vir nobilis. Inclutus, cuius sapientiæ, & prophetiæ fama vulgata est, in Heb. & Cald. est *honorabilis.* LXV. *gloriosus,* seu, *illustris,* & *uolens.*

Sine ambiguitate. Id est, certissime.

De via. Id est, de causa viæ.

Samuël vocatur *vir nobilis,* non tam natalibus, quàm prophetia, & iudiciaria dignitate: famosus quoque, & illustris rebus benè gestis, vt domitis Palæstinis, pace, & otio Reipublicæ partis, &c.

VARIETAS LECTIONVM *Verf. 7. 8. & 9.*

Vulg. Dixitque Saül ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitariis nostris: & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud.

Pagn. Panis abiit de vasis nostris, & munus non est vt afferamus viro Dei, & quid est nobiscum?

Caiet. Et sportulam non habemus, quid cum nobis?

Malu. Quid venire faciemus viro, quia panis abreptus fuit, & donarium non ad venire facere viro, quid ad nos?

Sep. Rom. Et plus non est nobiscum ad afferendum homini, quod est nobis?

Reg. In hoc quod superest nobis.

Cald. Et ecce ibimus si accipiens Mamon quid inferemus prophetæ? & quidquam quod placens non est ad infe-

rendum prophetæ Domini?

Vulg. Rursum puer respondit Saüli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.

Mont. Quartum sici argentei.

Malu. Addidit excussus, &c. & annuntiabit nobis.

Cald. Inuenta Zuza vna argenti.

Syr. Quadrans.

Vulg. (Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad videndum. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.)

Pagn. Quando ibat ad inquirendum Deum.

Tigur. Qui inquisiturus Deum proficiscebatur.

Malu. Faciebus in Israël, sic dixit vir in ambulare eum ad

quare Elohim, ambulate, & ambulauimus vsque ad videntem.
Sept. Rom. In eundo ad interrogandum Deum, veni, &

eamus ad videntem quoniam prophetam vocabat.
Cald. In antiquis sic dixit vir, cum antea ambularet ad quarendum doctrinam ab ante Dominum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Panis defecit Alij, Abiit, recessit. Hæc enim significat אֶזַל *azal*, quod autem defecit dicitur quodammodo abiisse, & recessisse. De *sitarciis nostris*, Alij, De *vasis, peris*. In Hebr. est מִכְלֵינוּ *michelenu*, hoc est, de vasis nostris, כֶּלִי *cheli* enim significat vas. In Græco autem ἐν τῶν ἀγγέλων ἡμῶν, hoc est, de sacculis nostris. Et non habemus sportulam, Alij, Munus. Heb. est תְּשׁוּבָה *thesurab*, id est, munus vel oblatio, à verbo שׁוּר *sur*, quod aliquando significat donare seu offerre. Dixit autem Interpres sportulam quæ loco muneris offerenda erat, *Sept.* magis expriment Saülis inopiam dicentes. Et plus non est nobiscum ut offeramus homini. Quarta pars stateris argenti, Alij, Sicli. In Heb. est שֶׁקֶל *sachel*, siclus enim, & stater pro eodem sumuntur. Vadens consulere Deum, Alij, Ad inquirendum, interrogandum, sciscitandum, quod idem est.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 v. 7.

Quid feremus. Credebat enim Saül quod non indicaret eis gratis, vel fortè erubescere apparere in conspectu eius absque aliquo xenio. Vnde subditur.

Et sportulam. In Hebræo habetur. Et xenium non habemus. Et in idem redit translatio nostra: quia sportula est vasculum in qua ponitur fructus vel aliquod huiusmodi ad xeniandum, & sic accipitur hîc continens pro contento.

ESTIVS.

Panis defecit in sitarciis nostris. Vox Græca ἀνάγκη, annonam militarem significat, & peram in qua cibus poni consuevit. D. Aug. tract. de Cantico nouo cap. 2. bis vitur hoc vocabulo, semel in plurali, semel in singulari, adducens scilicet illud Apostoli. Habentes victum, & amicum his contenti sumus. Vide etiam apud Hieronymum. in proemio super Matth. in vita Malchi, & super Epistolam ad Titum cap. 3.

MENOC.

Quid feremus ad virum Dei? Non tanquam diuinationis pretium, sed vt munusculum in signum obseruantia.

In sitarciis. Setarcia propriè est annona, & illa præsertim, quæ militibus datur stipendij loco. Hic tamen sitarcium est pera, in qua panem, caseolos, & huiusmodi ad victum in itinere necessaria ferebant, quare Heb. & Sep. habent, in vasis.

Sportulam. Sportula propriè fiscellam, aut cistam paruum significat, quia tamen in sportula demensa mittebantur, seu diarij cibi clientulis, hinc sportula diurnum victum significat, & simpliciter accipitur pro munere, quia ferè munuscula, quæ inter amicos militantur de rebus sunt ad victum, & vt sic dicam, ad sportulam pertinentibus.

TIRINVS

Quid feremus ad virum Dei?] An ergo talis erat de Samuèle opinio, vt non putaretur gratis officio suo fungi velle? Ita ex sententia Hebræorum sentit Iosephus, S. Hieronymus, & Theodoretus. Sed indignum hoc, nimisque probrosum viro tam integro, tam continenti. Quare dico, Saülem quæsiuisse munusculum Samuëli, non vt pretium diuinationis aut prophetia, sed vt signum subiectionis, & obseruantia erga superiorem suum. Quomodo nemini ad Persarum reges vacuis à dono manibus accedere licebat, ita Caes. & Sanctius. Vnde & modestiam notare est Samuëlis, qui cum iudex, & princeps esset totius populi, sic tamen sese gerebat, vt neminem accedere volentem puderet cum munusculo quantumcumque vili, & te-

nui accedere, verbi gratia cum modico panis è sitarciis; vel simili xenio in sportula, vel quarta parte stateris, argentei, id est, denario, seu drachma vna, quæ æquiualeat regali argenteo Hispanico, vel vni Julio Italico. Longè aberat Samuël, vt à subditis optima quæque sibi dono offerri iuberet; longius, vt immania imponeret tributa ad domos eburneas excitandas, ad regias mensas fouendas, longissimè vero, vt agros, vineas, messes decimaret, raperet, vi faceret suas, quod nonnulli regum subsecutorum fecisse leguntur.

Nota. Sitarcia Græcis significant demensum illud quod vel militibus, vel operariis, in certos dies vel hebdomadas dari solet. Sed hîc metonimicè ponitur res contenta pro continente, nempe pro mantica vel sacculo viatorio cui tale demensum imponi solet. Sic è contra, sportula, quæ propriè vt sonat, est fiscella, aut cistula, accipitur hîc, & alibi passim pro xenio, seu munere, sportula contento. Sic in iure vocantur sportulae illa donaria quæ iudicibus offerri solent à litigantibus, quia motis erat ea in sportulis offerre, ita Abulensis.

Ecce inuenta est, &c. Puer enim Saülis propter verbum magistri sui posuit manum ad bursam, & inuenit quartam partem stateris argenti, id est, quartam partem sicli: quia stater, & siclus idem sunt. Siclus autem 20. obolos valet vt habetur Exod. 20. & sic quarta pars stateris valebat quinque obolos, vel secundum alios sex obolos, quia secundum eos siclus Sanctuarij habebat viginti obolos tantum: siclus autem communis 24.

Ecce inuenta est in manu mea pars stateris, demus homini Dei. De hoc loco sic Hieronymus super Micheæ 3. Narratur quidem Saülem hoc dixisse ad puerum non tamen scriptum est, quod Samuël acceperit, aut quod illi obtulerunt. Quin potius, inquit, à Propheta pascuntur, & inuitantur ad prandium. Ac deinde ait: Sed fac eum accepisse: Stipes magis æstimandæ sunt tabernaculi, quam munera prophetia. Hæc Hieron.

Quarta pars stateris argenti. In Heb. est, quarta pars sicli, quæ regali vni Hispanico æquiualeat.

Olim in Israël sic loquebatur unusquisque. Istud non fuit dictum à puero Saülis, sed ab eo qui scripsit librum istum, vt dicunt Hebræi. Beda autem dicit quod fuit appositum ab Esdra, quando legem à Caldæis combustam reparauit. Cætera patent vsque ibi.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 13.

Vulg. Et dixit Saül ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.

Malu. Dixit excusso suo: Bonum verbum tuum, ambula, ambulauimus, & ambulauerunt.

Arab. Rectum quod dixisti, &c. vbi erat propheta Domini.

Vulg. Cumque ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hîc est videns?

Arias. Iplis ascendentibus in ascensu ciuitatis.

Malu. Inuenerunt excussas, &c. An existentia in isto videntis?

Vulg. Quæ respondentes, dixerunt illis: Hîc est: ecce ante te, festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excello.

Arias. Ecce ad facies tuas.

Malu. Quia die venit vrbi.

Sep. Quoniam sacrificium, &c. in Dama.

Cald. Quia posuerunt oblationem sanctitatum hodie in domo confessus.

Arab. Si quidem gens ciuitatis nostræ sacrificium habet

LYRAN.
 v. 8.

ESTIVS.

MENOC.
 LYRAN.
 v. 9.

in domo Dei.

Syr. In Bim.

Vulg. Ingressus urbem, statim inuenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum, neque enim comesturus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo ascendite, quia hodie reperietis eum.

Pag. Antequam ascendat in Ramath, ipse enim benedicet sacrificio.

Tigur. Ipse enim consecrat sacrificium.

Malu. Quia eum secundum diem, vel sicut hodie inuenietis.

Sep. Et post hæc comedunt hospites, &c. quia per diem inuenietis eum.

Cald. Antequam ascendat ad domum confessus, &c. namque ille benedicens super cibum.

Arab. Equidem ipse est qui de benedictis sacrificiis incipit comedere.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia sacrificium est hodie populo. *Cald.* Quia posuerunt oblationem sanctitatum. Heb. est זבאח zebach, quod non ad aliam significationem quam proprii sacrificij detrahendum est, non autem vulgaris conuiuij, vt quidam sentiunt. *In excelsis*, Alij, *In bamach*. במח Bamach, excelsum significat, in quo si non ex lege, saltem ex privilegio sacrificium Deo offerri potuit. *Quia hodie reperietis eum.* Alij, *Sicut hodie reperietis eum.* Quasi dicerent, certum est hodiernum diem nobis illuxisse, ita certum est Samuëlem vobis obuiam proditurum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 12.

Quia respondentes dixerunt illis: &c. Istæ puellæ plura verba dixerunt Saüli, vt patet ex sequentibus, quia sicut dicit Rab. Sa. volebant eum aliquantulum detinere verbis, admirantes pulchritudinem ipsius.

Sacrificium est. Aliqui dicunt, quod erat tantum prandium paratum pro aduentu Saüli, quem præsciuerat Samuël, vt patebit in sequentibus. Alij autem dicunt, quod non solum fuit prandium, sed etiam hostia pacifica, de qua vna pars Domino offerebatur, reliquæ comedebantur ab offerentibus. Licitum autem erat tunc temporis offerre Domino sacrificium alibi quàm vbi erat arca, & tabernaculum, vt dictum est suprâ 7.

ESTIVS.

Sacrificium est hodie populo in excelsis. Quæritur, quomodo in excelsis fiebat sacrificium à Samuële, vel saltem præsentem Samuële, cum in lege vetitum esset, vt potest præcipit, in eo solo loco sacrificari, vbi esset tabernaculum? Respondeo, eo tempore Arca stabilem locum nondum habebat, sed frequenter transferrebat à loco in locum. Et proinde sacrificia, maxime votiua, quæ fiebant tantum ex deuotione, etiam alibi offerebantur, donec per Dauidem, & postea per Salomonem, accepit Arca stabilem locum in Ierusalem. Hieronymus per sacrificium, prandium intelligit. Heb. est, מאכילתו. Vide sequentia.

MENOC.

In excelsis. Quia quo tempore hæc agebantur nullus erat locus, in quo tabernaculum esset, aut domus Dei, quia licet structura antiqui tabernaculi adhuc staret, erat tamen ab Arca vacuum, quæ erat quasi forma, & vita tabernaculi; Arca verò à tabernaculo separata, Domus Dei appellari non poterat, hinc fiebat vt nullus esset sacrificiis destinatus locus, sed in locis sublimibus sacrificarent vsque ad Salomonem, qui templum edificauit. Itaque 3. Reg. 2. legimus; *Attamen populus immolabat in excelsis: non enim adificatum erat templum Domini vsque*

A in diem illum.

Sacrificium est hodie in excelsis.] Erat hoc excelsum extra urbem Rama, vrbi tamen vicinum, vt patet ex versu vigesimo quinto vbi dicitur, de excelsis descendisse in urbem.

Nota. Pro variis occasionibus, vt in Gedeone, Manue, & alijs vidimus, etiam Deo probante variis locis, erecta sunt varia altaria, in quibus non raro sacrificia offerri consueuerant, vt dixi iudicum ultimo. Vt plurimum tamen ad id deligi solebat locus non in valle depressus aut obscurus, aut arboribus opacus, more Gentilium, qui lucis ac tenebris gaudebant: sed in colle, aut simili loco sublimi, & excelsis: vnde & excelsum vocabatur eiusmodi locus, vt excelsum Gabaon. 3. Reg. 3. & alia alibi.

Quia ipse benedicit hostiæ. Modus enim erat Hebræorum ante prandium, & maxime de sacrificio oblato laudare Deum.

B

Quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt. Ita vtrumque verbum in præsentem efferunt, non in futuro Biblia Sixtina. Vbi quæritur, An ergo Samuël tantum Leuita posset hostiæ benedicere? Aut si prius oblata esset per sacerdotem, quorsum ergo noua benedictio? Respondeo, quod erat Hebræis consuetudo, sicut & nunc Christianis, cibum & potum benedicere; agitur autem hic de conuiuijo, quo prius Deo oblata, conuiuijo absuebantur, vnde & Cald. Paraphrastes habet; *Ipse enim diuisurus est vitimam.* Idem quoque hic liquet dum iubet dari Saüli armum, symbolum fortitudinis; quo etiam apud Homerum Agamemnon rex Aiacem præ cæteris commilitonibus honorauit Iliade 7.

Benedicit hostiæ. Gratias agit Deo ante prandium de hostia pacifica factum, & solita aliqua formula mensam consecrat. De qua consuetudine benedicendi mensæ, diximus in nostris æconomicis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. ad 17.

Vulg. Et ascenderunt in ciuitatem. Cumque illi ambularent in medio vrbs, apparuit Samuël egrediens obuiam eis, vt ascenderet in excelsum.

Pagn. Vt ascenderet in Bamah.

Cald. Ad ascendendum in domum confessus.

Arab. Ad locum conuiuij.

Vulg. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuëlis ante diem quàm veniret Saül, dicens.

Tigur. Indicauerat Dominus Samuëli.

Malu. Diem vnam faciebus venire Saül ad dicere.

Cald. Et ab ante Dominum dictum fuit die vno, &c.

Syr. Prædixerat.

Vulg. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum duce super populum meum Israël: & saluabit populum meum de manu Philistinorum: quia respexi populum meum,

venit enim clamor eorum ad me.

Mont. Secundum tempus erat.

Malu. Et vnges eum ductori super populum.

Sept. Rom. Sicut tempus, quoniam respexi super humiliationem populi mei.

Reg. Humilitatem.

Cald. Quia reuelata est ante me afflictio populi, &c.

Arab. Vidi populum meum angustiis deprehensum, & ascendit streptus eorum ad me.

Vulg. Cumque aspexisset Samuël Saülem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.

Malu. Ihuus respondit, &c. iste præualebit in populo meo.

Sept. Hic principabitur.

Cald. Ille transire faciet dominium meum à me.

Alij. Cohibebit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Reuclauerat auriculam Samuëlis, Alij, Indicauerat. Est enim in scriptura idem reuelare auriculam, ac aliquid alteri manifestare. *Venit enim clamor eorum*, Alij, *Humiliatio, afflictio*, quam ab iniquis iudicibus, filiis Samuëlis tolerabant, nec non à Philistæis. *Dominabitur populo*, Alij, *Præualebit, cohibebit*. Hebraicè est *יאבס* *iahsar*, id est, cohibebit, à verbo *גחסר* *ghatsar*, id est, cohibere & retinere, quamuis etiam propriè significet dominari.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Ψ. 14.** **A**pparuit Samuël. Quia de aduentu Saülis reuelationem habuerat, quantum ad diem, & horam determinatam, vt patet ex sequentibus.
- LYRAN.** **Ψ. 15.** **D**ominus autem reuelauerat auriculam Samuëlis, &c. Hic consequenter ostenditur quomodo Samuël cognouit Saül per diuinam reuelationem: non solum quantum ad personam, sed etiam quantum ad dignitatem regiam, ad quam Dominus ipsum elegerat, & præceperat Samuëli, vt vngeret ipsum in regem super populum Israël, & hoc est quod dicitur, *Dominus autem*. Loquitur scriptura more humano, quando aliquis reuelat secreta amico suo. Cætera patent ex dictis vsque ibi.
- MENOC.** **D**ominus reuelauerat auriculam Samuëlis. Reuelare autem Hebraica phrasi idem est quod reuelare, aperire, indicare, sic cap. 20. huius lib. Num. 13. Ionathas ad Dauid: *Reuelabo*, inquit, *aurem tuam, & dimittam te*.
- LYRAN.** **Ψ. 16.** **Q**uia respexi populum meum. Scilicet, oculo misericordiam. *Venit enim*. De afflictione facta per Philistæos. Ex quo patet, quod licet in populo Israël essent multi mali, tamen cum hoc erant multi boni, quorum preces erant coram Deo exaudite.
- Clamore eorum*. Id est, populi mei, Israëlitarum.
- Quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me*. At capite præcedenti vers. 18. negarat Deus auditurum se populi clamorem, cum in afflictione ad se clamarent. Respondeo. Cum clamarent à facie regis nimis duri, & violenti, negat se illos auditurum: id est, cum dure, & asperè habendi erunt à regibus, quos instar aliarum nationum sibi deposcebant: ipsis enim *quod intrinuerant merito excedendum*. Sed numquam negarat se populo suo ab externis hostibus afflictio vel periclitanti, cælesti ope affuturum: vt hic fiebat: iam enim eorum finibus imminabat *Naas* rex Ammon, & *Philistæi* præualebant Israël.
- Iste dominabitur populo meo*. In Hebræo habetur. *Iste retinebit populum meum*. Quia ad reges pertinet retinere populum, ne in bellis præcipitanter se ingerant, & etiam tempore pacis, ne iniuste contra proximos agant.

MENOC.
TIRINVSLYRAN.
Ψ. 17.

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 18. ad 21.

Vulg. Accessit autem Saül ad Samuëlem in medio portæ, & ait Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis?

Sept. Rom. Et accessit, &c. in medium ciuitatis, & dixit, annuntia nunc qualis est domus.

Reg. Quæ domus.

Arab. Vbinam est domus Prophetæ?

Vulg. Et respondit Samuël Saüli, dicens: Ego sum Videntis, ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te manè: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.

Pag. Ascende ante me in Bamah.

Cald. Ad domum confessus.

Arab. Ad conuiuium.

Vulg. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israël? Nonne tibi, & omni domui patris tui?

Pag. Et pro asinibus, quæ percunt tibi, hodie tres dies sunt, ne ponas cor tuum, &c. & cui omne desiderabile Israël?

raël?

Vatab. Cuius vero est omne desiderium?

Tigur. Ne sis anxius in corde tuo.

Malu. Et cui omnis expetitio Israël?

Sept. Rom. Et cui speciosa Israël?

Arab. Non nisi fausta tibi augureris. Et vero omnia expetibilia, & opes eorum iam tua sunt, & familiæ tuæ.

Vulg. Respondens autem Saül, ait: Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

Pag. De minimis tribubus Israël, & familia mea, &c. vt quid locutus secundum verbum hoc?

Malu. De paruis baculorum Israël.

Sept. Nonne viri filius Ieminaei ego sum pusilli sceptri tribus Israël, & tribus minimæ ex toto sceptro Benjamin?

Reg. Et cognatio mea paucissima?

Cald. Et profapia mea infirma, præ omni profapia tribu?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In medio portæ. *Sept. In medium ciuitatis*. Urbis medium hoc loco appellatur, quidquid intra urbis muros continetur, siue æquè distet ab extremis, siue non. Vnde illud in medio portæ, id est, extra primum ostium, quod intra murum iam continetur. *Vbi est domus videntis?* Alij, *Domus Prophetæ?* Prophetæ olim videntes dicebantur, quamuis postea paulatim abolito videntium nomine, solum superfuit nomen prophetarum. Fortassè quia hoc clarius erat, nam *ראה roeh*, id est videns à verbo *ראה raah*, id est, videre, internam mentis operationem significabat quæ erat ignotior, at vero *נביא nabi*, id est, Prophetæ, à verbo *נבא naba*, id est, prophetare, seu procul fari, hoc est, quæ adhuc procul sunt, significat externam quandam loquutionem, per quam facilius Prophetæ cognoscebantur. *Et cuius erunt optima quæque?* Alij, *Speciosa, expetibilia?* Heb. est *כל חמד* omne desiderabile, à verbo *חמד chamad*, quod est desiderare, concupiscere: expetibile autem erat regnum, quod optima quæque, & speciosa continet, quod ei prædicebat Samuël.

ANNOTATIONES.

MENOC. **P**ortæ. Scilicet urbis.

Ψ. 18. *Et omnia*. Aliqui exponunt de asinis quas quærebat, sed litera sequens non consonat, vbi dicitur.

Ψ. 19. *Omnia quæ sunt in corde tuo*. Quæcumque optas, & ex me querere vis.

LYRAN. *Et de asinis*. Ex quo videtur quod alia in corde Saülis versabantur. Dicitur enim in li. Heb. quæst. quod in som-

Tom. IV.

Bno viderat se esse in capite arboris palmæ, quæ visio signum regale erat, & de hoc cogitabat: ideo subditur.

Et cuius erunt optima? Id est, dignitas regia quæ potest accipere optima populi sibi subditi: maxime in necessitate, vt patet ex supradictis. 8. c.

Nonne tibi. Quasi diceret, sic: quia iam reuelatum erat sibi à Domino, ipsum regem futurum.

Y

Et omni domui, &c. Quia filius suus Isboseth successit sibi in regno septem annis, & Abner princeps militiae, & alij potentes de domo Saülis his temporibus potiti sunt bonis regni, & posteriores eorum habuissent, si Saul in bonitate sua steterisset.

MENO C. *Oprimo quaque.* Regnum intelligit, quod hominum opinione optimum existimatur & summum.

Tibi, & omni domui patris tui. Promissio hæc regni Saüli, & familiae eius facta, cum hac intelligenda est conditione, si diuinis paruerit præceptis, quod ita accipiendum esse patet ex cap. 13. Num. 13. cum ait Samuël: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc preparasset Deus regnum tuum super Israël in sempiternum.*

LYRAN. *Numquid, &c.* Id est, de tribu Benjamin, quæ tunc erat minima inter alias tribus Israël, quia pro peccato uxoris Leuitæ fuerat quasi ad nihilum redacta, prout dictum fuit Iudicum 21.

Et cognatio, &c. Ista dicit Saül ex humilitate, & quadam humana curialitate: quia pater Saül inter illos de tribu Benjamin erat famosus.

Quare ergo. Ex quo patet verum quod prædictum est, scilicet quod cogitauerat se ad dignitatem regiam sublimandum: quia verbum Samuëlis quod erat obscurum,

statim intellexit de dignitate regni, quamuis aliter posset intelligi. Nec oportet Saülem de mendacio ex humilitate dicto excusari, quia multa peiora fecit.

Filius Iemini. Idem est, quod Beniaminita, de tribu Beniamin.

De minima tribu Israel. Minima non solum quia orta ex Benjamin, qui minimus erat inter filios Iacob, sed multo magis, quia propter bellum cum aliis tribubus, de quo Iud. 20. ad paucitatem erat redacta.

Novissima. Hebr. *Minima.* Cald. *Infirmissima.* Septuaginta *paucissima.*

Filius Iemini. Id est, ex tribu Ben-Iemina: quam hæc vocat omnium tribuum *minimam*, scilicet numero capitum, nam propter infandum scelus quod in uxorem Leuitæ admiserant in Gabaa, penè excisa fuerat tribus Ben-Iemina Iud. 20. adeo ut vix nomine inter tribus cæteras exinceps censeretur. Cum enim diuulsæ essent decem tribus, & secutæ Ieroboamum, & duæ tribus adhererent Roboamo, scilicet *Iuda, & Benjamin*, 2. Par. 11. neque tribus Benjamin vnquam diuulsæ fuerit à tribu Iuda: passim tamen omnibus ferè Scripturæ locis dicitur *sola tribus Iuda* secuta domum Dauid, verbi gratia 3. Reg. 11. & 12. & 4. Reg. 17. & alibi; Ben-Iemina tribu nomine suo quasi exuta, & tribu Iudæ inserta.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 24.

Vulg. Assumens itaque Samuël Saülem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati, erant enim quasi triginta viri.

Mont. Introduxit in cœnaculum.

Malu. Cubiculum.

Tigur. Cameram.

Malu. Fecit venire eos eos in exedram.

Sep. Rom. In diuerforium, & posuit eis ibi locum in primis vocatorum circiter 70. virorum.

Reg. Quasi triginta virorum.

Cald. Introduxit ad confessum.

Arab. Introducens eos domum, euexit eos ad domum conuiuij.

Vulg. Dixitque Samuël coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi ut reponeres seorsum apud te.

Mont. Pone eam tecum.

Arias. Da distributionem quam dedi tibi.

Malu. Dixit mactatori.

Vatab. Lanioni.

Arab. Serua eam apud te.

Vulg. Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saül.

Dixitque Samuël: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saül cum Samuële in die illa.

Pag. Leuauit armum, & quod erat super eum, &c. quia pro hoc tempore seruatum est tibi dicendo, populum inuitaui.

Arias. Posuit ad facies Saül: Ecce residuum, pone ad facies tuas, &c. quia in tempus statutum seruatum est.

Malu. Leuauit mactator coxam, &c. quia stationi obseruatum est tibi.

Sep. Rom. Et coxerat coquus armum, &c. ecce quod remansit, &c. manduca, quoniam in testimonium positum est tibi præter alios; carpe.

Reg. In testimonium positum est tibi & populo.

Aquil. Pernam seu tibiam.

Aly ex Caiet. Caudam.

Cald. Extulit armum, & femur eius.

Syr. Cum tulisset crus, cum parte ei imminente iam pridem tibi reseruatum est.

Arab. Sic pransus est Saül cum Samuële.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In triclinium, Alij, In cœnaculum, diuerforium. Locum in quo conuiuia parabantur, siue sedendo, siue cubando, licet triclinium secundum ethymologiam significet locum trium lectorum, in quibus recumbitur. Erant quasi triginta viri. Sep. Sixt. Circiter 70. viri. Nec est pugna, vel quia in Vulg. recensentur quidem 30. sed plures non excluduntur, vel quia præter illos 30. nobiliores ac præstantiores, vnum in locum congregatos, de quibus agit Vulg. erant adhuc alij 40. inferioris notæ, alio in loco seorsum conuiantes, quorum etiam meminere Sep. Sixt. *Leuauit armum*, Alij, *Coxam, pernam, &c.* Sed Hebr. est שוק sok, quod propriè armum significat; tamen aliquando etiam pro tibia sumitur, sed hæc pro armo. Sed si dixeris armum cedere de pacificorum hostiis in primitias sacerdotis, verum equidem de dextro, non de sinistro, qui datus fuit Saüli.

Comede, quia de industria seruatum est tibi. Sep. Reg. explicant, cur armus seruatus ei fuerit, dicentes. *In testimonium positum est tibi à populo.* Hoc est in signum tui honoris, & in discrimen tui à populo, neque enim illud à populo significat, armum à populo seruatum fuisse, sed seruatum in distinctionem Saüli à populo, ut clarius patet ex Sixt. *In testimonium positum est tibi præter alios.* Hoc est, ut te ab aliis discriminaret.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Assumens itaque.* Hic consequenter ostenditur qualiter Saül à Samuële fuit honorificè susceptus tanquam rex de proximo futurus, cum dicitur.

Introduxit eos in triclinium. Triclinium propriè loquendo, est camera in qua sunt tres ordines lectorum, hic autem accipitur pro loco in quo sunt tres ordines sedentium ad comedendum, scilicet maiorum, mediocrium, & minorum: quia antiquitus homines sedendo in lectis, comedebant. Vnde, & in sacra Scriptura comedentes frequenter

dicuntur recumbere vel accumbere.

Et dedit eis locum. Id est, in principali loco trium ordinum prædictorum.

Triclinium. Cœnaculum, locum conuiuio destinatum.

Da partem, quam dedi tibi. Quia ferculum nobilius, vel gratiosius fecerat poni ad partem, ut coram Saüle venturo poneretur: quia volebat cum præ cæteris honorare tanquam regem de proximo futurum, & iam à

Deo electum vt patet ex prædictis.

Ecce quod remansit. Ex quo dicunt aliqui, quod ante aduentum Saülis Samuël cum aliis iam erat in mensa: sed ipso appropinquante surrexit de mensa obuians ei ex reuerentia. Sed hoc non consonat literæ præcedenti, vbi dicitur: *Apparuit Samuël egrediens obuiam eis vt ascenderent in excelsum.* Ex quo videtur quod adhuc non ascenderat in superiori parte montis ad sacrificium offerendum, seu conuiuium celebrandum. Item ibi statim subditur, *Dominus autem reuelauerat, &c.* Vbi dicitur quod Dominus diem, & horam certam aduentus Saülis Samuëli reuelauerat, & ideo non est verisimile quod ante intraret ad mensam, cum ipsum vellet honorare in illo conuiuium quod paratum erat propter aduentum ipsius, vt dictum est, propter quod Ra. Sa. aliter exponit sc. quod illud

A quod dicitur hic, *Ecce quod remansit*, refertur ad numerum virorum, qui vocati fuerant à Samuële ad conuiuium, ita quod pro quolibet erat ferculum determinatum secundum quod debebant federe, & istud ferculum erat ultra illum numerum, propter Saül quem Samuël sciebat venturum: ideo subditur.

De industria seruatum est tibi. Id est, ultra numerum populi à me inuitati.

Leuanit. LXX. *וְיִשְׁעוּ אֵלֶיךָ* elixanit, coxit. Alij cum Vulgato nostro consentientes habent *וְיִשְׁעוּ, leuanit, tulit.*

Armum. De industria armum seruari iusserat Samuël, & Saüli apponi, vt hoc Symbolo intelligeret Principum esse fulcire Rempublicam, armus enim ea pars est corporis, quæ oneri supponi solet.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 25.*

Vulg. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saüle in solario, strauitque Saül in solario, & dormiuit.

Pag. Descenderunt de Bamah in ciuitatem, & locutus est, &c. super tectum.

Sept. Et strauerunt Saüli super solarium, & dormiuit.

Cald. Descenderunt de domo confessus, &c.

Arab. Descenderunt de conuiuium vbi pransi fuerant in ciuitatem, iam autem loquutus fuerat Samuël cum Saüle super domum de his quæ facere volebat.

Multi exemplaria Latina non habent. Strauitque Saül in solario, & dormiuit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Strauitque Saül in solario, & dormiuit. Ab Hebr. hæc desunt, imo à multis exemplaribus Latinis, tamen Septuag. Sixt. non habeant illud, & loquutus est in solario, habent tamen quæ sequuntur, *Strauit, seu strauerunt in solario*, quod ideo factum esse suspicatur Brugenfis, quia decepti Sept. similitudine verborum דָּבַר *dabar*, id est loqui, & רָפַד *rapad*, seu רָפַט *rapats*, id est sternere, hoc pro illo posuerunt, & pro loquutus est, dixerunt strauit, vnde Latini Interpretes (addit Lucas) Hebraicam lectionem, & Latinam coniungentes, transtulerunt simul, & loquutus est in solario, strauitque in solario. Nihilominus dicendum est non ex aliorum errore id contigisse, sed purissimam esse lectionem, & in emendatis ita reperiti. Imo & in Manuscriptis. Tria Manuscripta exemplaria nostro vsui concessa, ita habent: igitur in hoc solario, quod erat sublimior pars ædium siue tecto more nostro propter æstiuos calores qui fortasse tunc erant, strauit, seu lectum composuit Samuël Saüli.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET locutus.* Id est, in secreto loco, de quo autem sibi **B** locutus fuerit, non exprimitur: sed Hebræi dicunt, quod fuit de timore Dei & lege.

MEN OC. *In solario.* In suprema ædium parte, quæ solarium dicitur, quia soli exposita. Et ferè plana erat, vt in ea diuersari, fabulari, deambulare commodè liceret.

Strauitque Saül in solario, & dormiuit. Fortassè tempus æstiuum fuit, nec sine conopæi, aut papilionis alicuius velamento, nisi dicere velimus rusticanis laboribus duratum Saül, maiores delicias respuisse, & sub dio, quod aliàs non semel fecisset, cubare voluisse.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 26. & 27.*

Vulg. Cumque manè surrexissent, & iam elucesceret, vocauit Samuël Saülem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül: egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuël.

Pagn. Et fuit cum ascenderet aurora, vocauit ad tectum.

Mont. Et manicarunt.

Sep. Rom. Et factum est vt ascendit diluculum.

Reg. Vt ascendit crepusculum.

Cald. Et anticipauerunt, & fuit cum ascenderet manè.

Syr. Nam præteruertens.

Arab. Et aurora produisset.

Vulg. Cumque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuël dixit ad Saül: Dic puero vt antecedit nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

Pagn. Tu autem sta hac hora, & audire te faciam verbum Dei.

Mont. Tu sta sicut die.

Malu. Dic excusso, transtulit faciebus nostris, & audire feci te.

Sep. Rom. Descendentibus ad partem ciuitatis, &c. & audi.

Arab. Tu vero subsiste in loco tuo, vt indicem tibi quod reuelauit tibi Dominus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cumque descenderent in extrema parte ciuitatis. Extremam non habent Sep. *Tu autem subsiste paulisper*, Alij, *Secundum diem, sicut die.* Quidam hunc concipiunt sensum: Et tu sta feliciter, sicut hodie est dies festiuitatis esse hodiernum diem. Aliqui, *Et tu consiste ad tempus*, nonnulli, *consiste hoc ipso die*, hoc est, hoc ipso articulo diei, vel sedens, aut deambulans cum reuerentia audias oraculum diuinum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 27.

Dic puero vt antecedit nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini. Vt non possit audire verba mea.

A Transeat: tu autem subsiste paulisper, &c. Aliquantulum ante nos pergat. Septuaginta. transeat ante nos.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS.

Vngitur Saül in regem à Samuële: prophetat inter Prophetas: sorte declaratur rex: plerisque adgratulantibus: reliquis obloquentibus.

1.



Vlit autem Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem. 2. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in Meridie, dicentque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo? 3. Cumque abieris inde, & vltra transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. 4. Cumque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. 5. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philistinorum: & cùm ingressus fueris ibi urbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelsu, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes. 6. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. 7. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est. 8. Et descendentes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias. 9. Itaque cùm auertisset humerum suum vt abiret à Samuële, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. 10. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obuius ei: & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. 11. Videntes autem omnes qui nouerant eum heri, & nudius tertius, quod esset cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? num, & Saül inter Prophetas? 12. Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? Propterea verum est in proverbium: Num & Saül inter Prophetas? 13. Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsu. 14. Dixitque patruus Saül ad eum, & ad patruum eius: Quò abistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuëlem. 15. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuël. 16. Et ait Saül ad patruum suum: Indicauit nobis, quia inuentæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei quem locutus fuerat ei Samuël. 17. Et conuocauit Samuël populum ad Dominum in Maspha: 18. Et ait ad filios Israël: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego eduxi Israël de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos. 19. Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluabit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris: & dixistis: Nequaquam: sed regem constitue super nos. Nunc ergo stete coram Domino per tribus vestras, & per familias. 20. Et applicuit Samuël omnes tribus Israël, & cecidit fors tribus Benjamin. 21. Et applicuit tribum Benjamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saül filium Cis: Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus. 22. Et consuluerunt post hæc Dominum, vtrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi. 23. Cucurrerunt itaque, & tulerunt enim inde: stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum. 24. Et ait Samuël ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat rex. 25. Locutus est autem Samuël ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, & dimisit Samuël omnem populum, singulos in domum suam. 26. Sed & Saül abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filij verò Belial dixerunt. Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera; ille verò dissimulabat se audire.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Tulit autem Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt: & hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem.

Pag. Nonne, quia vnxit te Dominus super hæreditatem suam in ducem?

Vatab. Phialam.

Caiet. Colauit.

Sept. Rom. Et sumpsit, &c. Nonne vnxit te Dominus in principem super populum suum, super Israël, & tu principaberis in populo Domini, & tu saluabis eum de manu inimicorum eius? & hoc tibi signum, &c. *Reg. ut in Heb.*

Cald. Accepit vas vnctionis, &c. super possessionem suam ad existendum regem.

Syr. Arab. In rectorem populi.

Vulg. Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta

sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in Meridie, dicentque tibi: Inuentæ sunt asinæ ad quas ieras perquirendas, & intermissis pater tuus asinis sollicitus est pro vobis, & dicit, quid faciam de filio meo?

Pagn. In termino Benjamin, in Salchah, dimisit pater tuus negotium asinarum, & timet vobis, dicendo.

Mont. Verba asinarum, & sollicitus est de vobis.

Malu. In ambulante te die de coadstante mihi, inuenies &c. cum sepulchro Rachel.

Sept. Rom. Ad sepulchra Rachel in monte Benjamin salientes granditer, &c. & profundebat super vos dicens, quid faciam pro filio meo?

Reg. Saltantes grande, &c. dimisit curam asinarum.

Syr. Pavidus est pro te.

Arab. Sollicitus est de mora tua, & ait, quinam est filij mei status, & quomodo faciam de re ipsius?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Lenticulam olei: Alij, Phialam. Hebraicè est פך *pach*, à verbo פכה *pachah*, id est, redundare, fortè vertit *Vulg.* lenticulam à leniendo. Et liberabis populum suum de manibus inimicorum. Verùm hæc verba Hebraicè non habentur, neque in Codic. Græcis *Reg. & Compl.* neque in *Cald.* tamen non asserendum superflua, aut per inscitiam scriptorum textui inserta esse, sed potius à Septuag. (Rom. enim ea legunt) secundum incorruptos Codices adhibita, indeque à Latino Interprete translata. In Meridie, Alij, In *selsach*. Hebraicè quidem est בלצח *berselsach*, quod licet quidam dixerint esse nomen proprium, tamen noster vertit in Meridie. Et ratio est, vt suspicatur Burgens. quia צל *tsel*, id est umbra, & צח *tsach*, id est elatum, vnde צלצח *tselsach*, id est umbra: Et proinde vocabulum hoc sumitur pro Meridie in quo umbræ sunt minus obscuræ. Alij sequentes Græcos Codices interpretantur prædictum verbum saltando à verbo צלח *tsalach*, id est, insilire. Vnde Septuag. transferunt salientes grande, seu granditer. Et aliqui vt Chartusianus, & noster S. Bonauent. in lamentationes Ieremiæ legunt, Salientes magnas foueas, seu ad claras foueas, vt legit quidam Hebræus apud D. cit. Chartul. & Hug. Cardin. qui dicunt fortasse esse nomen proprium loci, sicut clarum vallem, quod planè in Hebr. non habetur. Hac tamen posita lectione sensus erit, inueniendos esse duos viros delectationis, seu exercitationis causa magnas foueas salientes, id est, saltu ab vna parte in aliam transmittentes, aut ab imo in summum superantes.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** Tulit autem Samuël lenticulam olei. Hic consequenter agitur de vnctione Saülis in regem. Et ponitur 1. vnctio ista. 2. certificatur per signa, ibi: Cum abieris. Circa primum dicitur.

Tulit autem Samuël, &c. Id est, vasculum factum de auro, vel argento, ad reponendum oleum vnctionis, vnde inungebantur reges, & Pontifices, & dicitur à leniendo.

Et deosculatus est eum. In signum amicitiae, & confederationis.

Et ait. Quia in hoc non sum, nisi minister eius.

Et liberabis. Et patet littera vsque ibi.

Quia vnxit te Deus in principem. Tota ista littera inclusiue non est de textu, sed ab aliquo antiquo Doctore fuit apposita per modum Glossæ, & postea inserta textui per ignorantiam scriptorum, sicut est in pluribus aliis locis. *Cautè lege.*

ESTIVS. Tulit autem Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius. Hieron. super Habacuc tria genera Christorum, id est, vnctorum, & vnguentorum explicans sic ait: inter cætera est & aliud vnguentum, quo reges vnguntur in regno, quod in duo scinditur. Si enim Dauid est, & Salomon, id est, fortis manu, & pacificus, cornu vngitur. Si vero Iehu, & Azahel sunt, perfunduntur lenticula. Vas autem fictile sic vocatur. Sic ille. Mirum tamen, quod Saülis non meminerit, posueritque Azahalem. Nam Azahalem lenticula perfusum scriptura non meminit, de Saüle autem hic apertissimum est.

MENOC. Lenticulam. Est vas olearium in eam figuram conformatum, vt granum lentis referat. Septuaginta vocant φαρον, ex quo noster videtur lenticulam appellasse, quia alioqui vox hæc vas apud Latinos non significat. *Vox Tom. I V.*

A Hebraicè פך *phac*, sono consentit cum קנה, & guttur, seu gutturnium significat, siue vas quodcumque ex quo liquor exit, nam radix פכה *phaca*, exire significat.

Deosculatus est eum. Osculum potius ex benevolentia ortum, quàm à lege, siue consuetudine, quæ seruari solet cum reges inaugurabantur.

Lenticula, Græcè *lecythus*, significat quodcumque vas oleo, aut alteri liquori effundendo aptum. Sic cornu designat omne vas, in quo liquor aliquis continetur, quacumque illud sit forma, quacumque ex materia. Neque inter cornu Samuëlis 1. Reg. 16. quo vnctus est Dauid, & lenticulam, qua hinc Saül, vllum fuit discrimen, neque plus olei in vngendo Dauide, quàm in Saüle absumptum, neque ex alio, aut maiore vase Dauid inunctus, quàm Saül: vt fusè probant Abulensis, & Sanctius.

B Nota, regum vnctionem, licet à nulla (quod sciam) lege in Scripturis imperetur, adhiberi tamen solitam passim etiam ante hæc tempora, vt colligitur ex parabola Iotham Iudic. 10. Ierunt ligna, vt vngerent super se regem. Quin & Deo iubente adhibitam hinc Saüli constat ex initio cap. 15. huius 1. lib. regum, vbi dicit Samuël ad Saül: Me misit Dominus vt vngerem te in regem. Sic & Dauid cap. 16. & Iehu lib. 4. c. 9. eodem iubente inuncti sunt: & alij omnes reges inungi consueverunt, & quidem, cum haberi poterat, oleo sacro, quod in tabernaculo asseruabatur, & quo summus sacerdos, seu Pontifex inungi debebat. Patet 3. Reg. 1. Sumpsit sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem. Designabatur autem hac ceremonia, non minus reges, quàm sacerdotes, Deo sacros, & celestium donorum vnctione plenos esse debere.

Cum abieris. Hic consequenter ponitur certificatio præ-

dictorum per signa, & primo huiusmodi signa prædicuntur: 2. de facto reperiuntur, ibi: *Itaque.* Circa primum dicitur. *Cum abieris.* Sed hoc dictum videtur implicare repugnantiam, quia Rachel sepulta est iuxta Bethleem, vt habetur Gen. 35. quæ est in sorte Iudæ. Hic autem dicitur in finibus Benjamin propter quod Ra. Sa. sic exponit. *Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel.* Id est, qui nunc sunt iuxta sepulchrum Rachel, sed quando inuenies eos, erunt in finibus Benjamin. Aliter potest dici, quod sortes Benjamin, & Iudæ, erant coniunctæ, & ideo erant iidem fines vtriusque, & ibi iungebantur.

MENO C. *Iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin.* Rachel

A sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, quæ est Bethleem quamuis autem Bethleem sit in tribu Iuda, fieri tamen potuit vt illius sepulchrum non longè distans à Bethleem esset in finibus Benjamin. Vel etiam dici potest *in finibus Benjamin*, significare locum illum tribus Iuda, vbi sese duarum tribuum termini contingunt, id est, in ipso duarum tribuum confinio.

In Meridie. Circa Meridianum diei tempus. Vel ita loquitur, quia tribus Iuda erat ad Meridiem tribui Benjamin.

Quid faciam de filio meo? Quasi dicat, timco ne mali aliquid illi acciderit.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 3. ad 6.

Vulg. Cumque abieris inde, & ultra transferis, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.

Pag. Et pertransibis inde, & venies vsque ad Elon, Thabor, &c. vtrem vini.

Malu. Et vtutabis de ibi, & ulterius, &c. vnus leuans trium orbium panis.

Sep. Rom. Tria vasa panum.

Cald. Ad planitiem Thabor, &c. qui ascendentes ad adorandum ante Deum.

Syr. Et perueneris ad therebintum Thabor. *Ita & Arab.*

Vulg. Cumque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

Pag. Salutabunt te cum pace.

Mont. Optabunt tibi in pace.

Malu. Postulabunt tibi paci.

Sep. Rom. Interrogabant te quæ ad pacem, & dabunt tibi duas primitias panum.

Cald. Duas tortas.

Syr. Qui incolumitatem tibi præcantes dabunt tibi placentas.

Vulg. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philistinorum: & cum ingressus fueris ibi urbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendantium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.

Pag. In quo sunt præfides Philistiim obuium habebis cœtum, &c. & ante eos erunt lyra, &c.

Mont. Occurres choro, &c. ad facies eorum Nebel.

Calet. Vbi præfidi Philistinorum.

Malu. Post hæc venies ad Ghibghac, Elohim, incurres funem prophetarum, &c. & faciebus eorum nablum, & fistula, & ij prophetare se facientes.

Sep. Rom. Vbi est statio alienigenarum, ibi Nasib alienigena.

Reg. Et ante eos naua.

Cald. Postea ibis ad collem vbi est Arca Domini, vbi duces Philistæorum, & erit intrante te in urbem, offendes cœtum scribarum descendantium de domo confessus, &c. & cymbala, & cytharæ, & illi canentes.

Syr. Occurres ferici prophetarum descendantium de Bim, &c. & sinistra prophetantium.

Arab. Venies ad domum Dei, quæ est in Rama incidet, &c. egredientium è domo Dei, habentium præ manibus fides, &c. & sinistra.

Vulg. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.

Pag. Requiescet super te Spiritus Domini, &c. & efficeris vir alter.

Mont. Prosperabit super te, &c.

Calet. Reficiet super te.

Varab. Irruet.

Malu. Perrumpet, &c. & verteris viro alio.

Cald. Manebit in te spiritus prophetiæ ab ante Dominum, & laudabis cum illis.

Syr. Fauebit tibi.

Arab. Ascendet super te.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

AD quercum Thabor, Alij, *Ad therebinthum, planitiem Thabor.* Vide Concord. v. 6. Gen. 12 & 23. v. 18. *Tres tortas panis.* Alij, *Placentas,* sed Sep. *Tria vasa panis.* In Heb. quidem est ככרוֹת *chicherot*, singulare ככר *chichar*, significat panem, seu frustum vel buccellam panis, quare non video vnde Sep. transtulerint תַּעֲוִיָּא אֲרָבָא, hoc est tertia vasa panum, nisi fortè sit loquutio intransitiua quemadmodum est illa, *Omne firmamentum panis conueriit, hoc est, omnem panem.* *Cumque te salutauerint:* Alij, *Rogabunt, vel optabunt in pace.* Frequens salutandi forma apud Heb. erat לֵרֵם לְךָ *salom lecha*, pax tecum, quo pacis nomine omnia bona præcabantur. *Duos panes.* Sep. *Duas primitias panum.* Fortè in maiorem Saülis reuerentiam, nam primitiæ Deo ac Regi offerebantur.

In collem Dei. Quisnam autem fuerit hic collis explicat Cald. *Ad collem in quo Arca Domini,* scilicet Cariathiarim, quia ibi erat hæc Arca: Alij probabilius asserunt fuisse Gabaa. *Vbi erat statio Philistinorum:* Alij, *Præfidi.* Ibi enim adhuc remanebant. *Gregem Prophetarum,* Alij, *Chorum, cunenum,* est enim כֶּבֶל *chebel*, quod hæc omnia significat, Alij, *Funes,* hoc est turmas. *Prophetarum descendantium,* Alij, *Scribarum.* Vnde plures volunt hic prophetæ officium non sumi pro vaticinante, seu prædicente futura, sed pro modulante, & laudante Deum. Hinc Cald. pro illis verbis, *ipsosque prophetantes,* legit, *Et canentes.* Et versu sequenti, pro illis, *Prophetabis cum eis,* vertit; *laudabis cum eis,* tum quia illa musicæ instrumenta, quorum hic mentio fit, non ad prophetandum, sed ad canendum, & laudandum requirebantur. *Psalterium & tympanum,* Alij, *Nablum, cymbala, &c.* Hæc instrumenta quæ habet Latinus Interpres, nota sunt, qualia autem fuerint apud alios incertum est, nec sollicitè inquirendum. *Insiliet in te Spiritus Domini,* Alij, *Irrumpet, &c.* Vide Conc. v. 6. c. 14. Iud.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **I**nuenient te ibi tres. Causa orationis, & sacrificij, quia tunc temporis erat licitum immolare Domino in excelsis, vt prædictum est 7. c.

MENO C. *Ad quercum Thabor.* Non est mons Thabor, hic enim est in tribu Zabulon, sed aut nomen est viri, qui quercus illius erat Dominus, aut loci nomen est, in quo sita erat quercus. Quidam pro quercu, quercetum habent, alij

B planitiem, quia Hebræa vox *Elon*, vtrumque significat. Sed D. Hieronymo consentiunt, & Septuaginta, & magis pertinet ad prophetiæ certitudinem vnicam arborem præmonstrari.

Ascendentes ad Deum in Bethel. Vt enim dixi capite superiori, numero duodecimo, sacrificabatur eo tempore in excelsis, & Bethel iam inde à tempore Iacob locus

religiosus censebatur, vt nomen ipsum ostendit, quod domum Dei significat.

Tres tortas panis. Videntur fuisse panes; vel in extremitate contorti, vel aliqua alia ratione. Isidor. 20. Ety. cap. 2. declarans crustulum diminutiuum nomen à crusta, qui sit panis oleo conspersus in medio concavus, & tortus, hæc, ait, & torta panis. Videtur torta panis esse Isidoro id quod appellamus Italicè *ciambella*.

LYRAN. *Post hæc, &c.* Dicit Ra. Sa. quod hic collis est Caria-thiarim, eò quod erat ibi arca Domini. Sed hoc non videtur verum, quia iam translata fuerat inde in Masphath per Samuelem, vt dictum est supra. Et ideo alij dicunt, quod erat locus, vbi manebant Prophetæ, & ideo videtur verum per ea quæ sequuntur postea, &c.

Vbi est, &c. Statio, prout hic accipitur, est fortalium, vbi ponuntur bellatores ad tenendum terram, ne possit rebellare. Et hoc modo fecerant Philistæi in terra Israël. Sed hoc videtur esse contra illud quod dictum est supra cap. 7. quod Philistiim non apposuerunt ultra, vt venirent in terminos Israël tempore Samuelis. Ad quod potest dici, quod non venerunt de vrbibus suis, sed illi qui positi erant in fortaliis, adhuc stabant ibi, & hoc consonat ei quod dicitur, infra cap. 14. Et percussit Ionathas stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa, quæ est ciuitas in terra Israël. Vel forsitan quia antea fuerat ibi talis statio Philistinorum, & nomen remanserat loco, licet pro tunc non essent ibi Philistæi: Primum tamen videtur verius & magis consonat textui, vt allegatum est.

Obuium, &c. Ex hoc videtur verum quod prædictum est, scilicet quod collis Domini vocatur locus, eo quod manebant ibi prophetæ, & vocantur hic prophetæ homines deuoti & religiosi, quos congregauerat Samuel ad laudandum Deum, & cum hoc habebant spiritum prophetiæ saltem aliqui eorum.

Et ante. Quia aliqua melodiæ excitant ad deuotionem vt patet per experientiam, & etiam ad prophetiam, vnde dicitur 4. Reg. 3. quod Helisæus cum quæreretur ab eo prophetia, dixit: *Adducite hic Psaltes.* & subditur. *Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini, &c.*

ESTIVS. *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Samuel intelligit illos, qui quarti Regum sexto vocantur filij Prophetarum, id est, Prophetarum discipuli, homines religioni & diuinis laudibus, sacrarumque literarum studiis mancipati, quos putatur Samuel congregasse in vnum; sicut tempore noui testamenti sunt congregationes religiosorum in Monasteriis, inter quos etiam quidam erant spiritu prophetiæ præditi, accepta futurorum & occultorum reuelatione, quemadmodum docet Theodoretus in 4. Regum 6. Nam & eiusdem 4. lib. cap. 2. dicitur de filiis Prophetarum, qui erant Bethel, & qui in Iericho, quod præsciuerint Eliam tollendum ex hominum conuersatione. Porro quod dicitur de his Prophetis, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiã, & cytharam, intelligendum est, quod utebantur his instrumentis musicis tum ad excitandum affectum deuotionis (quem usum & hodie habent, si conuenienter adhibeantur) tum ad excitandum spiritum prophetiæ. Vnde & Helizeus vaticinaturus ait: *Adducite mihi psaltes.* Et addit Scriptura: *Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.* Quod ergo hoc loco de Saule subditur: *Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis,* vt rouis modo intelligi potest. Vel hoc modo: Illi canent psalmos, & hymnos in honorem Dei & tu cum illis. Vel isto modo: Illi de rebus occultis, & futuris prophetabunt, & tu cum eis. Prior tamen sensus est probabilior.

A *In collem Dei.* Probabilior sententia est collem hunc Dei esse Gabaa, nam supra diximus Gabaa collem significare. Videtur *collis Dei* appellata, quod in ea esset collegium Prophetarum, de quo mox dicitur.

Vbi est statio Philistinorum. Militare præsidium Philistinorum ad continendos in officio Israelitas, institutum. In conditionibus enim pacis nuper inter Hebræos, & Philistæos initæ, ita vrbes reditutæ sunt Hebræis, vt præsidium in Gabaa, & fortasse in aliis etiam locis relinqueretur.

Gregem Prophetarum. Prophetæ in sacris literis illi vocantur aliquando, qui diuinis laudibus decantandis additi sunt, vt patet ex 1. Paral. 15. 22 & 24. eodemque lib. cap. 25. Num. 1. Horum autem cantorum quædam erant instituta collegia, vt in illis ad Dei laudes conuincendas, exercerentur, quale Collegium fuit in Colle Dei, siue Gabaa.

Psalterium. Hebr. est *Nablum*, sic & Cald. & Septuaginta, quamquam psalterium non vento pulsatur vt Nablum, sed digitis, plectroue. Vide Pagninum in radice 722.

Prophetantes Cantantes.

B *Veniens in collem Dei.* Hebraicè, in Gabaa, quod collem significat. Hæc ciuitas erat in colle sita, tribus Beniaminæ, in qua ciuitate natus & educatus erat Saul. Patet ex adiuncta hic statione seu præsidio militari *Philistinorum*, quam stationem Ionathas, filius Saul infra cap. 13. dicitur percussisse in Gabaa Benjamin. Ad distinctionem verò alterius ciuitatis Gabaa, vocatur hæc patria Saulis Gabaa seu *collis Dei*, vero similiter quia in ea erat cæterus & veluti schola Prophetarum, qualis erat etiam in *Naiorb*, in *Ramatha*, vt infra cap. 19. dicitur, itemque in *Bethel*, & *Iericho*, vt patet lib. 4. Reg. cap. 2. & 6.

C Petes, *Quinam dicuntur hic Propheta?* Respondeo, qui diuinis laudibus celebrandis vacabant. Patet ex 1. Paral. 15. vbi *Chonenias* dicitur præfuisse *prophetia ad præcendam melodiam*, & vocatur *princeps prophetie*, id est, melodiæ, inter cantores, & cap. 25. dicitur ex Dauid & magistratus politicus varios constituisse, qui prophetarent seu canerent in *cytharis*, & *psalteriis* & *cymbalis*. Ex quibus vel solis instrumentis patet hic agi non de *preuicatoribus futurorum aut absentium*, sed de cantoribus musicis & psaltis, ita *Caldæus* hic, *Abulensis*, *Lyranus*, *Caietanus*, *Tornelius*, *Hugo*, *Historia Scholastica*, & *Sanctius*. Quia tamen in eiusmodi prophetantium seu diuina psalterium collegiis erant etiam plerumque aliqui, qui diuino Spiritu afflati futura patrabant, hinc merito sanctus Augustinus, Theodoretus & sanctus Thomas putant hic agi de talibus propriè dictis Prophetis. Sed alterum est verosimilius.

D *Et insiliet.* Id est, spiritus deuotionis, vel spiritus prophetiæ, vt dicunt Hebræi.

Et prophetabis. Deum laudando, vel de occultis prophetando: vnde in lib. de Hebraicis quæstionibus dicitur recitando opinionem Hebr. quod prophetauit de bellis futuris Gog & Magog, & de præmiis iustorum & pœnis malorum.

Et muraberis. Propter dictum prophetizandi tibi aliàs insolitum.

Spiritus Domini. Sensus quidam pietatis à Deo immisus, quo moueris, & facultas, qua possis diuinas laudes cum Prophetis illis canendo exequi.

Mutaberis in virum alterum. Ex rustico scilicet & pecudum custode, psaltes factus, qui non incongruè prophetantium choro possit adijungi.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 7. 8. & 9.

Vulg. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

Caiet. Fac tibi quod inueniet, &c.

Tigur. Quæcumque inciderint in manum tuam,

Malu. Et erit, quia euenient signa ista tibi.

Tom. IV.

Sept. Rom. Fac omnia quæcumque.

Cald. Parata tibi vasa regni, quia dictum Domini in auxilio tuo.

Arab. Cum videris hæc indicia, fac quod facere te decet.

Vulg. Et descendes ante me in Galgala (ego quippe des-

X iiii

TIRINVS

LYRAN.
v. 6.

MEN OC.

cendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.

Pag. Ego descendo ad te ad offerendum holocausta, & ad sacrificandum sacrificia pacificorum.

Mont. Ad faciendum ascendere ascensiones, notificabo tibi, &c.

Caiet. Et scire te faciam quod facias.

Vatab. Vt offeram sacrificia gratulatoria.

Sept. Rom. Septem diebus differes.

Cald. Oblationem sanctitatum.

Syr. Victimam integram sacrificaturus.

Arab. Vt offeram tibi munera, & sacrificia perfecta.

Vulg. Itaque cum auertisset humerum suum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

Pag. Vertit ei Deus cor alterum.

Sept. Factum est vt conuertit se humero suo.

Cald. Et fuit cum respexit ad abeundum.

Arab. Mutauit Deus animum eius, & indidit ei mentem nouam, signis eodem die comprobatis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fac quacumque inuenerit manus tua. Arab. *Fac quod facere te decet*: vnde non dicitur quicquid voluerit aut potuerit, faciat, sed quod decet, & rectæ rationi fuerit congruum. Habetur Hebr. *Fac tibi*, sed illud *tibi*, potius pertinet ad Hebraismum, quàm ad aliquod proprium significatum. *Vt immoles victimas pacificas.* Cald. *Oblationem sanctitatum*, quia præcipuam sibi sanctitatem vendicabat. *Vatab. Victimam gratulatoriam.* Victimam enim illa pacificam in gratiarum actionem offerebantur. *Cum auertisset humerum suum vt abiret à Samuele.* Cald. *Cum respexit ad abeundum.* Hoc est vt prima corporis declinatione, seu in primo oculorum reflexu, seu cum primum carpendæ viæ se comparauit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q**uando ergo. Scias quod illa sunt vera quæ ego prædixi tibi de regno, ideo subditur.

7.

Fac quacumque. Id est, dispone te quantum potueris ad decenter & potenter regnandum.

LYRAN.

8.

Et descendes. Hic debet fieri punctus vt dicunt aliqui: vt habetur in lib. de Hebr. quæst. ita quod *ly septem diebus*, non notat tempus quo Samuel à Saule deberet expectari: sed tempus in quo pro Saule de nouo inuncto in regem deberent oblationes & sacrificia fieri sicut in consecratione summi pontificis fiebant septem diebus, vt habetur Exod. 29. Et Leu. 8. sed in Bibliis Hebraicis quas vidi non fit taliter punctus: sed *ly septem diebus*, coniungitur cum littera sequenti, sic: *Septem diebus expectabis; &c.* Liber etiam de quæstionibus Hebraicis super libros Regum negatur ab aliquibus esse Hieronymi, quorum rationes hic propter prolixitatem omitto. Andreas etiam dictum istorum impugnat, quia non habetur in aliquo loco scriptura, quod pro vnctione regum debeat talis solemnitas fieri septem dierum, nec legitur factum pro quocunque rege quantumcunque sancto vel magno, propter quod istud dictum videtur fictitium. Et ad hoc inducit quod habetur infra II. de inuolutione regni in Galgala, vbi dicitur. *Et fecerunt ibi regem Saul coram Domino, &c.* Ex quo videtur, quod si debuisset de vnctione Saulis fieri talis solemnitas, fuisset tunc facta, & non fuisset expectatum in futurum: in quo poterant per aduersarios impediri, & maxime quia Samuel erat præsens, per quem talia debebant fieri. Vnde hic vbi translatio nostra habet: *Ego quippe descendam ad te vt offeras oblationem, &c.* in Hebr. habetur. *Ad offerendum oblationem, &c.* Scilicet per me, tamen pro salute tua, & sic etiam exponitur translatio nostra à doctoribus nostris: Vt offeras & immoles, non per te, sed me, sicut & populus offerebat per sacerdotem. Propter quod iste Andreas aliter exponit. Ad cuius intellectum præponit vnum, scilicet quod in magnis negociis propter quæ in primis debebat, Deus placari sacrificiis, Deus volebat quod Saul aliquid faceret ab-

que præsentia Samuelis, qui pro eo offerret & ipsum dirigeret, & sic exponit litteram istam: *Descendes ante me in Galgala.* Id est, si contingat tibi casus in quo debeat placari Deus per sacrificia, descendes ante me in Galgala, vbi est locus orationis & sacrificij, & subintelligitur, & significabis mihi descensum tuum ibi: *Ego quippe descendam ad te vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas.* Id est, per me. *Septem diebus*, subintelligitur postquam recepero nuntium. *Donec veniam ad te*, ad offerendum pro te sacrificium & ad dirigendum. Sed hæc opinio non videtur bene concordare textui, quia ex modo loquendi & tempore videtur quod Samuel loqueretur Sauli non generaliter, nec indeterminatè pro quocunque casu arduo indeterminato futuro, sed pro casu determinato & imminente, scilicet vt post publicationem electionis ipsius in regem descenderet in Galgala, vt ibi Samuel pro eo offerret sacrificium & doceret eum de modo gubernandi regnum suum: quia hoc maxime indigebat in principio regni sui, & quod Samuel tempus descendendi in Galgala sibi determinauit, licet non sit hic expressum, quia non omnia hic exprimentur: dicens quod eum expectaret septem diebus: hoc dixit Samuel, quia nesciebat vtrum Dominus circa illud tempus occuparet eum in alio negotio, ita quod non posset venire ad Saul ita citò. In quo autem peccauerit Saul transgrediendo verba ista Samuelis, dicitur infra cap. 14. vbi habet locum.

Itaque. Hic consequenter describitur euentus signorum prædictorum prout dixerat Samuel, & patet littera ex prædictis vsque ibi.

Quacumque inuenerit manus tua. Quidquid ex usu esse cognoueris, vt creditum tibi munus Principis impleas.

Cum auertisset humerum suum. Vt ij faciunt, qui iam abeunt.

Immutauit ei Deus cor. Animum regium, & principis muneribus partem inspirauit, confirmans illum *spiritu principali*, vt loquitur S. Dauid.

VARIETAS LECTIIONVM. à Vers. 10. ad 13.

Vulg. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obuius ei, & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.

Pag. Requieuit super eum Spiritus Domini.

Alij vt versu 5. & 6. Caiet. Cantauit.

Vulg. Videntes autem omnes qui nouerant eum heri, & nudius tertius, quod esset cum Prophetis, & prophetaueret, dixerunt ad inuicem, quanam res accidit filio Cis, num & Saul inter prophetas?

Pag. Quid hoc fuit filio Chis?

Sept. In medio prophetarum, numquid & Saul in prophetis?

Cald. Et ecce inter scribas laudans, an etiam Saul in scribis?

Vulg. Responditque alius ad alterum dicens, & quis est pater eorum? propterea versum est in prouerbium, num & Saul inter Prophetas?

Malu. Super sic fuit in prouerbio.

Sept. Et quis pater eius: in parabolam.

Arab. Factus est Saul in numerum prophetarum.

Vulg. Cessauit autem prophetare, & venit in excelsum.
Mont. Et consummauit à prophetando, & venit ad Bahmah.
Sept. Rom. Et venit in collem.

Cald. Cessauit à laudando, & intrauit ad domum confessus.
Arab. Absoluta vaticinatione eaque finita, & Saule è loco sacrorum egresso.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET prophetauit. *Cald. Laudauit, Caiet. Cantauit:* Vnde cum prophetare non solum sit res absconditas patefacere, sed etiam diuinas laudes decantare, vt vidimus, vtrouis modo prophetare potuit Saul, *Et quis pater eorum?* *Sept. Et quis patet eius?* Sed facilis est conciliatio. *Vulg.* enim loquitur de Cis & Saule, vnde dicit, quis pater eorum? *Sept.* autem loquuntur de Saule, vnde transferunt, & quis pater eius? *Hugo Card.* aliam adducit lectionem, nempe & Cis pater eius, sed hæc cum nec in Hebraicis, neque in Græcis, neque in probatis aliis codicibus reperitur, curanda non est. *Cessauit autem prophetare;* *Alij, Consummanit.* Hebr. כלה ויביל, à verbo כלה calah, quod non solum cessare, sed etiam complere, seu perficere significat: *Venit ad excelsum;* *Alij, Ad domum confessus, conuiuij,* non quidem profani, sed sacri, nam ad illum locum adorandi, & sacrificandi causâ homines confluabant.

ANNOTATIONES.

MENOC. *INSILUIT IN EUM SPIRITUS DOMINUS.* Explicatum est hoc A num. 6.

LYRAN. *Y. IO. Y. II.* *Quanam, &c.* Hoc dicebat admirando, quia Saul erat magnus & robustus, & dispositus ad bellandum, & non ad laudandum Deum cum Religiosis, vel prophetandum cum prophetis.

MENOC. *Heri & nudius tertius.* Qui ante illum non erant.
Num & Saul inter Prophetas;] Tam rusticus, tam incultus, tam peritè iam tractat musica instrumenta?

LYRAN. *Y. II.* *Et quis pater eius?* Quasi diceret, Cis pater eius non est propheta, nec ad hoc dispositus, quasi diceret, nec iste deberet esse. Per talem modum loquebatur Amos 7. Non sum propheta, nec filius prophetæ, sed pastor armentarius, &c. In Hebr. habetur, quis patreorum? & sic refertur ad sensum oppositum: vt dicit Ra. Sa. sic exponendo, quis pater eorum, scilicet prophetarum. Quasi diceret propheta non habetur per successionem paternam, sed Deus eam dat sua gratia cuicumque voluerit & ideo non est mirandum, si iste habet donum prophetiæ, dato quòd pater eius Propheta non fuerit, vel alius de genere suo.

Propterea. Id est, vulgare verbum, vel exemplare.

Num & Saul. Quia quando alicui ex insperato dabatur donum prophetiæ, vel aliquid huiusmodi, dicebatur hoc verbum; *Num & Saul, &c.* Quasi dicat, non est mirum

si detur isti sicut datum fuit Sauli. Cætera patent vsque ibi.

Et quis pater eorum? Quasi dicat, quis eorum magister (magistri enim scripturarum phrasi, patres dicuntur) quemadmodum ergo reliqui Deo magistro in laudes Dei, & aliquando in prophetiam rerum occultarum diuinitatem erumpunt, ita Saul eodem doctore vti potest. Vel sensus est, non mirum si Saul rusticis parentibus natus, in Prophetarum choro canit, cum & ipsi Propheta non nobilioribus, aut doctioribus parentibus, quàm Saul orti sint, quia scilicet prophetandi spiritus, & facultas ab alio, quàm à parente deriuatur.

Et quis pater eorum?] Scilicet Saulis & famuli eius, & forte etiam aliorum quorundam qui se illi ex via socios iunxerant, & simul cum ipso prophetabant: vt pluribus accididisse etiam impiis, legimus infra cap. 19. Stupent ergo & attoniti quarunt, vnde illis hæc ars & scientia: quasi dicant: Non habent eam à parentibus ignaris musicæ, rusticis, incultis, & longe alienis ab omni ingenua atque urbana disciplina. Vnde res admiratione est plena, & prodigio similis, nec nisi de celo profecta, quòd filij illorum iam ad psalterium & sonos musicos rusticam manum suam & agrestem vocem tam concinnè, tam suaviter attemperant, ita Hugo, Caietanus, & Lyranus.

In excelsum. In Gabaa.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. ad 19.

V*Vulg.* Dixitque patruus Saul ad eum, & puerum eius: Quò abistis? Qui responderunt: Quærare asinas: quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem.

Pag. Et vidimus quòd non essent.

Malu. Et ad excelsum eius, quo ambulauistis?

Sept. Rom. Dixit propinquus eius.

Arab. Samuelem prophetam adiuiimus.

Vulg. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.

Vulg. Et ait Saul ad patruum suum: Indicauit nobis quia inuenta essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

Pag. Indicando indicauit nobis.

Mont. Super negotium regni non indicauit ei.

Vulg. Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Maspha.

Malu. Conclamauit.

Sept. Condixit vniuerso populo.

Vulg. Et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israël de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos.

Pag. Ascendere feci vos de Ægypto, &c. & de manu omnium regnorum, & eorum qui opprimebant vos.

Sept. Ex omnibus regnis tribulantibus vos.

Arab. Ex manibus omnium regnorum quæ persecuta sunt vos.

Vulg. Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluabit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris: & dixistis: Nequaquam: sed Regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & familias vestras.

Pag. Qui seruat vos ab omnibus malis & angustiis vestris, &c. & per millia vestra.

Caiet. Abominati estis.

Tigur. Secundum chiliades vestras.

Malu. Vos fastidiuistis Elohim, nunc state baculis vestris, & millibus vestris.

Sept. Spreuistis, &c. nequaquam, sed quia regem constitues super nos, & nunc state secundum scepra vestra.

Cald. Spreuistis doctrinam Dei vestri, & dixistis ante eum non sumus seruati.

Alij. Millia, scepra, quæ omnia parum differunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dixit patruus Saul. Sept. Dixit propinquus. Hebr. est דוד *dod*, id est amicus & patruus, vnde lectio Sept. Sixt. priori significationi insistens vertit *amicus*, id est, propinquus, seu domesticus, ac amicus: at vero alij Codices Græci posteriorem significationem sequuntur, & vertunt *patruus*, vel patris frater: *De manu omnium regum qui affligebant vos*; Alij, *De manu omnium regnorum, &c.* Neque enim soli reges sed omnes eorum vires ad oppugnandos Hebr. concurrebant. *Proieciſtis Deum vestrum*; Alij, *Spreuiſtis*, Hebr. מֵבַסְתֶּם *mehastem*, à radice *מָבַס* *maas*, quod non solum significat proicere, sed etiam contemnere, imo & abominari. *Et dixiſtis, nequaquam.* Cald. *Et dixiſtis, ante eum non sumus seruati*, vnde illud in Vulg. *Nequaquam*, potest habere hunc sensum ex Cald. *Nequaquam à Deo tam multa beneficia accepimus, cum ab eo non fuerimus seruati.*

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **DE** sermone, &c. *indicauit, &c.* Vt euitaret iactantiam, & humilitatem seruaret, & etiam fidelitatem secreti. Samuel enim vixerat cum secreto; propter quod puerum Saul fecit prære, ne audiret verba eius, vt supra dictum est: & ideo voluit tenere secretum, & debuit, quovisque negotium publicaret.
- MENOC.** *De sermone autem regni non indicauit.* Veritus ne forte aliqua inuidia tangeretur, etiam si consanguineus esset, vt notat Iosephus, & assentitur Abulensis. Alij tacuisse volunt ex humilitate. Alij vt fidem secreti Samueli seruaret.
- LYRAN.** *Et conuocauit.* Hic consequenter ponitur electio Saulis publica: Licet enim Samuel de mandato Domini eum vnxisset, & statim hoc publicare posset, tamen ad compescendum murmur, & indignationem aliorum, qui erant in nobilitatibus tribubus, quæsiuit a Domino, vt per signum euident omnibus electio Saulis appareret, & propter hoc vocauit populum: Et patet littera vsque ibi.
- MENOC.** *Conuocauit Samuel populum, &c.* Vt iam diuina voluntate explorata super negotio regis constituendi responsum daret. Dicitur conuocasse ad Dominum, non quòd ibi arca esset, sed quia omnis locus, in quo aliquis specia-

lis cultus Deo exhibetur, vel ad quem aliqui religionis causa adibant, dicebatur esse coram Domino, vt ait Abulensis quæst. 17.

In Masphath. Quem in locum populum de re aliqua delibaturum conuenisse non semel habemus ex sacris literis. Vide Iudic. 20. vers. 1. Eo in loco celebre oratorium fuisse discimus ex 1. Machab. 3. v. 46. *Quia*, inquit, *locus orationis erat in Maspha, ante in Israel.* Bene autem locus orationis eligitur ad peragenda comitia, quæ diuino spiritu dirigente indigent. Porro Maspha sita erat in confinio Benjamin, & Iuda, non longè à Cariathiarim, vt ait D. Hieron. cui consentiens Adrichomius trium horarum iter intericiit.

Proieciſtis Deum vestrum. Quomodo hoc intelligendum sit, patet ex supradictis cap. 8. num. 6. & 7.

State coram Domino. Modus hic loquendi aut orationem significat, aut religiosum aliquod opus quod ab eo suæ voluntatis significationem impleret.

Per tribus vestras, & per familias, sic Iosué cap. 7. num. 14. *Accedet: sive mane singuli per tribus vestras, & quamcumque tribum fors inuenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domusque per viros.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 23.

Vulg. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit fors tribus Benjamin.

Malu. Appropinquare fecit omnes baculos, & captus fuit baculus Benjamin.

Sept. Rom. Omnia scepra, & sorte capitur sceprum Benjamin. *Reg. vt Vulg.*

Cald. Comprehensa est, &c.

Arab. Sortiti sunt & accidit fors.

Vulg. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis. *Quæsiuerunt ergo eum, & non est inuentus.*

Pag. Et capta est familia Mathri, & captus est Saul.

Malu. Appropinquare fecit baculum Benjamin, familiis suis.

Sept. Rom. Applicat sceprum Benjamin in tribus, & sorte capitur, &c. & quærebat eum, & non inueniebatur.

Vulg. Et consuluerunt post hæc Dominum, vtrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce abs-

conditus est domi.

Pag. Ecce abscondit se inter vasa.

Malu. Et postulauerunt adhuc in Ihuh.

Vatab. Ecce inter arma latitat.

Sept. Et interrogauit adhuc Samuel in Domino, si venit vir huc.

Cald. Petierunt adhuc in dicto Domini.

Syr. Latitat inter utensilia.

Arab. Est delitescens inter homines.

Ioseph. Vt ubi esset ostenderet.

Vulg. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum.

Malu. Et acceperunt eum ibi, & stare se fecit in medio populi.

Sept. Et cucurrit & sumpsit eum inde, &c. & exaltatus est super populum.

Cald. Et procerus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Applicuit tribum Benjamin & cognationes eius; Alij, *Appropinquare fecit baculum*, vel *sceprum familiis suis*, nempe per familias. Vnde cum Vulg. ait, *Et cognationes eius*, sumenda est coniunctio & pro præpositione applicatio cognationum, non erat aliud quam positio fortis pro illis: *Et peruenit vsque ad Saul filium Cis*; Alij, *Et captus est Saul.* Vulg. illo verbo *peruenit*, significat quemdam motum, seu descensum, seu subdiuisionem cognationis, in domos, & domus deprehensa in viros, quousque Saul sorte manifestaretur, vel, vt habent alij, deprehenderetur: *Vtrumnam venturus esset illuc.* Sepr. *Si venit adhuc vir huc.* Cald. *Num adest adhuc vir*, quæ licet inter se discrepare videantur ratione temporum, tamen hæc omnia vera esse potuerunt: Interrogare enim potuit Samuel in primis an adesset, vt dicit Cald. Et si fortè iam abesset, an saltem paulò ante illuc venisset, quod significarunt Sept. per verbum præteriti temporis: Venit aut certè an aliquando venturus esset in eum locum, quod Latinus interpres per loquutionem de futuro insinuauit: atque adèo, ne quid incognitum remaneret, omnes temporis differentias simul inquisiuit. *Ecce absconditus est domi*; Alij, *Inter vasa, inter arma latitat.* כֵּלֵי *cheli*, id est vas, à verbo כָּלָה *chalah*, id est complere,

seu consummare: Et quemadmodum vas apud Latinos significat quodlibet instrumentum bellicum, nauticum, rusticum, &c. ita & apud Hebræos כלי *cheli*, eisdem habet significatus. *Concurrerunt itaque. Sept. Et curre*, nempe Samuel. Reuera Samuel tanquam princeps, & reliqui omnes tanquam affeclæ cucurrerunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 20.

Et cecidit. In Hebr. habetur *hamathri*, seu ipsius *mathri*: & dicunt aliqui, quod est nomen proprium vnus hominis in tribu Benjamin, vnde cognatio nominetur. Ideo dicunt alij, & probabiliter, quod non est nomen proprium, sed commune: & significat in generali, hominem quemcumque iacentem ad signum sagittam, telum, vel lapidem. Ad cuius intellectum sciendum, quod *matharab*, in Hebr. significat signum, ad quod se exercitant sagittarij, vel fundibularij, vel huiusmodi. Vnde infra cap. 20. vbi dicitur, quod Ionathas dixit, *Et iaciam quasi exercens me ad signum*, In Hebr. habetur. *Ad Matharath*, & eodem modo habetur Thren. 3. *Posuit me quasi signum ad sagittam*: In Hebr. habetur. *Posuit me quasi Matharath*. Et inde deriuatur hoc nomen *mathari*, vel *matheri*, significans hominem rectè ad signum iacentem. In Gabaon autem vnde fuit Saul, fuerunt tales, vt habetur Iudic. 20. vbi dicitur de habitatoribus Gabaa: *Sic fundis lapides ad certum iacentes, vt capillum quoque possent percutere*, &c. Debellatis autem filiis Benjamin, vt habetur Iudic. 21. aliqui, vel saltem aliquis de illis euaserunt, vel euasit, & ab illa arte, in qua erant

A excellentes, denominata est vna cognatio, sicut frequenter contingit in humanis, & de illis descendit Saul.

Quæserunt. Abscondit enim se ex humilitate: & vt ostenderet se dignitatem regiam non ambire, vnde subditur.

Ecce. Non in domo sua in Gabaon, quia non potuisset ita citò inde haberi, sed in domo in qua hospitatus erat. Vnde in Hebr. habetur: *Absconditus est inter vasa*; & vocantur vasa arma, vel quæcumque alia quæ secum detulerant illi qui erant congregati in Masphath, & illa reposerant pro custodia in domibus in quibus erant hospitati.

Consuluerunt Dominum. Qua ratione, non explicatur. Fortasse id factum est per summum sacerdotem (quem adfuisse par est credere in tanti momenti negotio) applicato Ephod, de qua re dicitur infra cap. 23. num. 9.

B *Absconditus est domi*. Hebræa habent: *Inter vasa*, hoc est, inter domesticam supellectilem. Modestè & prudenter vt appareret vocante Domino, nec malis artibus, & ambitu ad regnum venisse.

LYRAN.
v. 21.LYRAN.
v. 22.

MEN OC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 27.

Vulg. Et ait Samuel ad omnem populum. Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: *Viuat Rex*.

Malu. Et tarantarizauerunt omnis populus.

Sept. Et cognouerunt omnis populus, & dixerunt.

Cald. Vociferati sunt, & dixerunt, prosperetur rex.

Arab. Exclamauit altissimis vocibus.

Reg. Et ouarunt omnis populus.

Vulg. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

Caiet. Scripsit iudicium regni.

Vatab. *Malu*. Et deposuit faciebus Ihu.

Sept. Rom. Dixit omnem iustificationem regis.

Reg. Legem regni.

Cald. Statutum, & deposuit.

Arab. Narrauit omnia iura regum, eaque nota fecit illis, laminæ inscriptæ reposuit coram Domino.

Vulg. Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

Malu. Ambulauit domui suæ, & ambulauerunt cum eo strenuitas, quam tetigit Elohim in corde eorum.

Sept. Rom. Et iuerunt filij virtutum.

Reg. Filij exercituum.

Cald. Pars ex populo viri timentes peccatum, & datus timor ab ante Dominum in corde.

Arab. Saule quoque domum suam redeunte ad Rama, secuti sunt eum milites, in quorum corda Deus iniecerat obedientiam.

Vulg. Filij verò Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera; ille verò dissimulabat se audire.

Pag. Filij impij dixerunt, &c. & fuit veluti surdus.

Mont. Filij absque profectu.

Caiet. Et fuit veluti tacens.

Malu. Et non venire fecerunt ei munus, & fuit sicut cessans.

Sept. Rom. Et filij pestilentes.

Reg. addunt. Et factus est obmutescens.

Cald. Filij improbitatis, in quo liberabit nos hic? & non venerunt ad rogandum eum in pace.

Syr. Filij vero peccati, &c. ipse tamen silentium simulabat.

Arab. Is vero conuientia vsus est in eos, continuitque se à damno iis inferendo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Clamauit; Alij, *Ouarunt*. Hebr. וירעו *vaiaribu*, à רוּע *roah*, quod significat clamare aut iubilare, & ouare. *Viuat Rex*. *Cald.* *Prosperetur rex*, sed vitæ nomine omnis prosperitas intelligitur. *Locutus est legem*; Alij, *Ius, statutum, iustificationem*. Continebat enim liber iura, leges, & instituta ad regem, & rempub. pertinentia. *Scripsit in Libro*. *Arab.* *Et laminae inscriptæ reposuit*, sed omnes alij, librum habent, non autem laminam. *Pars exercitus*; Alij, *Strenuitas, filij virtutum*. Hebr. החיל *hachail*, quod idem est, quod exercitus, fortitudo, robur, virtus. *Quorum Deus tetigerat corda*. *Explicat Arab.* in quo tetigerat eorum corda: *In quorum corda Deus iniecerat obedientiam*, vt Saulem scilicet sequerentur. *Filij vero Belial*; Alij, *Pestilentes, viri peruersi*. Vide Concord, v. 16. cap. 1. & cap. 2. v. 12. *Dissimulabat*; Alij, *Et fuit veluti surdus, obmutescens*, &c. In Hebr. במחריש *bemacharis*, à radice חרש *charas*, quæ non solum significat obsurdescere, sed etiam obmutescere. Nec immeritò, nam hæc duæ priuationes loquendi & audiendi, sæpe numero coniunguntur. Significat etiam audiendi dissimulationem.

ANNOTATIONES.

MEN OC. **C**erte videtis, &c. Laudat Samuel nouum regem ab externa specie, quæ in omnium incurtebat oculos, nam animi dotes latebant.

LYRAN. **L**ocutus est. Scilicet, qualiter populus se debebat habere ad regem, & rex ad populum.

C Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino. Hic liber intercidit iniuriâ temporum, & vastatione hostili, vnâ cum multis alijs. Non fuisse autem in illo libro scripta illa omnia, quæ habentur cap. 8. de iure regis, nemo dubitare po-



test. Nam, vt ibi ostendimus, erat illud tantum ius vsurpatum, hoc est quale prædicebatur reges vsurpaturos, quandoquidem filij Israël contra voluntatem Dei regem petebant. Vnde & obseruant nonnulli, quod ibi dicatur *ius regis*, scilicet vsurpandum, vt iam diximus, & hoc loco *ius regni*, scilicet legitimum, quod & postea renouatum fuit inter Regem Ioas, & populum per Ioiadam Pontificem 3. Regum 21.

MENOC. *Legem regni.* Qua tam regi, quàm populo Reipub. forma proponeretur. Vel qua mutua regis, & subditorum officia continerentur. Vel etiam lex regni vocantur Acta Comitiorum, quibus ad regnum Saul euectus est.

Scriptis in libro. Qui iam non extat.

Reposuit coram Domino. In tabernaculo, in quo etiam asseruabantur, pondera & mensuræ, quæ leges quodam modo sunt, quæ rerum quantitatem explorant.

LYRAN. *Et abiit cum eo pars.* Consentientes electioni à Deo factæ.

MENOC. *Pars exercitus,* Qui necessarius erat propter ingruens

A Ammoniticum bellum.

Quorum tetigerat Dominus corda. Quos scilicet diuinus spiritus ad obsequium illud nouo regi exhibendum impulit, alioqui enim Saul nondum in regni possessione confirmatus cogere recusantes non facile poterat.

Filii vero Belial. Id est, absque iugo diuinæ disciplinæ.

Dixerunt, &c. Quasi dicant, non, ideo subditur.

Et despexerunt. Eo quod non erat de illis tribubus nobilioribus, vt pote de tribu Iuda, cui promissum erat regnum Gen. 49. vel de tribu Ephraim, quam Iacob benedictione præposuerat Manasse. Gen. 48.

Et non. Xenia: sicut tunc erat consuetum fieri in creationibus regum & principum, & adhuc in pluribus locis obseruatur.

Filii Belial. Vide supra dicta cap. 1. num. 16.

Dissimulabat se audire. Prudenter, ne scilicet cogere-tur ab illis sumere supplicium, quod eo tempore sine turbis, quæ multum Rempub. incommodarent, fieri non poterat.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS.

Saul impulsu Dei populum aduersus Ammonitas conuocat: vincit regem eorum Naas, liberat Iabes Galaad, & iterato rex inauguratur.



I. T factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cepit aduersum Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. 2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt etiam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel. 3. Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis; & loquuti sunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit. 5. Et ecce Saul veniebat, sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus quoddam plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes. 6. Et insiliuit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis. 7. Et assumens vtrumque bouem, concidit in frustra, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus. 8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia. 9. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicitis viris, qui sunt in Iabes-Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Iabes: qui lætati sunt. 10. Et dixerunt: Manè exhibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis. 11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalcesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. 13. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. 14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innoquemus ibi regnum. 15. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cepit aduersum Iabes-Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.

Pag. Ascendit autem, &c. & castrametatus est contra Iabes, &c. percute nobiscum fœdus. **Mont.** Excide.

Malu. De sedit super Iabes, excinde nobis fœdus.

Sept. Rom. Et factum est, &c. dispone nobis testamentum.

Reg. vt Hebr. Pange nobiscum, &c.

Cald. Decerne nobiscum pactum.

Arab. Subiiciemur tibi, & redigemur in tuam ditionem.

Vulg. Et respondit ad eos. Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt etiam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.

Mont. In effodiendo oculum dextri lateris, &c. ponamque in opprobrium.

Tigur. Probrum vniuerso Israel.

Sept. Rom. In hoc disponam testamentum vobis.

Cald. Si facietis, hoc decernam vobis.

Syr. Si oculum dextrum obcæcaueritis.

Arab. Vt imponam hæc cœtui filiorum.

Vulg. Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem

septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel, & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.
Pag. Qui seruet nos. *Mont.* Remitte septem dies.
Vatab. Desiste à nobis.
Tigur. Inducias da nobis, & si non fit qui asserat nos.
Sept. Rom. Permitte.
Reg. Remitte nos.
Cald. Protrahe nobis.

Syr. Et videamus vtrum sit nobis vindex.
Vulg. Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis, & loquuti sunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit.
Pag. Locuti sunt verba in auribus populi.
Sept. Veniunt nuntij in Gabaa ad Saul.
Syr. Ad collem Saulis.
Arab. Ad ciuitatem Saulis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Factum est quasi post mensem ascendit Naas; Alij, Ascendit autem Nachas. Scio hæc verba, factum est quasi post mensem, non haberi in vllis Bibl. præterquam in Sixt. Nihilominus non est negandum esse de textu, vt aliqui suspicantur, sed potius dicendum aut illa in antiquis Hebræorum exemplaribus reperiri, aut diuino spiritu afflatos Sept. suppleuisse. *Ponam vos in opprobrium.* Ex Hebr. *Ponam hanc vel eam opprobrium*, id est rem istam, vel factum istud: Nomen *cherphaph*, omnia ista complectitur, Improperium, opprobrium, ignominiam, dedecus, vituperium. *Concede nobis; Alij, Desiste, cessa*, hoc est, inducias septem dierum da nobis. *Venerunt nuntij in Gabaa Saulis.* *Syr.* Ad collem, Gabaa collem sonat. *Arab.* Ad ciuitatem Saulis, quia in ea morabatur. *Sept.* habent ad Saulem, quasi ad eum legatio destinata fuerit præcipue, quod non ita est, sed ad vniuersos terminos Israël.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ψ. 1.** **E**t ascendit. Hic consequenter describitur prædictæ A electionis confirmatio, quæ facta est per hoc, quod Saul triumphauit de filiis Ammon, & sic omnes in eum consenserunt & regnum eius innouauerunt. Primo ergo circa hoc ponitur hostium incurfusio. 2. ipsorum debellatio, ibi: *Venerunt ergo nuntij.* 3. Regis confirmatio, ibi: *Et ait populus.* Circa primum dicitur.
- Ascendit.* Quod autem in aliquibus Bibliis præponitur: *Et factum est quasi post mensem.* non est in Hebræo, neque in Bibliis pluribus, quia non est in textu.
- Naas.* Tempore enim Iephte rex Ammon venit contra filios Israël, repetens totam terram filiorum Israël ultra Iordanem tanquam ad suum regnum pertinentem, vt habetur Iudic. 11. sed tunc fuit debellatus, vt ibidem habetur, & ideo fortificato illo regno iste rex forsitan ex eadem causa venit contra filios Israël.
- Habero nos fœderatos.* Sub tributo competenti, quia videbant se impotentes ad resistendum, vt magis patet ex sequentibus.
- EST IVS.** *Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites.* Illa verba, (*Et factum est quasi post mensem,*) neque in Hebræo leguntur, & à multis absunt M. S. Latinis exemplaribus. Addita verò hæc sunt ex versione Septuaginta.
- TIRINVS** *Naas pugnare cepit.*] Iam ante in Iudæos expeditionem pararat, vt patet ex capite sequenti vers. 12. Sed videntur Iudæi tunc cum illo talibus qualibus conditionibus transegisse. Iam mense vno post electum Saul in regem, forsitan arrepta hinc occasione, bellum redintegrat tyrannus.
- LYRAN.** **ψ. 2.** *Ernam omnium, &c.* Volebat enim eos inutiles reddere ad bellum, quia sinister oculus clypeo tegitur, & ideo carens oculo dextro, non potest bene videre aduersarium.
- Ponam vos, &c.* Hoc volebat facere ad sui iactantiam, & ad incutiendum terrorem alijs, vt sic se subiicerent eius seruituti.
- EST IVS.** *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt ernam omnium vestrum oculos dextros.* Rationem literalem assignant Interpretes, vt per hoc eos inutiles redderet ad bellum. Nam cum in acie sinister latus pugnantis clypeo tegetur, dextro latere pugnabat, & petebat aduersarium. Id autem commodè facere non poterat, si oculo dextro careret, cum sinister clypeo impediretur per oppositum clypeum.
- Mysticè per Naas quod serpentem significat, Diabolus intelligitur, serpensille & coluber antiquus: per oculum verò intentio operum nostrorum, ac totius conuersationis. Itaque oculus dexter rectam significat intentionem, puram, & synceram; sinister verò sinistram, obliquam, & deprauatam. Atque adeò Diabolus non tam laborat, vt
- A** opera destruat, quæ exterius à nobis geruntur, quam vt obliquet & distorqueat intentionem. Satis ergo ei est, si eruat oculum dextrum, id est, si omnia opera nostra, quantumcumque in specie bona, faciamus deprauata intentione, non amore rerum cælestium, sed cupiditate terrenorum. Scit enim ex qualitate intentionis totum corpus operum nostrorum affici vel benè vel malè, iuxta illud Christi Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: Et contra; Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, &c.*
- Ernam omnium vestrum oculos dextros.* Id eo consilio faciebat Barbarus, vt ad bellum omnino ferè essent inepti, sinistra enim clypeum gestabant, cuius obiectu oculi sinistri vsus minus habebant expeditum, itaque effosis dextris oculis perinde erat ac si essent cæci. Nolebat omnino cæcos facere, quia oneri tantum, nec ad feruorum ministeria vtilis fuissent. Ita Iosephus, Theodoretus, & alij. Videtur etiam Naas voluisse oculos dextros eruere, vt effosio illa oculorum oris esset de honestamentum, sic enim ait: *Ponam vos opprobrium in vniuerso Israel.*
- Ernam, inquit, omnium oculos dextros.*] Cur potius, **TIRINVS** quàm *sinistros*? Respondet Iosephus, Vt omnes ad bellum redderet inutiles, ad colendos verò agros, ad præora pasceda, ad alia vtiliora ministeria relinqueret vtilis. Nam ad hæc sufficit oculus sinister: in bello autem prorsus necessarius est dexter, cum scuto dum pugnant sinistram milites tegant, nec nisi dextro hostem videre, declinare, aut ferire possint. Non ergo proprii solius illorum, sed & sui commodi causa volebat Naas Iudæos dextro oculo priuare.
- C** Tropologicè sanctus Gregorius, oculum dextrum, quo cælestia & æterna intuemur, eruere studet diabolus, relicto solo sinistro, quo carnalia & peritura spectemus.
- Concede, &c.* Concessit autem rex superbus spatium **LYRAN.** petitem credens quod nullus auderet venire ad leuandum **ψ. 3.** eum de obsidione, & sic obsessi magis se traderent voluntati suæ.
- Et si non fuerit, &c.* Ad suscipiendum quod tibi placet de nobis.
- Ad omnes terminos Israel.* Nulla regis fit mentio, vt putat Abulensis, quòd Saul vt rusticanus contemneretur. Vel quia melius videbatur consilium mentionem Regis non inducere, vt Naas faciliùs improuida securitate lactarent, quasi negotium esset cum ouibus pastore destitutis.
- D** *Egrediemur.* Vt in tua simus potestate.
- Venerunt ergo.* Hic consequenter describitur filiorum **LYRAN.** Ammon debellatio per Saul ad preces virorum labe & **ψ. 4.** patet litera vsque ibi.

Vulg. Et ecce Saul veniebat, sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum lates.

Pag. Quid est populo quod flent?

Sept. Rom. Et ecce Saul veniebat post mane ex agro.

Vulg. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis.

Pag. Tunc transiit Spiritus Dei.

Mont. Prosperauit, & iratus est nasus eius valde.

Caiet. Prosperatus est Spiritus.

Vatab. Tunc irruit Spiritus.

Tigur. Prompre inuasit Spiritus.

Malu. Perrupit & exarsit.

Sept. Rom. Et indignatus est super eos ira sua valde.

Reg. Furore suo.

Cald. Mansit Spiritus fortitudinis ab ante Dominum, &c.

& fortificata est indignatio illius valde.

Syr. Tunc adfuit Spiritus Dei.

Arab. Confortauit illum Deus, descenditque super illum

virtus à Spiritu Dei.

Vulg. Et assumens vtrumque bouem, concidit in frustra, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.

Pag. Cecidit pavor Domini.

Mont. Cepitque iugum bouis, & truncauit illud, &c. sic fiet boui eius.

Tigur. Egressi sunt vsque ad vnum.

Malu. Accepit coniugationem bouis, & frustra it eam.

Sept. Rom. Et sumpsit duas vaccas, & membratim diuisit eas, & superuenit exstasis Domini, &c. & clamauerunt tanquam vir vnus.

Cald. Accepit par bouem, & discerpit illud.

Arab. Iniecit Dominus in omnes populi animos timorem atque pauorem tunc temporis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Insiluit Spiritus Domini; Alij, *Transiit*, *prosperauit*, &c. Vide Concord. vers. 6. cap. præced. *Et iratus est furor eius nimis*; Alij, *Exarsit nasus eius*. Sane hæc loquutio translata est, non enim propriè furor irascitur, sicut nec amor amat, aut doctrina docet, sed sensus eius est, furor eius nimis excreuit. Iam diximus Hebr. hanc phrasim excanduit, siue exarsit nasus eius, denotare hominem maximè iratum. *Assumens vtrumque bouem, concidit in frustra*. *Mont.* *Cepit iugum bouis & truncauit illud*. Et non rectè, non enim est sermo de iugo bouum, sed de ipsis bobus in frustra concisis. Nisi velit per iugum bouis, par bouem intelligere: est enim in Heb. *בקר בצמד* *tsemed bacar*, par bouem, vel ex bobus solum par concidisse, vel vt alij, cum non haberet, nisi duos, eos membratim diuisisse. *Inuasit ergo timor Domini*. *Sept.* *Superuenit ecstasis*, *פחד* *pachad*, enim non solum significat timorem, sed stuporem, sed ecstasim.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Ps. 5.* **E**t ecce Saul. Non est intelligendum quod Saul iam electus publicè in regem, ageret officium bubulci, sed veniebat de agro vbi fuerat causa spectandi vel se exercitandi in arte sagittaria vel huiusmodi, & inde reuertebatur hora qua solent boues ad domum reduci.
- MENOC.** *Sequens boues de agro*. Olim ipsorum etiam Imperatorum manibus agri colebantur. Videtur potius Saul aratorem egisse, quam bubulcum, cuius rei coniecturam habemus ex ipso textu num. 7. vbi dicitur: *Et assumens vtrumque bouem*, videtur enim absoluto rustico opere cum bobus aratoribus rediisse domum.
- TIRINVS.** *Ecce Saul veniebat sequens boues de agro.* Quid regi cum bobus & aratro? Respondeo, Nihil illo mente occurrerat quod regiam sedulitatem aut præsentiam requireret. Et propter obmurmurantes non paucos, fortè regij sceptri æmulos, voluit re ipsa docere, sese, quantumcumque electum ac designatum regem, magis delectari rusticana vita, quam regia; neque nisi necessitate coactum, ab aratro ad sceptrum profiliturum. In quo sanè heroicus & verè regius eluxit animus, quod fortunæ adeo blandienti non succubuerit, sed fori constantique robore dominari perrexit.
- LYRAN.** *Ps. 6.* *Et insiluit, &c.* Id est, motus fortitudinis & constantiæ ad liberandum populum obsessum.
- MENOC.** *Insiluit Spiritus Domini in Saul*. Zelus pro patriæ defensione, & spiritus fortitudinis à Domino immissus.
- TIRINVS.** *Insiluit Spiritus Domini in Saul.* Spiritus in Scripturis ferè accipitur pro affectione animi, siue in bonum, siue in malum. Hinc sæpè audimus, spiritum ardoris, iræ, furoris, fornicationis, zelotypiæ, obstinationis, &c. Hoc verò loco sumitur pro dono Spiritus sancti, putà virtute fortitudinis & zeli pro patria. Vnde Caldæus dicit, *Spiritum*
- A** fortitudinis inditum illi à Domino. Quo impulsus, vtrumque bouem, quo ararat, concidit in frustra, ad exemplum Leuitæ qui cadauer vxoris à Gabaonitis compressæ in duodecim partes disseuerat, Iudicum decimo nono; & simili penè consilio ac successu omnes tribus Israel aduersus insolentem & barbarum hostem breuissimo tempore ad arma coëgit.
- Sic fiet bobus eius*. Per hoc intelliguntur alia animalia, vt dicit Ra. Sa. & sic erat comminatio magnæ pœnæ, quia diuitiæ illo tempore pro maiori parte in animalibus consistebant. Noluisset autem comminari pœnam mortis vel mutilationis in principio regni sui, ne à nimio rigore incipere videretur.
- Inuasit ergo timor Domini populum*. Id est à Domino immissus.
- Et egressi sunt, &c.* Id est, generaliter & perfectè, sicut quando vnus homo exit, nihil remanet de illo in loco vnde exit. Vel aliter quasi homo vnus, id est, vno corde & vna voluntate ad liberandum obsessos.
- Concidit in frustra*. Factum Leuitæ imitatur, qui cadauer vxoris in duodecim partes dissectum ad tribus miserat, Iudicum 19. v. 29. Erat hoc Sauli domesticum exemplum, nam factum illud fuerat in Gabaa patria Saulis, in qua tunc degebat.
- Sic fiet bobus eius*. Additæ minæ iis, qui bellum detrectassent, vt vel amor patriæ, vel priuatum damnum omnes commoueret.
- Inuasit timor Domini populum*. Dominus spiritum timoris, obedientiæ, & obsequij erga Principem populi immisit, quo eorum inclinauit animos vt iussa Regis facerent.
- Quasi vir vnus*. Vnanimi consensu, vel omnes ad vnum.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 8. ad 11.*

Vulg. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia.

Mont. Et visitauit eos.

Aliqui. Requisiuit.

Sept. Rom. Recensuit eos in Bezech in Bama omnem virum Israel sexcenta millia, & viros Iuda septuaginta millia.

Reg. ut Vulg. Ioseph. Septuaginta millia ex Israël, decem millia ex Iuda.
Vulg. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes-Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Iabes, qui lætati sunt.
Cald. Cras erit vobis liberatio.
Arab. Cum prouectus fuerit dies.
Vulg. Et dixerunt: Manè exhibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis.
Pag. Quod bonum est in oculis vestris.
Sept. Rom. Dixerunt viri ad Naas Ammonitem, Cras, &c. quod bonum est in conspectu vestro.
Cald. Quod rectum in oculis vestris.

Vulg. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.
Pag. Disposuit in tria capita.
Mont. Et ingressi sunt in medium castrametationis in custodia matutini.
Malu. Venerunt in medio desidentia, & non relictis fuerunt in eis duo vnite.
Sept. Rom. Posuit in tria principia, &c. non remanserunt duo secundum idipsum.
Reg. In tres acies.
Cald. Tres turmas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Recensuit eos; Alij, *Viscavit, requisivit*, וְפָא *pachad*, per litteram פ *coph*, significat non solum recensere, sed etiam visitare, requirere, & vtrumque significatum hic habere videtur: nam si solum recenseret eos, qui ad se confluabant, plures inueniret quam qui hic numerantur. Ex illis igitur eos, qui sibi ad bellum necessarij videbantur, requisivit, reliquos in urbium, domorum, foeminarumque praesidium remisit. *Fuerunt filiorum Israel trecenta milia, virorum autem Iuda triginta milia Sept. Sixt. Sexcenta milia ex Israel, & septuaginta milia: Iosephus, septuaginta milia ex Israel, & septuaginta milia ex Iuda.* Noster *Vulg.* praefertendus est illis Codicibus, cum omnes alij cum nostro conueniant. Dicendum est eos loqui, sicut & Iosephus, non de his militibus quos Saul elegit ad bellum, sed de his qui ad Saul confluxerunt, qui fuerunt multo plures, quam qui in *Vulg.* recensentur, ex quibus tantum 30000. ex populo Israel elegit ad conficiendum illud bellum, & 30000. ex Iuda, alijs, quos satis ad bellum idoneos non reperit, dimissis, vel quia non tot erant necessarij. *Constituit in tres partes; Alij, In tria capita, tria principia, id est in tres turmas.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET recensuit eos in Bezech.* Nomen est ciuitatis in qua rex regnavit Adonibezech.
V. 8. *Virorum autem Iuda.* Segregatim numerabantur, eò quòd ista tribus erat nobilior, & bellicosior.
AUCTOR *In Bezech.* Vult nihilominus Ioseph. hanc numerationem militum factam fuisse in vrbe Balam, seu Bama, sed dicendum quòd Bezech fuit binomis.
TIRINVS *In Bezech.]* Hæc est illa vrbs, in qua Iudic. i. regnabat ille tyrannus, qui ab eadem vrbe vocatus fuit *Adoni-Bezech*, id est, *Dominus Bezech.*
LYRAN. *Cras erit vos salus.* Id est, in futuro, de proximo tamen.
V. 9. *Et dixerunt.* Saul scilicet & Samuel qui erat in castris, vt patet ex v. 7.
MENOC. *Cras erit vobis salus.* Significant se adfuturos cum exercitu die consequenti reditum nuntiorum in Iabes.
LYRAN. *Mane exhibimus ad vos.* Irrisoriè loquebantur, eò quòd sciebant auxilium eis affuturum in crastino.
V. 10. *Mane exhibimus ad vos, &c.* Dissimulant expectationem auxiliij, vt metu solutos Saul hostes inueniat.
MENOC. *Et factum est, cum dies crastinus.* Scilicet ab illa die in qua
V. 11.

A viri Iabes dixerant verbum præcedens: *Mane exhibimus, &c.* Non autem die qua dixerat Saul: *Cras erit vobis salus, &c.* Quia quando numeravit populum, adhuc distabat à loco oblidionis, & postea nuntij Iabes redierunt ad suos, & propter hoc sicut dictum est, illud quòd dixit Saul: *Cras erit vobis salus*, ly *cras*, non accipitur pro die crastino: sed pro futura die, de proximo tamen.

Constituit, &c. Vt repente irruentes super exercitum filiorum Ammon ex diuersis partibus magis tererent eos.
Media castra. Media vocat respectu suorum, qui hostem eodem tempore ad dexteram, & ad sinistram inuadebant. MENOC.

In vigilia matutina. Extrema noctis parte, quæ quarta vigilia dicitur, vel vigilia matutina, quia matutinum tempus, & auroram antecedit.

Reliqui autem. Qui scilicet mortem euaserant.

Non relinquerentur in eis duo pariter. Dissipatis omnibus, metu consternatis, & singulis vt sibi consulerent in diuersa fugientibus.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 12. ad 15.*

Vulg. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.
Sept. Rom. Quia Saul non regnabit super nos, trade viros, & mortificamus eos.
Cald. Quis est hic qui contempfit, dicendo: Non rectus Saul ad regnandum? &c. venire facite viros.
Vulg. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.
Malu. Non mori fiet vir in die hac.
Cald. Quia fecit Dominus liberationem.
Vulg. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & ca-

mus in Galgala, & innouemus ibi regnum.

Malu. Ambulate, & ambulauimus.

Vulg. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

Arias. Et regnare fecerunt eum ibi.

Tigur. Sacrificauerunt sacrificia gratulatoria.

Sept. Rom. Sacrificauit ibi sacrificia & pacificas, & lætatus ibi Samuel, & cunctus Israël quam plurimum,

Cald. Et obtulerunt oblationem sanctitatum ante Dominum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fecerunt ibi regem Saul; Alij, *Regnare fecerunt*: vnde facere regem hic non est idem atque creare regem, iam enim à Samuele creatus fuerat in Ramatha & declaratus in Maspha, sed regnare fecerunt: quasi non regiam potestatem conferrent, sed collatam expedirent, seu libenter sinerent, vt Saul iure suo vteretur. *Et immolauerunt ibi victimas pacificas.* Sept. Rom. *Sacrificauit ibi sacrificia, & pacificas*, præter hostias pacificas, & gratulatorias, memorant etiam sacrificia, id est, holocausta, quæ per excellentiam sacrificia nuncupantur: Et fortasse vtrumque genus sacrificij oblatum est. *Et lætatus est ibi Saul.* Sept. Rom. *Lætificatus est ibi Samuel*, sed omnia alia exemplaria non de lætitia Samuelis loquuntur, sed de gaudio Saulis.

Tom. IV.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ET** ait populus. Hic consequenter describitur Saulis confirmatio in regem, quia populus videbat Saulem potenter triumphasse: ideo volebat eos interficere qui eum despexerant in sua electione: prout dictum fuit in fine cap. præced. sed Saul hoc fieri impediuit, vt à clementia regnare inciperet, offensas proprias remittendo, vnde dicit Seneca lib. de clementia: Nullum ex omnibus magis decet principem quàm clementia. Magni enim animi proprium est, placidum esse tranquillumque, offensas & iniurias remittere: Muliebri autem est litigare & morem iræ suæ gerere. Allegauit autem rationem dicens.
- MENOC.** *Et ait populus ad Samuelem, &c.* iam re benè gesta à Saule crescit illius existimatio, & populus ad eadem postulat contumaces.
- LYRAN.** *Quia hodie.* Quasi dicat, procedendum est ad gratiarum actionem & non ad occisionem.
- MENOC.** *Quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.* Non est tam læta dies, tam eximio Dei beneficio insignis, cuiusquam cæde funestanda.
- LYRAN.** *Dixit autem.* Videns Samuel quod populus concorditer consentiebat electioni factæ de Saul, ideo tunc voluit eam innouare seu confirmare solenniter, & in loco solenni, ideo subditur.
- MENOC.** *In Galgala.* Elegit Samuel Galgala, quia vrbs illa vna erat è tribus conuentibus vbi ius dicere, & vocare populum consueuerat Samuel, vt publica dignitas in conuentu publico vel traderetur, vel confirmaretur.
- Innouemus ibi regnum.* Electionem factam confirmando, victimas Domino mactando, & vt probabile est, solemnem ceremoniam nouum regem inungendo, quare illum statim capite sequenti, num. 3. vocat Christum Domini, id est, vinctum, quod non de priuata, sed de publica vinctione accipiendum videtur.
- Et fecerunt.* Quia iam translatum erat ibi tabernaculum Domini & arca.
- Moraliter exponendo, Naas qui serpens interpretatur, diabolus significat, qui filiis Israel, id est, fidelibus inimicatur. Quærit oculos dextros eruere & sinistros dimittere, vt sapientia quæ desursum est, & ad salutem animæ ordinatur, penitus auferatur: & sapientia mundana, *Quæ terrena est, animalis, & diabolica*, Iacob. 3. remaneat, vt sic homines terrenis vitiis implicentur. Contra ipsum autem venit rex Israël, id est, rex gloriæ Iesus Christus cum tribus ordinibus, scilicet Apostolis, Martyribus, & Confessoribus, cuius victoria incipit à vigilia matutina, & in calore Solis consummatur, quia à principio prædicationis Euangelij cepit potestas dæmonis diminui, & adueniente iudice in potestate claritatis suæ in extremo iudicio totaliter auferretur.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS.

Samuel vniuerso populo suam probat innocentiam vitæque integritatem: sed populum insignis erga Deum ingratitude arguit: & celesti prodigio dicta sua confirmat: hortaturque omnes vt Deo constantes adherant.

1. **D**ixit autem Samuel ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem. 2. Et nunc rex graditur ante vos: Ego autem senui, & incanui: porrò filij mei vobiscum sunt: itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contempnam illud hodie, restituamque vobis. 4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. 5. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. 6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo stete, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris: 8. quomodo Iacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocavit eos in loco hoc. 9. Qui oblitus sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sifaræ magistri militiæ Hasor, & in manu regis Moab, & pugnaverunt aduersum eos. 10. Postea autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalim & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi. 11. Et misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. 12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. 14. Si timueritis Dominum, & seruiertis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. 15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros. 16. Sed & nunc stete, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. 17. Numquid non messis tritici est hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. 18. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus

voces & pluuias in illa die. 19. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem, & dixit vniuersus populus ad Samuelem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis regem. 20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro. 21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iurauit Dominus facere vos sibi populum. 23. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. 24. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro, vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit. 25. Quod si perseueraueritis in malitia: & vos & rex vester pariter peribitis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. 2. & 3.

Vulg. Dixit autem Samuel ad vniuersum Israel: Ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem.

Mont. Regnare feci super vos regem.

Cald. Ecce recepi dicta vestra ad omnia quæ dixistis mihi.

Syr. Auscultauit voci vestræ.

Vulg. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porrò filij mei vobiscum sunt: itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum.

Arias. Ecce nunc rex ambulans ad facies vestras, ego ambulauit ad facies vestras. Tigur. A pueritia.

Malu. Ecce rex ambulare se faciens, &c. & decrepitabo, & filij mei ecce ijad vos, & ego ambulare me feci de excussuris meis.

Sept. Rom. Senui & sedebo. Reg. Et incanui.

Cald. Nunc ecce rex ductor in capite vestro, & ego antiquatus sum.

Arab. Iamque notastis institutum meum vobiscum à pueritia mea.

Vulg. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituumque vobis.

Pag. Ecce adsum, testificamini contra me vtrum cuiquam

vim intulerim, & quemquam contriuerim & de manu cuiquam tulerim pretium, & occultauerim oculos meos ab eo.

Arias. Et ecce ego respondere in me coram Domino coram vncto eius, &c. cuique vim intulerim, & de manu cuius ceperim propitiationem.

Caiet. Si quempiam fraudauit.

Vatab. Quem pulsauerim, vel pulsandum curauerim, & cuiusquam tulerim redemptionem.

Tigur. De cuius manu accepi munus expiatorium, vt eis oculis meis conducerem.

Malu. Quem defraudauit, quem concussi, & de manu eius accepi operimentum.

Clar. Et abscondi oculos meos in eo.

Sept. Rom. Respondete contra me, &c. aut quem expressi, aut de manu cuius expressi propitiationem aut calceamentum, respondete contra me. Reg. Dicite.

Cald. Ecce vsque dum ego viuens, &c. à quo accepi mammon iniquitatis, & inclinaui oculos meos ab eo in iudicio.

Syr. Et defixus sit in eo oculus meus, ego soluam vobis.

Arab. Dum sto in præsentia vestra, incusate me coram Domino præsentem me vncto ipsius, num violentia vsus sim, aut infestari quempiam, & oculi mei deflexerint ad munus, si quid huiusmodi egi, dicite, vt reparem damna. Theod. Vitulam aut calceum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nunc graditur ante vos. Cald. Ecce rex ductor in capite vestro. Verbo gradiendi ante populum iuxta vulgarem Hebraismum non exprimitur localis motus, sed potestas gubernandi, vnde bene Cald. sensum percepit. Participium מוֹתְהַלְלֵךְ *mothallech*, ex *hithpael* significat seriam, grauem, ac verè regiam dignitatem, & administrationem omni cura, apparatu, & magnificentia instructam. Loquimini de me; Alij, Testificamini. Hebr. גָּנַן *ghanu*, ab גָּנַן *ghanah*, quod non solum significat loqui sed etiam testimonium ferre: quasi nullum esset inter Hebræos, loquendi testificandique discrimen. Coram Christo eius; Alij, vncto eius, nempe Saule qui recenter in regem vnctus fuerat. Si quempiam calumniatus sum; Alij, Si cui vim intuli. Verbum גָּבַשׁ *ghasach*, non solum significat vim inferre, sed calumniam facere. Si oppressi aliquem; Alij, Si contriui. Caiet. Si complacui. Hebr. est רָצַף *ratsaf*, quod contere, & opprimere significat, non autem complacere quod denotatur per verbum רָצַף *rathfah*, quæ verborum similitudine deceptus est Caiet. vnum pro altero vsurpans. Si de manu cuiusquam munus accepi; Alij, Propitiationem, calceamentum, &c. Hebr. est כֹּפֶר *copher*, quod varie vertitur. Sumitur hinc pro munere, largitione, quæ datur ad placandum, seu conciliandum iudicem, qua iudicis oculi velut obliti, & tecti obcæcantur. Inter alias versiones, duæ nempe Græca & Cald. expositione aliqua indigent: Græca autem habet munus, vel calceamentum, vt significet munus valde exiguum: nam Hebr. calceamentum pro re minima, & vilissima vsurpant, Cald. habet Mammon falsitatis, id est, falsum avaritiæ Idolum vt ostendat munera hæc esse quadam Idolaniã quemadmodum illorum cupiditas, dicitur idolorum seruitus. In Hebr. est quoddam additamentum: Et occultauit oculos meos, id est, si munus ab aliquo accepi, ita vt oculi mei ad iniustitiam intuendam occultarentur, & auerterentur ab ea prosequenda.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
ψ. 1.

Dixit autem, Hic consequenter describitur increpatio populi à Samuele, viderat enim populus regem electum prosperè egisse, & ideo poterat credere in petendo super se regem non peccasse, cuius contrarium Samuel ostendit in hoc cap. 1. declarando suam innocentiam, & secundo populi culpam, ibi *Et ait Samuel*. Primum autem ostendit Samuel per hoc, quod petitioni populi condescenderat de institutione regis, in qua erat quodammodo abiectio Samuelis, vt dictum fuit supra cap. 3. & hoc notatur cum dicitur: *Ecce audiui vocem vestram, &c.* Secundò in hoc, quod diu inter filios Israël sine calumnia vixerat, & hoc notatur cum dicitur: *Ego autem senui, & subditur.*

Tom. IV.

A Porrò filij, &c. Quasi diceret, remanebunt pro me obfides ad satisfaciendum, si alicui teneor & satisfacere non possum.

Et nunc rex graditur ante vos. Iam rex constitutus est, ego priuatus sum: iure ergo mecum quilibet agere potest, & si quid tractando Rempub. peccaui, arguere potest, & per Principem pœnas repetere.

Porrò filij mei vobiscum sunt. Quasi dicat, si senectus vitam abstulerit, superstites sunt filij, quos pro me vobis satisfacere cogatis, vel sensus est: Ecce filij mei, quos accusatis, apud vos sunt, non subterfugiunt iudicium, rationem reddere possunt administrationis suæ, ætatem habent, ipsi pro se loquentur. Me autem num parati estis arguere?

Z ij

Ecce preſto ſum. Rationem adminiſtratae Reipublicae A redditurus.

TIRINVS *Nunc rex graditur ante vos.*] Quasi dicat: Ego iam nunc personam publicam exui, & in Saulem Christum Domini, seu recens vnctum regem transtuli. Porro defunctus magistratu, rationem eiusdem obiti iam publicam constare volo, vosque vt idem velitis, adiuro: sic enim habet Iosephus. Inquirete, numquid contra ius & æquum fecerim: num lucri cupiditate vitulum aut bouem, addunt Septuaginta *vel calceamentum*, cuiusquam acceperim. Tantum enim abest, vt talia amem vel retinere studeam, vt prorsus horream & contemnam, velimque integrè restitui. Et quamuis ego iam senuerim & incanuerim, & mors breui immineat, tamen *filii mei vobiscum sunt*, & mihi superstites manent, qui quod mearum est partium, ipsi præstabit, & si quid cuiquam debere deprehendar, meo nomine reddere debebunt.

Nota, Samuelem, dum vitam hinc suam frequenti populo, palam iudiciis omnium examinandam præbea, non hoc solum spectasse, vt ipse innocens comprobaretur, sed insuper, vt formam nouo regi Sauli tum præsentem, Reipublicam benè administrandi præscriberet: & vt maior quoque sibi libertas esset, populum ob sua flagitia & in Deum ingratitude seuerius increpandi, quod facit à v. 7. vsque ad finem cap. Vide S. Chryostomum.

LYRAN. *Loquimini, &c.* Id est, Sauli regi, qui de nouo erat vnctus, propter quod Samuel coram eo volebat indicari.

Vtrum bouem cuiusquam. Ponendo in opere meo. *Aut asinum.* Super eum de loco ad locum incedendo. *Si quempiam calumniatus.* Iniuste ad iudicium trahendo.

Si oppressi aliquem. Damnum quodcunque seu iniuriam inferendo.

Si de manu. Etiam pro iusto iudicio reddendo. Ex quo patet, quod propriis sumptibus & laboribus officium iudicis exequatur, prout dictum fuit supra cap. 7.

Et contemnam, &c. Nolens mihi retinere.

Vtrum bouem cuiusquam tulerim? &c. Quæritur, quare Samuel hic se iustificet apud plebem, cum à nullo accusaretur? Respondeo occulta erat accusatio, in eo quod eum repellent à principatu, sicut satis indicant illa verba supra cap. 8. *Non te abiecerunt, sed me*, quasi dicat Dominus, te quidem abiecerunt, sed magis me. Quod autem Samuel non prius se iustificarit, tunc scilicet, cum rege nondum constituto posset ei principatus conseruari: fecit id Samuel, ne videretur regnum appetere, aut in iudicatura continuari velle: tantum autem purgare se voluit, exemplum dans omnibus principibus, non posse eos imperare, nisi secundum iustitiam, & æquitatem, non autem secundum suum placitum.

Loquimini de me. Si quid est quod me accusare velitis.

Coram Christo eius. Saule in regem inuncto.

Contemnam illud. Facillimam illius iacturam existimabo, libenter carebo re illa, vobisque restituiam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 7.

Vulg. Et dixerunt: non es calumniatus nos, neque oppr effisti, neque tulisti de manu alicuius, quippiam.

Pag. Non enim intulisti.

Mont. Non oppressisti.

Caiet. Non fraudasti, neque complacuisti.

Alij. vt in præced. vers.

Vulg. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis.

Mont. Et testis vnctus eius.

Vulg. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moyſen & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti.

Mont. Qui magnificauit, &c. qui ascendere fecit patres vestros.

Sept. Et ait Samuel: Testis legis Dominus.

Cald. Qui fecit fortitudines per manus Moſeh.

Arab. Dominus est Deus solus, qui creauit Moſeh.

Vulg. Nunc ergo ſtate, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.

Pag. Vt diiudicet vobiscum de omnibus iustitiis.

Caiet. Et iudicabor vobiscum in conspectu Ichouah.

Malu. Nunc ſtate vos facite, & iudicauit ad vos faciebus Iuh omnes iustitias Iuh.

Sept. Rom. Iudicabo vos coram Domino, & annuntiabo vobis omnem iustitiam Domini.

Cald. Disceptabo vobiscum.

Sym. De omnibus eleemosynis Domini.

Syr. Vt iudicem vos pro tota iustitia sua quam exercuit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nones calumniatus; Alij, *Non vim intulisti, &c.* Vide Concord. superiorem. *Et ait Samuel, &c. Dominus qui fecit;* Alij, *Qui creauit*, sed Sept. addunt: *Testis est Dominus.* Verum equidem in lectione, sicut & in aliis, imperfectum videri, & sine verbo, sed per eclipsim seu præcisionem, vt vocant, intelligendo: est ergo, adest testis, & ita Sept. aliqua exemplaria Latina suppleuerunt. *Vt iudicio contendam aduersum vos;* Alij, *Iudicabo vos.* Verbum שפח *saphat*, quod in coniugatione kal significat iudicare, in coniugatione vero niphah, vt hic ponitur, significat iudicio contendere. *De omnibus misericordiis Domini;* Alij, *De eleemosynis, de iustitiis.* In Hebr. est אמת כל צדקות & *col tsidcoth*, hoc est in omnibus iustitiis, & verbum צדק *tsadac*, id est iustificare, vel iustum esse. Vulg. autem posuit *miseri cordias*, quia in sacris literis misericordia, & iustitia, promiscuè vsurpantur tam in Deo, quam hominibus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**t dixerunt. Et sic testificati sunt eius innocentiam. Dixitque ad eos. Qui præfens est vbique.

LYRAN. *Et testis Christus.* Scilicet Saul, qui præfentialiter aderat.

Et dixerunt. Replicando quod supra dixerant ad maiorem affirmationem, secundum illam translationem. In Hebr. habetur: *Et dixit testis*, quod exponunt Hebr. dicentes quod postquam populus testificatus fuerat Samuelis innocentiam, ipse Samuel quæsiuit cum hoc testimonium diuinum, quod est maius & firmitus, dicendo: *Testis est Dominus.* Id est, rogo vt sit testis, & tunc venit vox à Deo missa, & dixit, testis, testificando Samuelis innocentiam.

LYRAN. *Et ait.* Hic consequenter Samuel declarat populi culpam, & primò verbo: secundò miraculo, ibi: *Sed & nunc.*

C Circa primum Samuel declarat primò Dei misericordiam erga populum, cum dicitur.

Dominus, qui fecit. Scilicet idoneos nuntios suos ad educendum populum Israël de Ægypto.

Dominus, qui fecit Moysen, &c. Imperfecta est oratio, MEMO & vt sensus constet, subintelligendum videtur, *Adest, & est testis.*

Vt iudicio contendam, &c. Bona conscientia fretus, & testificatione populi, qua innocens, & ab omni crimine purus fuerat pronuntiatus, audenter pro bono patriæ suos Israëlitas alloquitur.

De omnibus misericordiis Domini. Memorans diuina beneficia in vos collata, pro quibus contumaciam, idololatricam, & alia scelera rependistis.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 8. ad 12.*

Vulg. Quomodo Iacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moylen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc.

Pagn. Et habitare fecerunt in, &c

Malu. Et conclamauerunt patres vestri ad Iuh.

Spe. Rom. Postquam intrauit Iacob, & filij eius, &c. & humiliavit eos Ægyptus, &c. & eduxerunt eos.

Reg. Eduxit.

Cald. Et sedere fecerunt eos in terra hac.

Vulg. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sifarae magistri malitiæ Habor, & in manu regis Moab, & pugnaverunt aduersum eos.

Mont. Vendidit eos in manu Sifarae.

Malu. Et ceciderunt in eis.

Cald. Et obliti sunt cultum Domini Dei ipsorum, &c. virtutis principis Hhazor.

Arab. Verum obliti rerum quas fecerat Deus Dominus eorum, erga eos aliosque præter Deum adorantes.

Vulg. Postea autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalim & Astaroth: Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.

Malu. Et conclamauerunt ad Iuh, & dixerunt errauimus, &c. & nunc eripe nos de manu maleuolentium nostrorum.

Sep. Rom. Seruiuimus Baalim & lucis.

Cald. Peccauimus quod deseruimus cultum, &c. eripe nos de manu authorum inimicitia nostræ.

Syr. Sed cum orassent Dominum, &c. quia coluimus Baal & phana.

Arab. Colentes Baal idolum, & idola fœminea.

Vulg. Et misit Dominus Ierobaal, & Badan, Iephete, & Samuël, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum, per circuitum, & habitastis confidenter.

Cald. Eripuit vos de manu authorum inimiciarum vestrarum, & sedistis in tranquillitate.

Arab. Et domicilia vestra tutè habitastis.

Vulg. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.

Mont. Et Dominus Deus vester, rex vester.

Sept. Sed quia rex regnabit super nos, & Dominus Deus noster, rex noster.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Eduxit patres vestros, Alij, Et eduxerunt. Scilicet Moyfes & Aaron. Vulg. autem loquitur de Deo, quasi in fonte sermo sit de causis instrumentalibus quæ fuerunt Moyfes & Aaron. In Vulg. de principali, quæ est Deus. Clamauerunt ad Dominum, Alij, Cum orassent: Clamor enim ille cum deprecatione fuit. Et seruiuimus Baalim, & Astaroth. Alij, Colentes Baal idolum, & idola fœminarum. Vide Conc. v. 3. c. 7. Misit Ierobaal, Syr. & Arab. alios iudices nominant, sed sequenda est nostra lectio cum Heb. & Græca, Ierobaal autem idem est quod Gedeon. Badan, Cald. Samson. Badan enim apud Heb. idem quod Samson. In pluribus Bibliis ponitur vtrumque nomen, Badan & Samson, quasi distincti iudices significantur; sed fortassè nomen Samson, quod explicationis gratiâ erat in margine, aliquis imperitia irrepsit in textum. Septuag. legunt Barac, fortè propter similitudinem characterum, quibus vtrumque nomen Hebraicè scribitur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 8.** **Q**uomodo Iacob, &c. Vbi cum Dominus saluauit à A periculo famis.
Et clamauerunt. Cum affligerentur ab Ægyptiis: vt habetur Exod. 3.

Et collocauit. Scilicet in terra optima lacte, & melle manante. Consequenter ostendit ex opposito populi ingratitude, cum dicitur.

LYRAN. **Y. 9.** **Q**ui obliti sunt. Per idololatriam, & alia mala.
Et tradidit eos. Vt per flagella reduceret eos ad bonum.

In manu. Id est, regis Asor, vt habetur Iud. 4.

MENOC. In manu Sifarae. Vide Iud. 4. 1. & ibi notata.

Magistri militia Asor. Magistri militiae Iabin regis Chananei, qui regnauit in Asor.

LYRAN. Et in manu. Vt habetur Iud. 10. & 11.

Y. 11. Et misit. Id est, Gedeon, vt habetur Iud. 6.

Et Badan. Id est, Samson, qui descendit de tribu Dan, vt habetur Iud. 14.

Et Barach. De quo Iud. 5.

Et Iephete. De quo Iud. 11.

Et Samuël. Loquitur de seipso tanquam de alio.

Et eruit, &c. Quotiescumque inuocastis fideliter eius auxilium.

Et habitastis confidenter. Quandiu fuistis ei boni subiecti, fuit & ipse rex vester immediatus.

ESTIUS. Et misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephete, & Sa-

muël. Sic nunc Biblia Sixtina. Pridem variabant exemplaria, & quædam habebant. Badan, & Samson, & Barac, & Iephete, &c. Alia, Badan & Barac, omisso Samson. Alia (vt nunc Sixtina) solum Badan. Caldaus Paraphrastes Badan interpretatur Samsonem. Sic & Glossa interlinearis. Vnde patet eos non legisse Samsonis nomen hoc loco. Alij Badan fecerunt eundem cum Barac, vnde factum fuit, vt alij nomen Samsonis, alij Barac ascriberent, & tandem aliqui vtrumque. Sed nunc seruanda est lectio auctoritate Sixti, & Clementis restituta, vt solus Badan ex illis tribus textui inferatur, intelligatur autem vel Samson, vel Barac, vel etiam Iair secundum quosdam.

Ierobaal & Badan. In Heb. est Badan, quasi filius Dan, quod de Samson intelligitur, qui fuit ex ea tribu.

Misit Dominus Badan.] Vel, vt in Hebræo est, Badan, seu Ben-Dan, id est, filium Dan, vel Danitam. Sic vocabatur Samson, per antonomasiam, quasi Danitarum omnium præstantissimus. Sicut Aristoteles vocatur Philosophus, & Paulus Apostolus. Ita Caldaus, Hieronymus, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Vatablus, Caeteranus.

Videntes autem. Ista fuit vna causa petendi regem, vt dictum fuit supra 8. cap.

Dixistis mihi. Disfluadendi vobis petere alium regem, Nequaquam. Scilicet erimus sine rege homine.

LYRAN. **Y. 12.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 16.

Vulg. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem.
 Pag. Et nunc ecce rex: ecce posuit quem voluistis.
 Sep. Et nunc ecce rex quem elegistis.
 Reg. addunt. Et quem petistis.
 Cald. Ecce præfecit.
 Arab. Constituit.
 Vulg. Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.
 Pag. Et non irritaueritis os eius.
 Caiet. Et non rebellabit ori eius.
 Arab. Nec inobedientes fueritis sermoni eius.
 Malu. Et non mutabit os Ihu.
 Sep. Et non repugnaueritis ori Domini, &c. post Dominum ambulantes.
 Reg. Et non obiurgetis ori eius, &c. & liberabit vos.

Cald. Et obedieritis dicto eius, & non rebellaueritis super dictum Domini, & eritis, &c. post cultum Domini.
 Syr. Nec ad iram prouocaueritis eum.
 Arab. Et ambulabitis in obedientia Domini.
 Vulg. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.
 Pag. Et irritaueritis.
 Alij vt in præced. vers.
 Cald. Erit plaga Domini in vobis, vt hæc quæ fecit patribus vestris.
 Arab. Immittet in vos Dominus punitionem suam, quemadmodum immisit, &c.
 Vulg. Sed & nunc state, & videte rem tam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.
 Pag. Videte verbum magnum hoc quod faciens vnus in oculis vestris.
 Arab. Iam ergo parate vos, & videte.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nunc præsto est rex vester, Alij, Et nunc ecce rex. Est enim Heb. הנהו hineh, ecce quare aduerbium præsto est demonstratiuum iuxta Heb. quamuis Latine sonet quamdam ipsius regis promptitudinem ad gubernandum. Quem elegistis. Cald. Quem coluistis. כהן non solum eligere, sed etiam diligere significat: vnde hic significat, dilexistis, voluistis, non enim ipsi proprie elegerunt, sed Deus ipse, & confirmatur, quia additur. Et petistis. Ergo illa prior electio in desiderio consistebat. Et non exasperaueritis, Alij, Irritaueritis, &c. Hebr. est תמרר thamaru, à מרר amarab, quod significat repugnare, obiurgare, exacerbare, &c.

ANNOTATIONES.

LYRAN. v. 13.

Nunc ergo. Licet enim Saül fuerit à Deo electus, vt dictum est supra, cap. 9. & 10. tamen ista electio imponitur hîc populo, eo quod ad petitionem populi facta fuit. Cætera patent vsque ibi.

ESTIVS.

Rex vester quem elegistis, & petistis. Quaritur quomodo elegerint, cum Samuële iubente Domino illis forte eum dederit? Respondeo hoc ideo dici, vel quia petente populo, eis Deus regem dedit, vel etiam quia in regni inuouatione, siue cap. præced. & hoc capite verè ipsi quoque eum elegerunt. Nempe prius pars exercitus eum non fuerat secuta, sed tantum pauci, ipse quoque Saül postea adhuc boues in agro secutus est tanquam vir priuatus. At verò postquam rem feliciter gessit contra Naas regem Ammonitarum, tunc regnum placuit innouari in publicis comitiis, in quibus deinde ab vniuerso populo rex agnitus, & declaratus est, electione prius facta ab omnibus approbata.

MENOC.

Nunc ergo præsto est rex vester, &c. Aliquid hîc subamarum, & ironicum agnoscit S. August. in Psal. 51. initio, quasi ipsi in caput suum malum sibi vltro accersiuissent.

A Exasperaueritis os Domini. Os Domini exasperatur cum prouocatur ad iracundiam, qui enim irati sunt faciem exasperant, & vultum tristem, & minacem induunt: Septuaginta habent μή ἐι εἰσὶν τῶ σόματι οὐπίς, id est, non contenderitis contra faciem Domini, quod benè consentit cum nostra editione, qui enim cum alio contendit, os eius exasperat, & sæpè ad iracundiam illum prouocat. Idem significat exasperare sermones (quod habemus infra num. 15.) qui enim irascuntur facie, & voce asperiore vtuntur in eos, contra quos commoti sunt.

B Sequentes Dominum Deum vestrum. Quasi dicat, Deus erit rex vester vt prius, & more ducis ante vos ibit, vosque sub eius tutela securi degetis.

Erit manus. Id est, ita erit super vos de futuro, sicut LYRAN. fuit super patres vestros de præterito.

Exasperaueritis sermones eius. Vide dicta versiculo præcedenti.

Sed. Hic consequenter Samuël arguit malitiam populi miraculo, quia ad ipsam declarandam facta sunt subito tonitrua, & pluuie, contra solitum cursum naturæ in terra illa: & hoc est quod dicitur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 22.

Vulg. Numquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces & pluias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.
 Mont. Dabit tonitrua.
 Tigur. Quod malitia vestra magna sit.
 Sept Rom Quia maleficium vestrum magnum.
 Syr. Vocabo Dominum, & edet fragorem, & videte magnam fuisse culpam vestram.
 Arab. Tempus hoc nostrum, tempus est messis, &c. audire faciet vos sonitum vehementem, demittetque super vos pluuiam salutarem.
 Vulg. Et clamauit Samuël ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluias in illa die.
 Vulg. Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuëlem, & dixit vniuersus populus ad Samuëlem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non

moriatur, addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis regem.

Malu. Interpellare te fac in vsque ad seruos tuos, quia addidimus super omnia errata nostra.

Sep. Rom. Addidimus ad omnia peccata nostra maleficium.

Reg. Malitias nostras.

Syr. Crimen ingens.

Vulg. Dixit autem Samuël ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro.

Pagn. Ne declinetis post Dominum.

Caiet. Tantum ne recedite ex post Iehoua.

Malu. Non discedetis.

Cald. Non recedatis post cultum Domini.

Arab. Ne colatis alium præter eum.

Vulg. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.
Pagn. Non declinetis post idola.
Mont. Nec eruent vos, quia vanitas ipsa.
Caiet. Non declinabitis post inania.
Vatab. Ne declinetis, quia post vanitatem, qui non possunt vbi erunt, vera vanitas sunt.
Malu. Et non discedatis, quia post inordinationem qui non proficiunt, nec eripient, quia inordinatio ij.
Sept. Rom. Et non transgrediamini post eos qui nihil sunt, qui non perficient quicquam, & qui non eruent, quia nihil sunt.
Cald. Et non recedatis de post cultum eius, & non seruietis erroribus, qui non sunt quicquam, & non est illis utilitas, & non liberant, quia nihilum illi.

Arab. Nam vanitates non poterunt saluare nos quod sunt inanes.
Vulg. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iuravit Dominus facere sibi populum.
Malu. Quia non dimittet Ihuu populum suum in transitione nominis sui grandis, quia resoluit Ihuu ad facere vos sibi populo.
Sep. Rom. Quoniam non abiiciet, &c. quoniam admodum vos suscepit Dominus sibi in populum.
Reg. Non proiciet Dominus, quia accepit vos ut faceret.
Syr. Quandoquidem consensit accipere vos.
Arab. Non destituet populum suum, quandoquidem Domino placuit ut essetis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Voces & pluias, Alij, Tonitrua. Quamuis vocabulum קולות *koloth*, propriè significet voces, tamen pro tonitruis, & fragore magno accipitur. *Et pluias.* Magister historiæ, & Nauclerus, quos sequitur Chartus, addunt *Corruscationem, & grandinem.* Et rectè, quia reuera videntur omnia conspirasse ex quibus procella actior inhorrescit. *Vos fecistis vniuersum malum hoc,* Alij, *Maleficium.* Heb. est. הרעה *haraghab*, à verbo רוע *rogbo*, quod est malignari, seu malum facere. *Nolite declinare post vana.* Alij, *Idola.* Idola vana, imò vanitates ipsæ appellantur. *Sept. transulerunt nihil,* quasi ipsa falsa numina ex ipsa vanitate, & inanitate componantur. *Quia iuravit Dominus,* Alij, *Quia voluit Dominus, quia accepit, &c.* Est enim Heb. יאאל *iaaal*, à verbo יאל *hoil*, à verbo יאל *iaaal*, quod non solum significat iurare, sed etiam velle accipere, suscipere, &c. Sed noster *Vulg.* ut hanc voluntatem efficacem determinaret, transtulit: quia iuravit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 17.* **N**unquid non messis tritici est hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Quasi diceret, isto tempore non consueuerunt talia fieri: & si aliquando fiant, non tamen ita repente, vel subito, sicut factum est ad preces Samuëlis, absque dispositione aëris præcedente. Ideo subditur.

ESTIVS. *Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces & pluias: &c.* Hieronymus super Amos 4. ad illud: *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses, &c.* dicit in Orientis omnibus regionibus insolitum, & impossibile esse, ut pluat tempore messis. Nunquam enim, inquit, in fine mensis Iunij, siue in mense Iulio in his prouinciis, maximeque in Iudæa, pluias vidimus. Et addit: Denique in Regum libris pro signo magno atque portento diebus æstatis & messis, orante Samuële, pluiæ concitatae sunt. Hæc Hieronymus.

MENOC. *Nunquid non messis.* Quo tempore pluiæ nullæ esse solent in Palaestina. Vide. D. Hieron. ad cap. 4. Amos in illa verba: *Ego quoque, &c.*

Voces. Tonitrua.

Et scietis. Hoc enim signum à Deo dari postulo, ut sit testificatio diuina huius, quam nunc eloquor, veritatis, quod scilicet malè feceritis cum regem postulastis.

TIRINVS. *Nunquid.* Nempe circa Iunium, quo uti & Iulio mense, numquam in Iudæa pluit, teste S. Hieron.

TIRINVS *ψ. 18.* *Dedit Dominus voces.* Id est, tonitrua valdè sonora, & pluias. Et quæ tonitrua comitari solent fulgura, & fulmina, quæ vocantur *tela Dei*, sed à diuina manu excussa. Certè ex illo v. 19. seq. *Vt non moriamur*, clarè patet, non leuem fuisse hanc, ad comprobanda dicta Samuëlis, im-

missam à Deo tempestatem, cum & præsentem mortem toti populo intentaret, & vel inuitos fateri cogeret, se in tali regis postulatione, grauissimè peccasse, de quo peccato dixi cap. 8. v. 7.

Et timuit. Videns insolitum miraculum, & timens morti, præ horrore tempestatis.

Timuit omnis populus. Dominum cui tonitrua, imbres, & tempestates famularentur: Samuëlem, qui illa tam facile impetraret.

Dominum Deum tuum. Non dicunt nostrum, quia se illum offendisse sciebant.

Nolite. Eos assecuravit, quando confessionem eorum de petitione regis, & aliis malis audiuit.

Nolite recedere. Semper eum sequentes per debitum cultum.

B *Post vana.* Idola, Deos vanos, & falsos, quibus nullum verum numen inest.

Nolite declinare post vana. Id est, ad idola, quæ verè vana, imò nihil sunt, teste Apost. 1. Cor. 8. *Scimus quia nihil est, &c.* Licet enim sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, seu in repræsentando, nam quod repræsentat, nihil est, quia falsum est: ac proinde nec verè, nec verum repræsentat: & consequenter, vanum & nihil est. Hinc S. Scriptura, & SS. Patres numquam tribuunt nomen *idoli*, vlli velle imagini, sed solis statuis falsorum Deorum: imò Synodus septima dicit anathema iis qui *imagines* Christi, vel Sanctorum vocant *idola*, uti illas vocant passim Calvinus, Martyr, Illiricus, & alij hæretici.

Et non. Quandiu sibi fuerit subiectus per debitum cultum.

Quia iuravit. Sicut habetur Gen. 22. per memetipsam, &c.

Propter nomen suum. Propter famam, & honorem suum

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 25.

Vulg. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.

Pagn. Etiam ego non derelinquam vos, absit mihi, ut peccem Domino.

Mont. Docebo vos in via bona, & recta.

Vatab. Etiam ego, absit à me.

Malu. Etiam à me prophanatio mihi de errare Ihuu de cessare ad iaculati, & iaculabor vos in via, &c.

Sep. Rom. Et mihi nequaquam ut peccem omittendo orare, &c. & seruiam Domino.

Reg. Mihi autem non fiat, &c. & manifestabo vobis viam.

Cald. Et docebo vos ut eatis in via statuta & recta.

Vulg. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro, vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit.

Pagn. Videndo quod magnificè egit vobiscum.

Caiet. Tantum timete Iehoua, videte quæ fecit grandescere vobiscum.

Malu. Seruietis in fide.

Sept. Rom. Quæ magnificauit vobiscum.

Cald. Quod multiplicauit facere.

Syr. Iuridicè colite eum, ex tota anima vestra.

Arab. Adorate eum cultu sincero, integris cordibus, ac mentibus, & scitote eum ampliaturum erga vos beneficia.

Vulg. Quod si perseueraueritis in malitia: & vos, & rex vester pariter peribitis.

Pag. Si autem malefaciendo malefeceritis, etiam vos,

etiam rex vester.

Cald. Si malignando malignabimini.

Malu. Etiam vos, &c. contrahemini.

Sept. Rom. Et si maleficio malefeceritis, &c. apponemini.

Reg. Peribitis.

Cald. Et si deprauando depraueritis facta vestra, &c. perdemini.

Syr. Moriemini.

Arab. Quod si iniquè, & peruersè egeritis, Dominus perdet vos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Absit à me hoc peccatum. Pag. præmisit. Etiam ego non derelinquam vos. Absit mihi, &c. Sed vnde hæc de promptis, nescio. De suo fortè addidit, quasi dicens: Non ego vos deseram, imò pro vobis Deum deprecabor. Et docebo vos viam bonam. *Malu.* Taculabor vos in via bona. Elegans, inquit, metaphora: Quasi diceret, non vticumque, sed impetu, tanquam sagittam ad scopum iaciam vos, per viam bonam, & rectam, vt in scopum directissimè tendatis. Quod si perseueraueritis in malitia, Alij, Quod si malefaciendo malefeceritis; quæ verborum repetitio significat grande malum, quale est peccatum quodlibet post tam multa beneficia repetitum, aut certè non abiuratum, hoc enim noster expressit transferens. Si perseueraueritis in malitia, quia nihil detestabilius, quàm in peccatis perseuerare.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 23.

Absit. Quamuis enim populus eum abiicisset, vt patet ex supradictis, 7. cap. tamen peccatum reputabat sibi, si non oraret pro eis, & hoc est intelligendum, ad bona gratiæ, & gloriæ consequenda. Ideo subditur. Et docebo vos.

ESTIUS.

Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. Obserua, adeo necessariam iudicat Samuël orationem suam pro populo (vtpote adhuc pro parte Pastor populi, sanè Propheta) vt sibi in peccatum imputandum dicat, si pro eis non oret. Adde, quod non improbabiler hinc probatur sanctos post hanc vitam quoque intercedere pro vi-

uis. Dicit enim Samuël se non cessaturum orare pro Israëlitis. Cessaret autem, si non oraret post mortem, præsertim cum orandi causa non esset cessatura, durantibus huius vitæ malis & miseriis. Sic enim & Ieremias, qui similiter rogatus fuerat adhuc viuens, vt pro populo oraret, post mortem nihilominus pro eo orasse legitur, velut insignis fratrum amator 2. Mach. vlt.

Timeo Dominum. Timore filiali.

Et seruite ei in veritate. Absque fictione.

Et ex toto corde vestro, vidistis enim magnifica, &c. Absque diminutione.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS.

Victi à Saüle Philistæi, maximas copias aduersus eum educunt: quibus territi Hebræi; sese in antris occultant. Saül, quia non expectato Samuële holocaustum obtulit, reprobatur à Deo.



Filius vnus anni erat Saül cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israël. 2. Et elegit sibi Saül tria millia de Israël: & erant cum Saül duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Benjamin. Porro ceterum populum remisit vnumquemque in tabernacula sua. 3. Et percussit Ionathas stationem Philistinorū, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philistiim, Saül cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. 4. Et vniuersus Israël audiuit huiusmodi famam: Percussit Saül stationem Philistinorum: & erexit se Israël aduersus Philistiim. Clamauit ergo populus post Saul in Galgala. 5. Et Philistiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curuum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethauen. 6. Quod cum vidissent viri Israël se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis. 7. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad. Cumque adhuc esset Saül in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum. 8. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. 9. Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum. 10. Cumque compleisset offerens holocaustum, ecce Samuël veniebat: & egressus est Saül obuiam ei vt salutaret eum. 11. Locutusque est ad eum Samuël: Quid fecisti? Respondit Saül: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philistiim congregati fuerant in Machmas, 12. dixi: Nunc descendent Philistiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placui. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum. 13. Dexitque Samuël ad Saül: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fe-

ciffes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum, 14. sed n^o 277
 quam regnum tuum vltra confurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei
 Dominus vt esset dux super populum suum, eò quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus. 15.
 Surrexit autem Samuël, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt
 post Saül obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin.
 Et recensuit Saül populum, qui inuenti fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. 16. Et Saül & Iona-
 thas filius eius, populusque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philistiim
 confederant in Machmas. 17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philistinorum tres cunei.
 Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saül. 18. Potro alius ingrediebatur per viam
 Beth-horon. Tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum.
 19. Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël. Cauert enim Philistiim, ne for-
 tè facerent Hebræi gladium aut lanceam. 20. Descendebat ergo omnis Israël ad Philistiim, vt exa-
 cueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & ferculum. 21. Retusæ itaque erant
 acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. 22.
 Cumque venisset dies prælii, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat
 cum Saüle & Ionatha, excepto Saül & Ionatha filio eius. 23. Egressa est autem statio Philis-
 tiim, vt transcenderet in Machmas.

VARIETAS LECTIONVM. *Verf. 1.*

Vulg. Filius vnus anni erat Saül cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israël.

Pag. Veluti filius anni vnus erat innocens, quando regnavit.

Cæter. Filius anni Saül in regnare suo.

Cald. Sicut filius anni in quo non sunt culpæ Saül erat.

Sept. Rom. non habent hunc versum, sed Reg. Compl. illum non omiserunt.

Scholion Græcum, vt refert Nobil. ita legit. Saül 30. annorum erat, cum regnare cœpisset.

Sym. Cum esset Saül filius annuus.

Syr. Cum anno vno vel duobus regnasset Saül in regno suo super Israël.

Arab. Vel tribus.

Can. lib. 11. de locis cap. 5. & 12. Argum. Filius viginti, & vnus anni erat Saül.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filius vnus anni erat Saül cum regnare cœpisset, &c. Sixt. Sep. hunc vers. non habent, forè hac de causa, quod editionis illius auctores, & curatores cum haberent hæc verba aliquibus forè iudiciis suspecta, & alioqui non multum ad historiam pertinere existimarent, ea libenter reliquerunt, sequuti fortassè Iosephum in Antiquitatibus, qui illa etiam prætermisit: D. Hieron. illa quidem recipit, non tamen hoc loco collata, sed cap. præced. ante n. 25. inferuit. Tamen in Reg. Compl. Syr. Cald. Arab. hæc verba habentur: vnde versio Cani non est admittenda, nam Saül sub id temporis habebat filium 20. annos natum: quo pacto igitur poterat ipse 21. annum duntaxat expleuisse, & pater vno tantum anno filium superasse? Nec illa etiam admittenda, quæ habet quòd 30. annorum erat Saül cum regnare cœpisset, quia saltem puerum decennem, imo, & decenni iuniorem parentem facere compellitur. Sensus igitur legitimus nostri Interpretis est, quòd Saül vnus anni erat, non ætate, sed probitate, cum regnare cœpisset. Ita Pag. vertit imo & Cald. qui ita reddit. *Sicut filius vnus anni, in quo non sunt culpa.* Qui quamuis in Heb. non inuenit illam particulam similitudinis, *וּצָאֵף*, id est, sicut, tamen vt erat Heb. doctus, eam reponendam iudicauit ex vulgari Hebraismo, quo huiusmodi particulæ aliquando omittuntur, etiam cum necessario sunt intelligendæ. Syrus autem legit, cum anno vno, vel duobus annis regnare cœpisset, tunc scilicet elegit 3000. elegit sibi ex Israël. Et est sensus nostri Interpretis, cum ait, duobus annis regnavit, scilicet vsque ad eum diem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** **F**ilius. Postquam descripta est Saülis electio, hic consequenter describitur eius reprobatio, & hoc ex triplici causa. Prima fuit diffidentia, & vsurpatio. 2. temeraria iuratio. c. 14. 3. cupiditas, & elatio. cap. 15. Circa primum describitur diffidentia ratio. 2. diffidentis vsurpatio, ibi: *Ait ergo Saül.* 3. incurfus hostium, ibi: *Porro Philistiim.* 4. impotentia ad resistendum, ibi: *Porro faber.* Causa vero diffidentia duplex fuit. Prima fuit ex percussione stationis Philistinorum, propter quam Saül, & filij Israël formidabant Philistinorum aduentum. 2. fuit dilapsus populi à Saül propter metum qui ponitur ibi: *Quod cum audissent.* Circa primum, quia in hoc cap. agitur de Saülis præuaricatione, præmittitur eius bonitas, vt nullus de sua iustitia præsumat, & vt opposita iuxta se posita magis elucescant, cum dicitur. *Filius vnus anni erat, &c.* Id est, ita innocens, & purus à peccato, sicut puer vnus anni. Cuius rationem assignant Hebræi, & probabiliter dicentes, quod quando homo promouetur ad aliquod officium magnum à Deo sicut Saül fuit electus in regem ab ipso, vt patet ex præcedentibus, simul datur à Deo sibi gratia iustificans, & ipsum disponens ad suum officium exercendum, nisi ipse ponat obicem. Saül autem in sua electione, non posuit obicem gratia diuinæ, quia secundum quod dicitur suprà c. 9. *Erat electus bonus, & non erat*

A *vir de filiis Israël melior illo.* Aliqui autem exponunt de Ibofeth, filio Saül dicentes, quòd habebat vnum annum tantum quando Saül incepit regnare, & secundum hoc *Ly Saül*, est datini casus, cum dicitur, *Filius vnus anni erat Saül*, id est ipsi Saül: sed hoc patet falsum per illud quod habetur 2. Reg. 2. *Quadragesima annorum erat Isbofeth, cum regnare cœpisset.* Fuit autem institutus immediatè post mortem patris, vt ibidem dicitur. Pater autem regnavit 20. annis tantum, propter quod tenentes hoc dictum, dicunt quòd inceptio regni Saül, hic accipitur immediatè post mortem Heli quod tempus fuit 40. annorum, vt habetur Act. 13. Sed hoc non valet, quia in nullo alio loco sacra Scripturæ reperitur, quod sacra Scriptura determinando principium regni alicuius regis, determinet hoc per ætatem filij sui. Et ideo, quia ista expositio de scriptura non habet authoritatem, eadem facultate contemnitur, quæ probatur, & prima magis tenenda est, vt videtur.

Duobus autem annis regn. &c. Scilicet in bonitate, & innocentia sua, licet pluribus annis regnauerit existens in malitia. Vel aliter potest dici, quia post 2. annos à principio regni sui David fuit à Deo electus in regem, & inunctus per Samuëlem, vt habetur infrà 16. c. & ex tunc Saül non regnavit de iure, sed tantum vsurpatiuè, propter

sequentes à regno suo, hinc refecantur: confederatè ponitur percussio stationis Philistinorum, cum dicitur.

ESTIVS.

Filius vnus anni erat Saül cum regnare cœpisset. Queritur, quomodo hoc consistat cum eo quod Saül Act. 13. dicitur regnasse annis quadraginta? Respondet Rabanus, (*Saül*) esse datiui casus, & sensum esse, quod Saüli esset filius vnus anni (*Isboeth* scilicet) qui regnarit duobus annis. Sed in Hebræo (*Saül*) non est datiui casus, sed nominatiui. Ac deinde Isboeth etiam pluribus annis regnavit, vt dicitur 2. Reg. 2. Itaque alij hunc faciunt sensum. Iam annus lapsus erat, ex quo cœperat regnare Saül, postquam autem duobus annis regnasset, fecit ea quæ sequuntur. Qui sensus, etsi non sit improbabilis, & similis expositio videatur debere esse 2. Reg. 2. vbi agitur de annis regni filij eius Isboeth, tamen plures Interpretes sequuntur sensum, quem Parapraftes Caldaeus indicat, nimirum, quod Saül cum regnare cœpit, ita erat innocens, & malitia vacuus, sicut puer vnus anni, & quod duobus annis in illa innocentia mansit.

MEN OC.

Filius vnus anni erat Saül. Innocens scilicet, & purus, vt infantes esse solent. Alij explicant, vnus annus intercessit ab vnctione vsque ad confirmationem regni, de qua extremo cap. 11. dictum est, & duo deinde anni lapsi sunt vsque ad bellum, de quo hinc agitur, sic ferè explicant Rabini.

Duobus annis regnavit super Israël. Quæstio valdè dubia est quot annis Saül regnauerit, cum hic duo anni tantum illi tribuantur. Actorum verò c. 13. num. 20. anni 40. Aliqui vt verba sonant tradunt 40. annis regnasse. Ita S. Aug. lib. 18. de Ciuitate Dei c. 20. & lib. 17. c. 7. Sal-

meron Prolegom. 14. Alij communiter 40. hos annos ex annis Samuëlis & Saülis constari putant. Alij multi ita interpretantur verba nostri textus, vt dicatur duobus annis regnasse, scilicet in sua illa puritate, & innocentia. Sanchez quod duobus annis regnauerit solus, nam reliquo tempore præcedenti Samuël adhuc superstes, administrationis Reipublicæ particeps fuit: quæ sententia est etiam Montani, Mercatoris, Adrichomij, & aliorum.

Filius vnus anni. Id est, sicut paruulus infans vnus anni, innocens, & sine culpa fuit Saül cum ad solium regni eueheretur: & in eadem innocentia regnavit duobus annis super Israël, nec nisi duobus annis. Ita Caldaeus, Hieronymus, Gregorius, Eucherius, Petrus Damianus, Angelomus, Abulensis, Caietanus, Lyranus, Procopius, Emanuël Sa, Tornicellus, Salianus. Sed simplicior, & Hebraico textui conformior videtur aliorum expositio, qui dicunt his verbis nihil aliud designari, quam Saulem, quò hoc primum mouit bellum Philistæis, egisse adhuc primum regni sui annum: nam in Heb. est, *Filius anni*, scilicet vnus, seu primi. *Erat Saül in regno suo: &c.* Quasi dicat. Hic erat prior annus è duobus quibus vniuersim regnavit in Israël. Nam biennio solo regnasse, & solo biennio contingere commodè potuisse, quæcumque toto primo libro regum recensentur, & legenti patet, & fusè, & doctè demonstrat Gaspar Sanctius. Et hæc expositio Hebræorum in Seder-Olam, & Ariæ Montani, Gerardi Mercatoris, Adrichomij, Constantini Phrygionis, Marianæ, & quorundam aliorum. Argumenta quæ in oppositum afferuntur, vide soluta apud Sanctium, & in Chronicis nostris, c. 26. & 27.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 2. ad 4.

Vulg. Et elegit sibi Saül tria millia de Israël: & erant cum Saül duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Benjamin: portò cæterum populum remisit vnumquemque in tabernacula sua.

Malu. Et superrelictionem populi misit virum in tentorio suo.

Sept. Et fuerant cum Saül bis mille qui in Machmas, & in monte Bethel.

Cald. Misit ad vrbes suas.

Syr. Mille fuerunt cum Ionathan filio eius in monte Benjamin.

Arab. In Rama Benjamin.

Apud Ioseph. in aliquibus exemplar. In monte Bethleem.

Vulg. Et percussit Ionathas stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philistiim, Saül cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.

Pagn. Percussit præsidem Pelisthim qui erat.

Malu. Et Saül infixit in tuba.

Sep. Rom. Percussit Ionatham Nasib alienigenam qui in colle, & Saül claxit, dicens: spreuerunt serui.

Reg. Percussit stationem, &c. dicens: Inobedientes fuerunt serui.

Cald. Clanxit cornu, &c. Audiant Iudæi.

Vulg. Et vniuersus Israël audiuit huiuscemodi famam: Percussit Saül stationem Philistinorum: & erexit se Israël aduersus Philistiim. Clamauit ergo populus post Saül in Galgala.

Pagn. Percussit Saül præsidem Philistim, & etiam abominatus est Israël Philistim.

Mont. Fœtuit Israël in Philistim.

Caiet. Fastidierunt Israël Philistini.

Malu. Et etiam fœtidus factus fuit Israël, &c. & conclamati fuerunt populus.

Sep. Rom. Percussit Nasib alienigenam, & prodiit Israël in alienigenas, & ascenderunt filij Israël post Saül.

Reg. Contempsit Israël Philistim.

Cald. Et etiam concitatus est Israël in Philistæos.

Syr. Vicit Israël Philistæos.

Arab. Quod Saül interfecit seniores Philistiim.

Mend. Odiosus factus est Israël Palæstinis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN monte Bethel. Apud Ioseph. in aliquibus exempl. In monte Bethleem, Sed Bethleem irrepsit pro Bethel, errorque ex script. corrigendus. *Percussit Ionathas stationem*, Alij, *Ducem vel præsidem*. Hebr. est נָסִיב נְסִיב *netfib*, à radice נָסַב *nat-sab*, quæ varia significat, constituere, erigere, stare, præsidere. Hinc varia lectio. Sep. hunc præsidem, seu ducem sub nomine netfib intellexerunt. *Audiant Hebræi*. Sep. Rom. *Spreuerunt serui*. Reg. *Inobedientes fuerunt serui*. Facile autem fuit pro Heb. transferre seruos propter similitudinem litterarum consonantium, quibus vtrumque nomen scribitur. Nam נְסִיב *ghibrim*, per res, id est, Hebræi, à radice נָסַב *ghabar*, id est transire, & נְסִיב *babadim*, per daleth, id est serui à radice נָסַב *ghabad*, id est, serui; solum differunt in consonantibus res, & daleth, quæ sunt figuræ inter se simillimæ, quamuis aliqui non existiment Sep. similitudine characterum deceptos, seruos pro Hebræis transtulisse, sed potius vt significarent Hebræos, qui eatenus tanquam serui subiiciebantur, iam tanquam victores rebellasse.

Et erexit se Israël. Alij, *Fœtuit, fastidierunt Israël Philistini*. Hebr. נִבַּשׁ נִבַּשׁ *nibas*, in niphas, id est fœtuit, à radice נָבַשׁ *baas*, id est fœtere, seu computrescere. Sensus autem est, vt explicat Vatab. Palæstini abhorrebant ab Israëlitis, tanquam à re malè olente, & putrida. Nec multo aliter vertit Caiet. *Et fastidierunt Israël Palæstini*. Sed quid hæ versiones ad Vulg. *Erexit se Israël*, hoc est, rebellauit? Dicamus Latinum Interpretem non expressisse proprium verbi significatum, sed illud per causam aperuisse, dicturus enim Hebræos magnam sui inuidiam apud Philistinos concitasse, seu Philistinos magnum Hebræorum odium hausisse, dicit Israëlitas aduersus Philistinos rebellasse: Ex hac enim rebellione, illud odium defluxit. Eodem modo, & Cald. & Sep. explicarunt. *Et concitatus est Israël*, Sep. vero, *Contempsit Israël Philistiim*. Hæc enim concitatio, & contemptus causa fuit, vt Israël Philistinis odiosus redderetur.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 3.** **E**T percussit Ionathas stationem Philistinorum. Quod erat signum manifestum rebellionis filiorum Israël ad Philistæos. Ideo subditur.

Audiant Hebræi. Hoc fecit Saul proclamari, vt filij Israël præcauerent sibi ab insultu Philistinorum in hoc facto contemptorum, & non confiderent de ipsis in aliquo, vnde subditur,

MENOC. *Stationem Philistinorum.* De qua supra capite 10. numero 5.

Audiant Hebræi. Hæc fortassis fuit solemnis præconum formula cum aliquid populo principis nomine proponerent. Non dissimilis formula habetur Dan. 3. 4. Præco clamabat voce valente. *Vobis dicitur populus, tribubus, & linguis, &c.* Sententia est, audiant Hebræi, quæ sequuntur, hoc est. *Percussit Saül stationem Philistinorum.*

TIRIVS. *Percussit Ionathas stationem, seu militare præsidium, Philistinorum, quæ erat in Gabaa.*] Hæc Gabaa erat patria Saulis de qua dixi c. 10. v. 5. eademque illa erat in qua constuprata fuerat olim vxor Leuitæ, Iud. 19. quæ causa fuit excidij totius penè tribus Beniaminica. Hoc vero militare præsidium tum illo, tum in alijs pluribus locis in Israël itide disposuerant Philistæi, quo cauerent ne qua ibi vel arma, vel alia bellica instrumenta cuderentur à Iudæis. Id enim prudenter inhibuerant, ne fortè rebelles,

si armis clam fabricatis instrui licuisset, nouum quid aut inopinatum molirentur. Hinc vetitæ erant Iudæis omnes officinæ ferrariæ, etiam ad rustica instrumenta paranda vel reparanda. Neque tales officinæ permittebantur nisi Philistæis, qui in varijs Iudææ locis stationes suas habebant, ad quas se conferre cogebantur Israelitæ, si quando vellent retufos ligones, vomeres, aut secures recudi, aut nouos cudi. Vide quæ supra dixi cap. 7. vers. 14. Fuit durum hoc, prudens tamen, Philistinorum consilium, ad Iudæos compescendos, & in perpetua seruitute continendos. Eodem consilio postea vsum legimus Nabuchodonosorem, ad eosdem Iudæos in officio continendos, quando cum Iechonia rege, *omnem etiam fabrum, seu lignarium, seu ferrarium, omnemque inclusorem, seu ingeniarium, qui nosset aut vrbes muare, aut castra metari, è Iudæa transiuit in Caldæam.* Simili consilio dicit Plinius, Porfenam regem, *In fœdere, quod expulsis regibus populo Romano dedit, nominatim cauisse, ne ferro nisi in agricultura vterentur.*

Clamauit ergo populus. Quid clamauerint incertum, fortassè vt Iudic. 7. 20. clamauerunt Israelitæ. *Gladus Domini & Gedeonis.* Ita simili aliqua formula benè ominati sunt regi suo Sauli.

MENOC.
Y. 4.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 5. & 6.

Vulg. Et Philistiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia currum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethauen.

Pag. Collecti sunt ad pugnandum, &c. super labrum maris.

Malu. Anterioritate Bethauen.

Abul. Sexcenta millia equitum.

Ioseph. Sexaginta millia. *M. S. Codex.* Ex in eis decem millia, & alius 200000.

Sep. Rom. Et alienigenæ, congregantur, &c. tanquam arena quæ iuxta mare multa, &c. ex aduerso Bethoron contra Austrum.

Reg. E regione per dorsum Bethaben.

Syr. Tria millia currum. *Ita & Arab.* Et turba plurima, quæ in littoribus maritimis conspicitur, comparanda.

Vulg. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in spe-

luncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis.

Pag. Quod angustia esset sibi, quia coarctatus erat populus, absconderunt se in munitionibus, & in turribus.

Calet. Quia oppressus fuit populus, &c. in scissuris, & in rupibus, & in acutis.

Vatab. Constrictus.

Tigur. Pressus.

Malu. Quia coangustiatio ei qui adactus fuit, &c. in spinis.

Sep. Rom. Quia angustè sibi ne ipse accedat, & occulauit se, &c. in foueis.

Abul. Quod cum audissent.

Reg. Quod affliguntur, & recessit populus, & absconditus est.

Cald. Quod afflictio eis, &c. & in foraminibus petrarum, & in speluncis rupium, & in foueis.

Syr. Et abdiderunt se, &c. in criptis, & in hiatibus.

Arab. Expauerunt, &c. in latebris, &c. in puteis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Triginta millia currum. *Syr. & Arab.* Tria millia. Quia incredibile iudicant tam multos currus à Philistinis collectos: sed possumus dicere hos omnes currus non fuisse Philistinorum, sed sociorum ac finitimorum regum, qui ipsis auxiliabantur. *Sex millia equitum.* Aliqui Codices, quos refert Chartus: & sequitur Abulens. habent. *Sexcenta millia equitum.* Ioseph. 60000. sed standum est *Vulg.* cum sit Heb. Græcè & Latine conformis. *Quod cum vidissent.* Solus Abul. *Quod cum audissent.* Aliqui potuerunt videre, & alij audire; nihilominus est in Heb. *ויראו*. *Viderunt se in arcto positos,* Alij, *Quod angustia sibi.* Quasi nec ad euadendum locum, neque ad confligendum animum haberent: & hanc congregandi difficultatem significant *Sep. Sixt.* *Vidit quia angustè sibi, ne sibi accidat.* Hoc est, vidit angustas sibi opes, & impares vires, vt cum hostibus congregiatur. *Afflictus erat populus.* Alij, *Oppressus, constrictus.* Heb. *נצור* *nitzar*, id est angustatus, à radice *צור* *tsur*, quod est angustiare. *In abditis,* Alij, *In munitionibus, in scissuris montium, inter spineta,* quæ loca secreta sunt tam urbium, quam domorum. *In petris,* Alij, *In foraminibus petrarum.* *In antris,* Alij, *In turribus, in speluncis rupium.* Sunt loca prærupta. *Calet.* *In acutis.* Sunt loca inhabitabilia, quæ in acutis summitatibus describuntur. *In cisternis.* Alij, *In foueis.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 5.** **E**T Philistiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia, &c. Pro tot millibus currum accipitur hic numerus hominum in curribus existentium, quia tunc temporis in curribus pugnabant pro magna parte, vt habetur in pluribus locis sacre Scripturæ.

Et reliquum. Hyperbolica locutio est ad designandum Tom. IV.

B magnam populi multitudinem.

Triginta millia currum. Falcatorum scilicet. Fortassè Philistæis cum copijs auxiliaribus aderant Tyrij: hinc tanta currum multitudo. Certè in bello quod capite septimo, narratum est, Tyrij suppetias Palæstinis tulerunt vt patet Ecclesiastici 40. 20. cum dicitur. *Et contriuit prin-*

cipes Tyrionum, & omnes Duces Philistim. Lyranus ita interpretatur hunc locum ut dicat fuisse triginta millia militum è curribus pugnantium, cui consentit Dionysius, & Salianus. Res minus mira videbitur reputanti Salomonem habuisse *Quadragesima millia p. asepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.* 3. Reg. 4. 26.

Bethauen. Sic dicta, ut putant quidam, Bethel ob idolorum cultum. Significat autem *domum vanitatis*, aut *iniquitatis*. Id quod alibi verum puto, inquit Emanuël Sa, sed hic ipsam intelligo Bethauen diuersam à Bethel.

LYRAN. *Quod cum vidissent.* Hic ponitur secunda ratio diffidentiae, scilicet propter recessum populi à Saüle, quia aliqui præ timore Philistinorum absconderunt se in locis occultis. Alij autem transierunt Iordanem, qui est in parte Orientali terræ promissionis. Terra autem Philistinorum, vnde veniebant super filios Israël, erat in parte opposita,

scilicet Occidentali, quia est super mare Mediterraneum, quod est terminus terræ promissionis à parte Occidentis, & ideo Hebræi fugientes transibant Iordanem, tum ut fugerent ad partem oppositam, tum quia tenebant quod Philistim non transirent Iordanem, eos insequendo. Ex his patet litera vsque ibi.

Absconderunt se in speluncis. Quæ frequentes illis in regionibus. Sanè Dauid in speluncis delituit 1. Reg. 24. & Iosué c. 10. 5. Reges è speluncis, in quibus se absconderant, extraxit.

Abditis. Heb. & Cald. *Munitionibus.*

Petris. Cald. *Foraminibus petrarum.*

Antris. Heb. *Turribus.* Cald. *speluncis rupium.* Sept. *Foveis.*

Cisternis. Ab aquis nimirum vacuis, quæ abscondendis hominibus aptissimæ sunt.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 10.

Vulg. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad. Cumque adhuc esset Saül in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

Pag. Omnis populus mori sunt post eum.

Mont. Intremuerunt post eum.

Reg. Perterriti sunt.

Cald. Congregati sunt.

Sym. Trans fluuiales.

Arab. Et omnis populus erat cum eo.

Vulg. Et expectabant septem diebus iuxta placitum Samuëlis, & non venit Samuël in Galgala, dilapsusque est populus ab eo.

Pagn. Secundum tempus, quod dixerat Samuël.

Calet. Expectauit ad tempus quod dixit.

Malu. Expectauit septem dierum stationi, & non venit.

Sept. Rom. Et distulit septem dies testimonio, &c. & non veniebat, & dispersus est populus.

Sym. Iuxta constitutionem.

Cald. Produxit septem dies post tempus.

Arab. Et disfluebat populus.

Vulg. Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

Mont. Accedere facite ad me ascensionem, &c. & ascendere fecit ascensionem.

Tigur. Sacrificauit sacrificium.

Sep. Rom. Adducite ut faciam holocaustosum.

Cald. Afferte ad me oblationem sanctitatis, & ascendere faciam holocausta.

Arab. Admouete oblationes, ut attollam sacrificia perfecta.

Vulg. Cumque compleisset offerens holocaustum, ecce Samuël veniebat: & egressus est Saül obuiam ei ut salutarer eum.

Mont. Et fuit ut complere eum ascendere facere ascensionem egressus est, &c. ad benedicendum ei. *Ita Cald. & Syr.*

Tigur. Ut gratularetur aduentui eius.

Sep. Et factum est ut consummauit offerre holocaustosum.

Arab. Ut fausta præcaretur ei.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Hebrei, Alij, *Transitores, transfluuiales.* Vide Concordiam v. 3. *Iuxta placitum Samuëlis, Alij, Iuxta testimonium, constitutionem, iuxta tempus à Samuële constitutum.* *Afferte mihi holocaustum, Alij, Ascendere facite ascensionem.* עלה *gholah*, id est ascensio, à verbo עלה *halah*, id est ascendere, quia totum in fumos resolutum coram Domino ascendebat, vel etiam quod sacrificantium manibus coram Domino eleuabatur. *Vt salutarer eum.* Alij, *Ad benedicendum.* Est לברכו *lebarecho*, à radice ברך *baracch*, id est, benedicere.

ANNOTATIONES.

ESTIVS.
V. 7.

Hebrei autem transierunt Iordanem. Hebræi non alij intelliguntur, quam Israëlita, quorum multi timidiore, securitatis causa, Iordanem transierant, quo remotius abessent ab hostibus Philistæis, quorum sedes erant in regione opposita ad mare magnum, quod nunc vocatur Mediterraneum. Vocantur autem hi tum ab hostibus, tum subinde etiam à scriptore huius libri, Hebræi, & non Israëlita, nempe quia nomen Israëlitis fortitudinem significat; Hebræus autem significat transiorem, seu transfluuiale (quo nomine, & Abraham vocatus est, quod ex Mesopotamia eò venisset.) Itaque contemptim tanquam fugientes ultra Iordanem hic Hebræi dicti sunt. Quod diligenter notandum est, tam hoc capite quam sequenti, ne putentur alij esse, qui vocentur Hebræi, & alij qui dicantur Israëlita.

MENOC. *Hebræi transierunt Iordanem.* Hos, qui Iordanem transierunt Hebræos potius, quam Israëlitas vocasse videtur sacer textus, ut esset quædam allusio ad significationem vocis Hebrææ, quæ *transiorem*, Græcè *μεγαν*, significat.

B *Adhuc.* Scilicet à tempore innouati regni.

Et expectauit. Bene dicitur iuxta, quia non totaliter, & completè expectauit: ut videtur postea.

Expectauit. Id est, iuxta præscriptum tempus: iuxta id quod illi cum Samuële conuenerat c. 10. 8.

Ait ergo, &c. Hic consequenter describitur diffidentis vsurpatio, diffidebat enim de populo suo, quem videbat in timore positum, & de aduentu Samuëlis ad offerendum sacrificium, & ideo stultè vsurpauit sibi illud officium, dicens:

Afferte mihi. Propter quod à Samuële veniente reprehenditur, cum dicitur.

Afferte mihi. Lyranus, & alij putant Saülem peccasse sacerdotale munus sibi negatum vsurpando. Negat Abulensis, & Caietanus, quia cum hoc esset grauius peccatum, quàm septem integros dies non expectare, sanè illud Propheta non tacuisset. Nec est necesse dicere per se ipsum sacrificasse, sed per sacerdotes, quos habebat in castris.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 11. ad 14.

Vulg. Locutusque est ad eum Samuël: Quid fecisti? Respondit Saül: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philistiim congregati fuerant in Machmas.
Pag. Non veniebas ad tempus dierum.
Mont. Ad tempus statutum.
Malu. Et tu non veniebas stationi dierum.
Sept. Rom. Sicut constitueras in testimonio dierum.
Syr. Vidi exercitum meum dispersum, & longum esse tempus moræ nostræ.
Arab. Videns non aduenisse temporibus ac diebus.
Vulg. Dixi: Nunc descendens Philistiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placui. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum.
Pag. Faciem Domini non oravi, & roboravi me.
Mont. Et vim feci mihi, & ascendere feci ascensionem.
Tigur. Necdum Dominum consulueram, ausus sum, vel inuitus sacrificare.
Malu. Et continui me.
Sept. Rom. Faciem Domini non sum deprecatus, &c. & obtuli holocaustum.
Reg. Et confortatus sum.
Cald. Et roboratus sum.
Procop. Victus sum.
Syr. Antequam faciem viderem Domini.
Vulg. Dixitque Samuël ad Saül: Stulte egisti, nec custo-

disti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum.
Pag. Mandatum, quia nunc præparauerat.
Mont. Stultus factus es, &c. quia Dominus stabilierat.
Malu. Apparuit.
Sept. Stulte actum est tibi, &c.
Reg. Ut præparasset regnum tuum.
Cald. Non custodisti iussionem dicti Domini tui.
Syr. Deliquisti.
Arab. Peccasti.
Vulg. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurgēt. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eò quod non seruaueris quæ præcepit Dominus.
Pag. Et nunc regnum tuum non stabit.
Cæter. Non firmabitur.
Vatab. Non permanebit.
Malu. Non surget.
Sept. Rom. Non stabit sibi, &c. quæret Dominus hominem, & stabit in principem.
Cald. Firmavit Dominus ante se virum facientem voluntatem suam, & iubebit cum Dominus esse regem.
Syr. Nunc nequaquam durabit.
Arab. Non permanebit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Necessitate compulsus, Alij, *Roboratus sum, confortatus, vim intuli, &c.* Congruenter quidem ad Heb. *הפאתו ואתפחוק*, hoc est, vim feci mihi, quasi diceret reclamante, & repugnante animo, & impellente rerum statu. *Stulte egisti*, Alij, *Deliquisti, peccasti.* Qui enim peccat, stultissime agit. *Nec custodisti mandata.* Alij, *Mandatum.* Est enim *מִצְוַת יְהוָה* *mitsuathi, Iehona*, sed Latin. vertit in plurali, vel quia illud mandatum triplicem iussionem includebat, scilicet de expectando, de non sacrificando, de non deliberando ante aduentum Samuëlis, vel quia mandatum reipsa vnum, aliquando tamen propter maximam eius seruandi necessitatem multiplex emphaticè appellatur. *Regnum tibi præparasset.* Alij, *Confirmasset, stabilisset.* Est enim verbum *כִּן* *cin*, omnia hæc significans. *Quod si non fecisses*, quod non est in Heb. sed tantum, *Quia nunc stabilierat*, sed tamen illa conditio subintelligenda est, quod colligitur, quia præsentis numero dicitur, nunc firmasset regnum tuum, & in sequenti, non confirmabitur, hinc enim fit, ut aliquod meritum tanquam conditio interuenerit, ratione cuius regnum firmaretur, & defuerit, quare destrueretur, quam propterea Latinus Interpres suppluit. *Quod si non fecisses.* *Ultra consurgēt*, Alij, *Stabit, durabit.* Heb. *לִישָׁרֵי לֹחַקוֹ* *Lothakum*, à *לָקַח* *kum*, quod significat erigere, statuere, firmare. *Quæsiuit sibi virum.* Sept. *Quæret.* Fortè, quia in Hebræo respicitur ad decretum diuinum, de quærendo rege in Saülis locum successuro, quod fuit ab æterno, at vero Sep. respiciunt ad externam huius decreti executionem.

ANNOTATIONES.

Quid fecisti? Quasi diceret: rem tibi illicitam: propter hoc subditur.
Stulte egisti. Mandatum Domini hîc dicitur verbum Samuëlis loquentis Sauli ex parte Domini, ut habetur supra 10. c. Ex verbis autè Samuëlis in hoc loco, quæ absque dubio reputanda sunt vera, oportet dicere quod Saül hîc grauer peccauit: sed quomodo peccauerit, diuersimodè dicitur. Ad cuius intellectum recurrendum est ad intellectum verbi Samuëlis habitum supr. 10. c. quod tale est. *Et descendes, &c.* vsque ibi. *Et ostendam tibi*, inclusiue, quod ibidem fuit expositum tripliciter, & secundum primam expositionem Saül peccauit in hoc, quod non expectauit Samuëlem ad offerendum sacrificium septem diebus continuè pro sua vnctione in regem, quia Saüle præoccupante offerre, Samuël fuit turbatus, & recessit, & sic illa solemnitas 7. dierum dimissa fuit. Secundum vero expositionem secundam quæ est Andreæ, Saul peccauit in hoc quod non expectauit Samuëlem 7. diebus prout fuerat sibi dictum, sed tantum sex, quia debebat expectare Samuëlem 7. diebus postquam Samuël recepisset eius nuntium: ita quod illa dies in qua Samuël recepisset nuntium Saülis non erat de num. 7. dierum expectationis, Saül autem illam diem intra illum septenarium inclusit: & sic sex diebus tantum expectauit, secundum vero tertiam expositionem quæ videtur mihi probabilior: Saül peccauit in tribus. Primò, quia non expectauit Samuëlem 7. diebus completè,
 Tom. IV.

ut erat sibi iniunctum, quod patet ex textu, vbi dicitur. *Cumque compleisset offerens holocaustum*, scilicet Saül. *Ecce Samuël veniebat*, ita quod venit die 7. & de tali hora quod poterat offerri sacrificium, quia vsque ad horam iugis sacrificij vespertini poterant alia sacrificia offerri. Secundo peccauit, quia officium sibi illicitum, scilicet offerendi per seipsum vsurpauit, quod est graue peccatum: quod patet ex hoc, quod rex Ozias volens offerre incensum, quod non pertinebat ad regis officium, percussus fuit lepra à Domino, ut habetur 2. Paral. 26. & factus fuit terræmotus in signum iræ diuinæ, ut habetur Zach. 14. Tertio peccauit in hoc, quod peccatum suum non recognouit humiliter, cum argueretur à Samuële dicente sibi: *Quid fecisti?* Sed se voluit excusare ex necessitate imminentis belli, quæ excusatio nulla erat penitus, quia talis oblatio sacrificij non est Dei placatio, sed magis offensio.
Quod si non fecisses. Hoc videtur falsum, qui præordinatio diuina certa est, & infallibilis. Præordinatum autem erat à Deo, regnum concedendum tribui Iudæ, ut habetur Genesis 59. *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Dicendum, quod ordinatio diuina de aliquo futuro aliquando accipitur prout est in diuina præscientia, & sic immutabilis est. Alio modo accipitur secundum dispositionem causarum secundarum, id est, secundum dispositionem causa hominum, ex quibus disponit, ut per hoc puniantur, vel remunerentur secundum ordinationem diuinam, & ta-

lis ordinatio mutabilis est sicut merita, & demerita hominum, & frequenter contingit quod ordinatio diuina de aliquo futuro isto secundo modo exprimitur in sacra Scriptura, sicut Ioan. 4. dicitur. *Adhuc 40. &c.* Quia demerita illius ciuitatis exigebant eius subuersionem à Deo futuram: sed quia egerunt penitentiam, hæc ordinatio fuit mutata, quia ciuitas non fuit subuersa: isto modo dicitur hic Saüli, *Quod si non.* Id est, si non fecisses contra mandatum Domini, & stetisses in bonitate in qua eras quando regnare cœpisti, esses dispositus vt confirmaretur tibi regnum, & filiis tuis. Ista tamen confirmatio est intelligenda sub conditione, scilicet si Saül, & posterius eius starent in bonitate, quod est mutabile. Qualiter autem mutabilitas talium stet cum immutabilitate diuinæ præscientiæ, diligentius pertractare, pertinet ad primum sententiarum.

ESTIVS.

Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. Alfonso de Castro in verbo (*sacerdotium*) putat in eo deliquisse Saülem, quod per se sacrificauerit, non expectatò Samuële. Sed fallitur. Nam nec Samuël per se sacrificauit, sed per sacerdotes, vt ostendimus sup. ad c. i. v. 4. sicut & Dauid, & Salomon, & alij. Adde quod Samuël c. 10. præceperat Saüli, dicens. *Descendes ante me in Galgala, &c.* Sed scilicet per sacerdotes Aaronicos. At vero in eo peccauit Saül, quod præstitutum tempus non expectasset iuxta verbum Domini: nempe dixerat ei cap. illo 10. ex reuelatione Domini Samuël: *Septem diebus expectabis, &c.* Iam vero id non fecit, sed septimo die nondum elapso, obtulit (scilicet per sacerdotem Aaronicum) sacrificium, ita vt Samuël adhuc superuenerit, dum sacrificium offerretur. Quod vero quidam dicunt, Samuëlem ipsum voluisse offerre sacrificium per se, idque ei licuisse, etsi non sacerdoti, diuina dispensatione, frustra dicitur, nam non erat opus dispensatione, vt non sacerdos offerret, quandoquidem fati multi erant sacerdotes per quos offerri poterat.

MENO C.

Stultè egisti, &c. Peccatum Saülis in eo positum fuit quod toto illo temporis spatio quo iussus fuerat, Samuëlem non expectasset. Nec exiguum peccatum fuit non paruissse, quia vt inquit Samuël eundem Saulem alloquens inf. c. 15. 12. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas? &c.* Adde (quod notauit Isidor. Pelusiota Epist. 181.) ad faciendam legum suarum disciplinam grauius Dominum eos pletere consueuissse, qui in aliquo genere primi peccant, vt Ananiam, & Saphiram voti violatores Act. 5. 3. & eum qui ligna colligens Sabbati legem recens latam non seruauit, Num. 15. 32. vide quæ dixi Hierop. lib. 3. c. 4. n. 4.

Præparasset Dominus regnum tuum. Præparare regnum idem est quod stabilire, & confirmare, hoc enim significat verbum Hebraicum *בנין cum*, sic Prou. 8. 27. dicitur: *quando præparabat celos, aderam.* Id est, quando fundabat. Non videtur adhuc Saul per hæc verba reiectus omnino à Domino, sed minæ tantum intentatæ, nisi pareret imposteriorum: comminatio autem ad effectum deducta, cum rursus Domini dicto minus obediens, à Samuële audiuit: Pro-

A iecit te Dominus ne sis rex super Israël, c. 15. 26. vide Abulenf. quæst. 11.

Super Israël in sempiternum. Verum quia Dominus præiudicauit vitio suo Saulem regnum amissurum, non seruatis conditionibus, quibus illud acceperat, tanto ante Iacob vaticinatus est Gen. 40. *Non auferetur, &c.*

Iam nunc præparasset. Hebraismo, pro confirmasset, *regnum tuum.*] Sic Psal. 23. dicitur Deus *super maria fundasse terram, & super flumina præparasse eam.*

Petes, Quo sensu dicit hîc Samuël, Deum Sauli, si iussis suis paruisset, confirmaturum fuisse regnum in posteris *in æternum*: cum illud iam multis antè sæculis promissum fuerit tribui Iuda? Respondeo, solùm conditionatè id de Saule dicitur, absolutè vero de tribu Iuda. Et quia præiudicauit Deus, Saulem à conditione deflexurum, potuit certo antè prædecernere ac prædicere, scæptrum ab eo tollendum, & in tribum Iuda transferendum, & in ea hæsurum ad vsque Messiam. Ita DD. Scholastici.

Petes secundo, Quod fuerit tantum Saulis peccatum? Et quidem primum peccatum viri antè tam innocentis? Respondeo, Inobedientia, qua cum iussus esset à Samuële nihil aduersus Philistæos vel sacrificando, vel Deum consulendo, vel pugnando tentare ante expletum diem septimum, quo se Samuël certo affuturum addixerat, seque diuinam voluntatem ei manifestaturum, ipse metu inuili præuertit aduentum Samuëlis. Sed an hoc tam ingens crimen, vt ob hoc priuari regno debuerit? Quo supplicio in humanis vix vllum grauius habetur? Respondeo, in mandatis diuinis non tam spectari debet qualitas, vel quantitas materiæ, quàm præcipientis maiestas ac voluntas. Et vero cum expediret, vt reges quotquot futuri erant in posterum, certo persuasum haberent, in administrando regno, ne vel in te minima à Dei iussis recedendum esse, voluit Deus primum in eo genere peccatum primi regis, ad omnium posterorum exemplum tam graui supplicio multare. Sic primum peccatum primorum parentum, primum primorum Christianorum Ananiæ, & Saphiræ sacrilegium, & voti violationem, tam seueris pœnis punire voluit, vt quotquot in eo statu secuturi sunt posterius, grauitate pœnæ à simili scelere detererentur. Ita notauit Isidorus Pelusiota, Angelomus, Abulenfis, & Caietanus.

Sed nequaquam regnum tuum. Id est ultra te: quia filius eius Isboeth non regnauit super totum Israël, nec etiam super illud pacificè, & cum hoc paruo tempore, vt habetur 2. lib. Reg.

Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum. Scilicet ipsum Dauid.

Et præcepit ei Dominus. Licet hoc esset adhuc futurum, tamen loquitur per modum præteriti propter certitudinem diuinæ prouidentiae, prout est in mente diuina, quia est certa de futuro, ac si iam esset in actu præsentis, vel fuisset de præterito.

Præcepit ei Dominus. Præceptorum est. De re futura loquitur Samuël tanquam de præterita, vt non infrequenter solent Prophetæ.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 18.

Vulg. Surrexit autem Samuël, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum, qui inuenti fuerant cum eo, quasi sexcentos viros.

Pag. Visitauit Saul populum.

Sept. Rom. Abiit de Galgalis, &c. in occursum post populum bellatorem ipsis aduenientibus in Galgala Benjamin.

Abul. Descendit de Galgalis.

Cald. Numerauit Saul.

Arab Subducto populi numero, qui secum remanserant, fuerunt sexcenti viri.

Vulg. Et Saul, & Ionathas filius eius, populusque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philistiim confederant in Machmas.

Pag. Manebant in Gabaa.

Malu. Sedebant.

Sept Rom Sederunt, & plorabant.

Reg. non habent. Plorabant.

Vulg. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philistinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual.

Pagn. Egressus est vastator, &c. cum tribus capitibus. Caput vnum respiciebat.

Mont. Exiuit corruppens.

Malu. Perditor de desidentia Philistim, & caput vnum respiciet.

Sept. Rom. Egressus est, &c. tribus principiis, principium vnum spectans.

Reg. Per tres turmas.

Syr. Egressi sunt vastatores, &c. tribus agminibus, quo-

rum vnum pergebat.
Bibl. Compl. Vat. Bened. Ad præliandum.
Alia Bibl. Contra viam Ephraim ad viam Saül.
Vulg. Porro alius ingrediebatur per viam Beth-heron.
 Tertius autem verterat se ad iter termini imminentis
 valli Seboim contra desertum.
Pagn. Et caput aliud respiciebat ad viam, &c. quæ respicit
 contra vallem.
Sep. Rom. Principium vnum spectans viam Gabæ, ver-
 gentem ad Gæ Sabim.

Reg. Et cuneus vnus aspiciens viam termini, quæ vergit
 in vallem Sabain desertum.
Theod. In valle caprearum.
Cald. Termini qui respicit ad vallem Aphghada ad deser-
 tum.
Alij. Regulorum viperarum, &c.
Alij. Valli pictorum.
Syr. Verterat se ad viam limitis qui respicit vallem Se-
 boon, & desertum.
Arab. A latere deserti.

CONCORDIA ET EXPOITIO LITERALIS.

Ascendit de Galgalis. Abul. Descendit, sed melius *Vulg.* nam Galgala locus erat humilior. Et reliqui populi, &c.
 Hæc verba vsque ad illud *Beniamin*, non inveniuntur in aliis exempl. sed solum in *Six.* & sensus est; reliqui Is-
 raëlitarum, qui ex magna illa dispersione superfuere, ascenderunt obuiam populo, scilicet Philistæo, quia
 Philistini expugnabant eos, scilicet Israëlitas venientes de Galgalis in Gabaa quæ erat in colle, seu tribu Benjamin.
Egressi sunt ad prædandum, Alij, Perditor, vastator, vt vastarent, terramque perderent tres cunei, Alij, Tria capita,
&c. Miserunt tres turmas ex suis ad terram Sual. In nonnullis *Bibl.* quæ sequuntur *D. Greg. Mag. Hugo. Dyonif.*
Contra viam Ephraim ad terram Saül; sed vitiosè, nam in Hebr. est עפרה *ghophrah*, quod nomen non potest coinci-
 dere cum אפרים *Ephraim*: vnum incipit per *v ain*, alterum per *s*; deinde in Heb. non est ad terram שׂאול *Saül*, sed
 ad terram שׂעל *Sual*. Tertius autem cuneus verterat se ad iter termini, &c. Aliqui Codices habent. Ad iter termini
 in terra Sabaa, sed hæc duo dictiones in terra Sabaa non sunt de textu, nec in aliquibus exemplaribus reperiuntur.
Valli Seboim, Alij, Valli caprearum, &c. Occasionem dedit tam multis versionibus nomen Hebr. צבעים *tseboim*,
 à radice צבע *tsabah*, id est, tangere, seu pingere: vnde quia prædicta animalia multis maculis varia sunt, & quo-
 dammodo picturata, appellantur Seboim.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *yr. 15.* **S**vrrexit autem Samuel, &c. Quo ibat populus Is-
 raël contra Philistæos inermis, & paruo numero, vt
 patet ex sequentibus, vt ex præsentia Samuëlis consola-
 retur. Vel, iuit in collem Domini, vbi erat congregatio
 prophetarum quæ erat propè Gabaa, vt ibi vacaret oratio-
 ni, pro populo Dei.

Venientes. Hoc refertur ad populum sequentem Saül.
 Cætera patent.

MENOC. *Obuiam populo.* Philistæorum scilicet.
LYRAN. *yr. 16.* **P**orro. Hic consequenter describitur hostium incurfus,
 cum dicitur.

MENOC. *In Machmas,* Machmas non procul aberat à Gabaa, in
 qua vires, & castra coniunxerant Saül, & Ionathas, vt
 patet infra ex cap. 15. 5.

LYRAN. *yr. 17.* **E**t egressi sunt ad prædandum de castris Philistinorum
 tres cunei. Sciebant enim esse filios Israel sine armis, &
 paucos: ideo per tria loca intrauerunt terram eorum ad
 prædandum, quia non timebant de resistentia eorum.

A vnus cuneus pergebat. In Hebr. habetur. *Contra viam*
Ephrata ad terram Saül. Et ideo translatio nostra vide-
 tur hic corrupta, vitio scriptorum propter similitudinem
 dictionum.

Contra viam Ephra. Id est, Meridiem versus, vt ait **MENOC.**
Caldæus Paraphrastes. At si hæc Ephra eadem est cum
 ea, in qua habitauit, & sepultus est Gedeon, in Septem-
 trionem dicendum fuit, vt notat *Salianus*, erat enim ea
 vrbs in tribu Manasse cis Iordanem, vt docet *D. Hier.* in
 locis Hebraicis, & *Adrichomius* in tribu Manasse, nume-
 ro 31.

Porro alius cuneus ingrediatur per viam Beth-horon. Id
 est, Occidentem versus, hic est enim situs inferioris Beth-
 horon ratione Machmas, iuxta *Adrichomium* in tabula
 tribus Ephraim. **MENOC.**
yr. 18.

Ad iter termini imminentis valli Seboim. Id est, versus
 Orientem, Seboim loca fuit Sodomæ & Gomorrhæ, vnde
 hæc vallis nomen accepit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad. 23.

Vulg. Porro faber ferrarius non inueniebatur in om-
 ni terra Israel: cauerant enim Philistiim, ne fortè
 facerent Hebræi gladium aut lanceam.

Malu. Aut hastam.

Cald. Et artifex faciens arma non inueniebatur, &c. for-
 tassis facient Iudæi gladios aut lanceas.

Vulg. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, vt ex-
 cueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & se-
 curim, & sarculum.

Mont. Et fossorium suum.

Tigur. Ad reficiendum cultrum suum caratri.

Malu. Et fabrile suum.

Sep. Rom. Fabricare vnusquisque messorium suum, & vas
 suum, &c. & marram suam.

Reg. Vt fabricaret quilibet falcem suam, & instrumen-
 tum suum, &c. ac falcem suam.

Cald. Ad acuendum vir stimulum suum, & paxillum iugi
 sui, &c. & ferramenta sua.

Syr. Ad expoliendum, &c. aratrum suum.

Arab. Bipennem, & securim suam.

Vulg. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum,
 & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corri-
 gendum.

Pagn. Et erat lima, &c. & ad acuendum stimulum.

Mont. Et erat lima habens ora vomeribus, &c. & ad sta-
 Tom. 1 V.

tuendum stimulum.

Malu. Et erit rupturæ ora vomeribus, &c. & trifurco,
 &c. & ad stare facere stimulum.

Isid. Clar. Atque fabrilia instrumenta sua.

Tigur. Et ad reficiendum stimulum.

Sep. Rom. Et erat vindemia parata ad metendum. Vasa
 autem erant tres sicali in dentem, & securi, & falci sub-
 stantia erat eadem.

Reg. In instrumenta autem erant, &c. & ad corrigendum
 stimulum boum substantia, &c.

Cald. Et fuit eis lima ad acuendum in ea fracturam omnis
 vasi fabri ad fabrilia, & ad paxillum iugorum, & ad in-
 strumentum fullonum cui tres dentes, &c. & ad stabu-
 lumentum stimuli.

Syr. Et lima quæ latior erat vertebatur in falcem, &
 in vomerem, & in vallum, &c. & in hastam stimu-
 li.

Arab. Et componendum ex lima latiore, falcem, compo-
 fueruntque sibi paxillos, & cuspides è laminis: fecerunt-
 que bipennes, & hastas cuspidibus, vt essent in iacu-
 la.

Vulg. Cumque venisset dies prælij, non est inuentus en-
 sis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saü-
 le, & Ionatha, excepto Saül, & Ionatha filio eius.

Pagn. Et repertus est ipsi Saül, & Ionathan filio eius.

Malu. Et fuit in die caſionis.

Vulg. Egreſſa eſt autem ſtatio Philiftiim, vt tranſcenderet in Machmas.

Mont. Et egreſſus eſt præfectus Philiftim.

Sept. Rom. Et exiit de ſtatione alienigenarum.

Cald. Et exit dux.

Arab. Interim ingreſſi ſunt exploratores Philiftæorum ad oppoſitum latus Machmas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Faber ferrarius. Hebraicè ſolum eſt חרש *charas*, id eſt faber ſeu artifex cuiuſcumque materiæ: ſed *Vulg.* ex ſubiecta armorum materia, rectè ad ferrarium limitauit. *Vomerem ſuum*, *Alij*, *Mefforium*, *falcem*, *ſtimulum*. Hebraicè eſt מכרשה *Machareſeth*, à verbo חרש *charas*, quod præter alia etiam ſignificat arare. *Ligonem*, *Alij*, *Instrumentum*, *vas*, *paxillum ingi ſui*. Hebræi אה *eth*, *Sarculum*, *Sept. Sixt. Marram ſuam*. *Cald. Ferramenta ſua. Retuſa erant acies vomerum*, &c. *Alij*, *Et erat lima, ora* (ſcilicet habens) *vomeribus*. Noſtra editio intellectu facilis: oſtendit enim quam eſſet populus ad pugnandum imparatus, non ſolum quia carebat armis bellicis, ſed etiam, quia instrumenta ruſtica, quæ poſſent pro bellicis inferuire, habebat obtuſa, & ad prælium inepta. Hebraicè autem ſic exponi poteſt. *Erat vomeribus lima habens ora*, hoc eſt vomerum acies erat tanquam lima habens ora, id eſt inæqualis, & retuſa ac proinde inhabilis ad ſecandum: ſed exemplaria omnia Græca difficillima intellectu, ſic enim habent. *Vindemia parata ad metendum*. Scholion tamen quoddam Sixt. ſuſpicatur vocabulum *קוצנים*, quod vindemiam ſignificat, ſignificare hîc aliquod instrumentum cæteris agricolatum instrumentis acueendis idoneum: vnde poteſt fieri hic ſenſus: Hebræi cum non poſſent ita facilè adire fabros in Palæſtina commorantes, habebant instrumentum quo acuebant omnia ferramenta ad metendum neceſſaria. *Ad ſtimulum corrigendum*, *Alij*, *Acuendum*. *Egreſſa eſt ſtatio*, *Alij*, *Præfectus*, *dux*. Vide dicta ſuperius.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra **A** *Cumque veniſſet dies prælij*. Id eſt, illud tempus in quo præliandum eſt contra prædatoreſ prædictoſ. **LYRAN.**
 §. 19. *Iſraël*. Hic conſequenter deſcribitur impotentia filiorum Iſraël ad reſiſtendum: erant enim inermes: & ideo non audebant egredi contra prædatoreſ, ſed tenebant ſe intra fortalitium Gabaa. Ratio autem quare erant ſine armis, iungitur, cum dicitur. **LYRAN.**
Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël. Qui poſſet facere arma.
Cauerant enim Philiftiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Quia Philiftiim dominanteſ Hebræiſ tranſtulerant fabroſ de terra Iſraël in terram ſuam, ne fabricarent eiſ arma, permittebant tamen, quod filij Iſraël haberent instrumenta ad colendum terram. Ideo ſubditur. **LYRAN.**
MENOC. Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël. Cauerant enim Philiftiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Cum ad eam diem ſeruiſſent Hebræi Philiftiim horum iuſſu caruerant fabriſ, qui nondum erant reſtituti. **MENOC.**
LYRAN. Descendebat ergo omnis Iſraël ad Philiftiim, vt exaceret vnusquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & securim, & ſarculum. Sed hoc erat tempore pacis: ſed poſtquam Ionathas percuſſerat ſtationem Philiftinorum: non audebant illuc deſcendere. **LYRAN.**
MENOC. Descendebat ergo omnis Iſraël ad Philiftiim, vt exaceret vnusquiſque vomerem ſuum. Fortaſſè ad ea loca vbi ſtationeſ, ſiue præſidia Philiftinorum erant in Iſraëlitarum oppidiſ. **MENOC.**
LYRAN. Retuſa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium, vſque ad ſtimulum corrigendum. Id eſt, vſque ad aculeum quo ſtimulantur boueſ. Hoc eſt dictum, quod in quolibet instrumento ferreo præparando quantumcumque paruo, acies erat retuſa, ex cauſa prædicta: quia non audebant filij Iſraël deſcendere ad fabroſ exiſtenteſ in terra Philiftiim. **LYRAN.**
Non eſt inuentus enſis, & lancea in manu totiuſ populi, qui erat cum Saüle, & Ionatha. Ex cauſa prædicta.
Excepto Saül, & Ionatha filio eiſ. Dicunt Hebræi quod miraculoſè dati ſunt eiſ gladij: Sed non eſt veriſimile, quod ſcriptura tantum ſignum tacuiſſet. Nec oportet ad hoc inducere miraculum, quia reges, & filij regum multa habent, & maximè de armis quæ vulgareſ non habent.
Non eſt inuentus enſis, & lancea in manu totiuſ populi, qui erat cum Saüle & Ionatha, excepto Saül, & Ionatha filio eiſ. Cum tamen facilè ſibi ex præcedentibuſ victoriis parare potuiſſent. Non dicitur omneſ Iſraëlitaſ enſibuſ caruiſſe, ſed eoſ, qui erant cum Saüle, hi autem tantum erant ſexcenti viri, quos fortaſſè Dominuſ inermes eſſe permiſit vt luculentior eſſet victoria. Crediderim etiam pleroſque militeſ, qui Saüli adhæſerant, fuiſſe ex Gabaa, quæ illiſ cum Saüle communis erat patria, Gabaitæ autem funda iaciendiſ ſaxiſ plurimum valebant, Iud. 20. 16. quare non improbabile eoſ alia armorum genera neglexiſſe, vt poſtea David cum Goliath pugnaturuſ. Quamuiſ autem enſeſ non haberent Iſraëlitaſ, aliis tamen teliſ non caruerunt, & ruſtica etiam instrumenta ad vſum belli facilè conuertere potuerunt.
Egreſſa eſt autem ſtatio Philiftiim vt tranſcenderet in Machmas. Statio Philiftiim ſignificat tota ipla caſtra ſtatiua Philiftæorum, qui territoſ animaduertenteſ Hebræoſ à loco, in quo priuſ conſederant progreſſi, caſtra locarunt inter Machmas, & Gabaa Benjamin eo conſilio, vt Saülem in Gabaa obſiderent, & cum vrbe ipſum caperent, & occiderent. **MENOC.**

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS.

Ionathas cum solo armigero suo Philistorum stationem aggreditur, cedit & dispergit. Verùm post victoriam melle (contra prohibitionem patris quam ignorabat) degustato, vix mortem euadit.



T accidit quadam die vt diceret Ionathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum. Veni, & transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicauit. 2. Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat Ephod. Sed & populus ignorabat quòd isset Ionathas. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petrae ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene: 5. vnus scopulus prominens ad Aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad Meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quòd cupis, & ero tecum vbicumque volueris. 8. Et ait Ionathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, 9. si taliter locuti fuerint ad nos, Manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum. 11. Apparuit igitur vterque stationi Philistinorum: dixeruntque Philistiim: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant. 12. Et loquuti sunt viri de statione ad Ionatham, & ad armigerum eius, dixeruntque: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israël. 13. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. 14. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas & armiger eius, quasi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare consuevit. 15. Et factum est miraculum in castris, per agros: sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra: & accidit quasi miraculum à Deo. 16. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa-Beniamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illucque diffugiens. 17. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius. 18. Et ait Saul ad Achiam: Applica Arcam Dei. (Erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filiis Israël.) 19. Cumque loqueretur ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum: crescebatque paulatim, & clariùs resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. 20. Conclamauit ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis: & ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis. 21. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philistiim heri & nudius tertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israël, qui erant cum Saul & Ionatha. 22. Omnes quoque Israëlitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philistæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum. 23. Et saluauit Dominus in die illa Israël, pugna autem peruenit vsque ad Bethauen. 24. Et viri Israël sociati sunt sibi in die illa: adiurauit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem: 25. Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. 26. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum. 27. Porrò Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius. 28. Respondensque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie, (defecerat autem populus.) 29. Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustauerim paululum de melle isto: 30. Quantò magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne maior plaga facta fuisset in Philistiim? 31. Percusserunt ergo in die illa Philistæos à Machmis vsque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis: 32. & versus ad prædam, tulit oves, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditque populus cum sanguine. 33. Nuntiauerunt autem Sauli dicentes, quòd populus pec-

castet Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Præuaricati estis: voluite ad me iam nunc fac-
 xum grande. 34. Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnusquis-
 que bouem suum & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino co-
 medentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua vsque
 ad noctem: & occiderunt ibi. 35. Ædificauit autem Saul altare Domino; tuncque primùm cœpit
 ædificare altare Domino. 36. Et dixit Saul: Irruamus super Philistæos nocte, & vastemus eos vs-
 quedum illucescat manè, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum
 videretur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum. 37. Et consuluit Saul Do-
 minum: Num persequar Philistiim? si trades eos in manus Israël? Et non respondit ei in die illa.
 38. Dixitque Saul: Applicate huc vniuersos angulos populi: & scitote, & videte, per quem acci-
 derit peccatum hoc die. 39. Viuit Dominus saluator Israël, quia si per Ionatham filium meum fa-
 ctum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40. Et
 ait ad vniuersum Israël: Separamini vos in partem vnã, & ego cum Ionatha filio meo in parte
 altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur oculis tuis, fac. 41. Et dixit Saul ad
 Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël da iudicium: quid est quod non responderis seruo
 tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniqui-
 tas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas & Saul, populus autem exiuit.
 42. Et ait Saul: Mittite sortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas.
 43. Dixit autem Saul ad Ionatham: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait:
 Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.
 44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. 45. Dixitque
 populus ad Saul: Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? hoc nefas
 est: viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.
 Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur. 46. Recessitque Saul, nec persequutus est
 Philistiim: porrò Philistiim abierunt in loca sua. 47. Saul, confirmato regno super Israël, pugna-
 bat per circuitum aduersum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, &
 reges Soba, & Philistæos: & quocumque se verteret, superabat. 48. Congregatoque exercitu,
 percussit Amalec, & eruit Israel de manu vastatorum eius. 49. Fuerunt autem filij Saul, Ionathas,
 & Iessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen
 minoris Michol. 50. Et nomen vxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: & nomen principis militiæ
 eius Abner, filius Ner, patruelis Saul. 51. Porrò Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius
 Abiel. 52. Erat autem bellum potens aduersum Philistæos omnibus diebus Saul. Nam quemcum-
 que viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. 2. & 3.

Vulg. Et accidit quadam die vt diceret Ionathas filius
 Saul, ad adolescentem armigerum suum: Veni, &
 transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trans
 locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indica-
 uit.

Arias. Ad puerum ferentem vasa sua.

Vatab. Et fuit dies & dixit.

Tigur. Penetrabimus præsidium Philistinorum.

Malu. Ad excussum leuantem vaporum eius, ambula &
 transiuimus.

Sept. Rom. Transeamus ad Messab alienigenarum quæ
 trans, &c.

Arab. Qui gestabat vestimenta sua, age eamus ad aciem
 Palæstinorum, quæ est ab vltiori parte,

Vulg. Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub

malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus
 cum eo, quasi sexcentorum virorum.

Sept. Rom. Saul sedebat super summitatem collis.

Reg. Super collem.

Cald. In finibus collis planitie granati.

Arab. In extrema parte Ramæ arbore mali granati.

Vulg. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phi-
 nees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in
 Silo, portabat Ephod. Sed & populus ignorabat quò
 esset Ionathas.

Sept. Rom. Fratris Iochabed filij Phinees filij Heli, sacer-
 dos Dei in Selom.

Cald. Sacerdos ministrans ante Dominum vestibus Ephod.

Arab. Portans vas fœderis Dei per quod petebant ora-
 cula.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Armigerum suum; Alij, Ferentem vasa sua. Pluries diximus nomen vasa apud Hebr. denotare quodlibet in-
 strumentum, sine bellicum, siue aliud, imo quamcumque suppellectilem, vnde Arab. habet, *Qui gestabat*
vestimenta sua: Morabatur in extrema parte Gabaa; Alij, Sedebat super summitatem collis. Summitas idem
 quod extremitas, Gabaa autem Hebr. idem est quod Latine collis: vnde Sept. cum nomen Gabaa propriè significet
 collem, & translata vrbem in colle sitam, ad proprium significatum respicientes, perpetuo transferunt collem etiam
 cum ipsa vrbs significatur. *Qui ortus fuerat ex Heli sacerdote; Alij in nominatiuo, & sacerdos.* Quod refertur ad
 Achiam summum sacerdotem.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 y. 1.

Et accidit, &c. Hic consequenter describitur trans-
 gressio Saulis, ex temerario iuramento. Et 1. ponitur
 iurandi occasio. 2. ipsa iuratio, ibi: *Adiurauit autem Saul.*
 Occasio autem iurandi fuit auditas insequendi hostes
 coram Ionatha, & eius armigero fugientes: & ideo circa

hoc 1. ponitur ipsius Ionathæ constans audacia. 2. mirabi-
 lis pugna, ibi: *Et ait Ionathas.* 3. pugnae notitia, ibi: *Et*
respexerunt. Ipsius autem Ionathæ audacia patet ex hoc
 quod solus cum armigero suo voluit ire, ad tentandum si
 posset stationem Philistinorum debellare. Et patet littera

vsque, ibi: *Patri autem, &c.* Ne per ipsum impediretur. A exercitu, vt habetur infra eod. cap.

Cætera patent vsque ibi.

MENOC. *Quadam die.* Non accipitur hîc dies prout à nocte distinguitur, nam Iosephus, & Abulensis, & alij putant Ionatham nocturnum caprasse tempus, vt tentaret aliquid contra Philistæos.

MENOC. *In extrema parte Gabaa.* Loco non parum distito ab eo, in quo Ionathas morabatur.

† 2. *Sub malogranato.* Certo quodam loco, cui erat nomen à malo granato, ibi tentorium suum habebat Saul. Videtur locus hic ille idem, in quo Iud. 20. v. 47. sexcenti viri confederant, erat enim propè Gabaa, & dicebatur, *Petra Remmon*, id est, *collis*, aut *scopulus maligranati*.

TIRIVS. *Saul morabatur fixo tentorio sub malogranato.* Hebraicè est *Remmon*, quod malogranatum significat. Estque idem locus, ad quem Iudicum 20. v. 47. dicuntur confugisse sexcenti viri, qui ex clade Benjaminia soli reliqui manserant. Erat enim prope Gabaa, & locus munitissimus.

LYRAN. *Portabat* Id est, vestem sacerdotalem, cui coniunctum est rationale iudicij, vt habetur Exod. 27. vt in ea consuleret Dominum coram arca Domini, quæ erat ibi cum

exercitu, vt habetur infra eod. cap.

Et *Achias filius Achitob, &c.* Hic Achias infra cap. 21. & 22. vocatur Achimelech, composito nomine. Nam eundem esse, non videtur dubium. Siquidem & ibi vt sacerdotum princeps describitur, vt hîc, & similiter vocatur filius Achitob: cuius etiam filius Abiathar, vt habetur cap. 23. fugerat ad David Ephod secum habens. Porro idem alibi vocatur & Abimelech, vt 1. Paralip. 18. Quin & Abiathar illum quidam vocatum volunt æquè ac filium, & vice versa, filium etiam Achimelech eo nomine quo pater. Vide 2. Reg. 8. Marci 2. & 1. Paral. 18. Hoc interim nota, Phinees illum, de quo hîc est sermo, non esse Phinees filium Eleazari, sed filium Heli sacerdotis, de quo 1. Reg. 4.

Portabat Ephod. Pontificale scilicet. Achias alio nomine dicebatur Achimelech, eratque filius Achitob, filij Phinees, filij Heli.

B *Achias.* Hic erat tunc summus sacerdos, & alio nomine vocabatur Achimelech, pronepos Heli: paulo post à Saule occisus, cap. 22. Hic verò, cum in angustiis esset res Israëlita, iussu Saulis aduexerat arcam in castra, vt infra dicitur v. 18.

ESTIVS.

MENOC.

TIRIVS.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 4. ad 7.

Vulg. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petrae ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene.

Pag. Et inter transitus per quos querebat transire ad præfectum Pelistim, erat dens petrae in transitu inde.

Tigur. Prærupta petra in transitu hinc.

Malu. Densa Rupes.

Sept. Reg. Eminens pars lapidis hinc.

Cald. Et inter vada quæ quæsiuit, &c. nomen vnus lubricatio, & nomen alterius conculcatio.

Syr. Vbi erat promontorium petrae istinc à transitu.

Arab. Aditus inter illos erat inter duas petras ingentes.

Vulg. Vnus scopulus prominens ad Aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad Meridiem contra Gabaa.

Pag. Dens vnus stabat ab Aquilone.

Sept. Via vna ab Aquilone venienti Machmas, via altera ab austro venienti Gabaa.

Vulg. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis.

Pag. Transeamus ad præfectum incircumcisorum, &c. fortè faciet Dominus salutem per nos, quia non est Domino prohibitio seruandi cum multis, &c.

Arias. Quia non est restrictio Domino seruandi in multo

vel in paucis.

Caier. Quoniam Ichoush non retentor saluare.

Varab. Quoniam Domino non est retardatio, remoratio.

Malu. Quia non Iuh præualefcentia ad saluare in multo.

Sept. Rom. Siquidem faciat Dominus nobis, quoniam non est Domino restrictum.

Reg. Continentia saluare.

Cald. Transibimus ad ducem præputiatorum horum, forte faciet nobis Dominus signum, quia non ante Dominum difficile seruare.

Syr. Iuuabit nos: non enim est obstaculum Domino.

Vulg. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quò cupis, & ero tecum vbicumque volueris.

Pag. Fac omne quod est in corde tuo, diuerte: ecce ego tecum sum secundum cor tuum.

Varab. Declina tibi, sequar te quocumque voles pergere.

Tigur. Indulge tibi, en adsum pro voto tuo.

Malu. Extende tibi.

Sept. Rom. Fac omne quodcumque cor tuum inclinauerit, ecce ego tecum, sicut cor tuum, cor meum.

Reg. Inclina teipsum.

Cald. Prospice tibi, ecce ego tecum vt voluntas tua.

Arab. Fac quicquid libuerit, & carpe viam quam cupis, & ego ero tecum quocumque perrexeris, audacter suscipe, quod animo tuo designasti.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Erant autem inter ascensus; Alij, Inter transitus, vada. Hebr. quidem est מעברות *mahabaroth*, id est, transitus à radice עבר *ghabar*, id est transire, & Græce δάβαινα, traiectio, vnde Cald. transtulit *inter vada*, quibus flumina traiciuntur, nihilominus noster Vulg. totius loci naturam prout in littera, declaratur, expendens, rectè transtulit, ascensus, vt illud communius vocabulum, transitus, indifferens ad viam accliuem & decliuem exprimentam limitaret ad viam accliuem significandam. *Eminentes petrae ex vtraque parte; Alij, Erat Dens petrae.* Dens petrae vocatur promontorium, scopulus, prominentia, quæ ad modum dentis prominet, atque excurrit. *Vnus scopulus prominens ad Aquilonem.* Sept. Sixt. *Via vna ab Aquilone venienti Machmas. Et altera via ab austro venienti Gabaa.* Vbi viam posuerunt pro termino viæ, quasi dicant, vnus scopulus viam Septentrionalem ab vrbe Machmas, alter viam australem, ab vrbe Gabaa terminabat.

Si forte faciat. Sept. Reg. *Siquidem faciat nobis Dominus.* Et ita non habent particulam *forte*: nescio an vt ab his Ionathæ verbis omnem dubitationem excludat. Ea tamen exprimitur in Hebr. וְלֵאמֹר *vlai*, & in Reg. ἵπτος, Alij, *Faciet forte salutem signum aliquod, &c.* Sed noster quid facturum sit non addit, sicut nec Heb. textus, ne diuinam beneficentiam ad decretum aliquod beneficium limitare videantur. *Quia non est Domino difficile saluare; Alij, Non est restrictio, detentio, &c.* Hebr. מַגְבִּיר *maghsor*, à verbo עָצַר *ghatsar*, quod est prohibere, detinere, quasi dicat, non potest Deus restringi aut prohiberi, quin multos cum paucis vincat. *Perge quo cupis; Alij, Indulge tibi, &c.* Quasi dicat, non meam cures voluntatem, sed tuam, vnde Sept. *Sicut cor tuum, cor meum.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**rant autem inter, &c. Erat enim ibi quasi quædam
 4. ruptura montis, & vallis in medio, habens ex vtra-
 que parte scopulos in modum dentium, & per illum lo-
 cum quærebat Ionathas, transire. Dicit autem Iosephus
 quod Ionathas rogauit Dominum deuote, vt posset Phi-
 listæos debellare, & Dominus concessit, dans ei signum,
 scilicet quod si Philistæi videntes eum dicerent: Ascendi-
 re ad nos, quod Dominus per Ionatham & armigerum
 suum debellaret eos. Et patet littera vsque ibi.

ME NOC. *Nomen vni Boses. Quæ vox significat, Flos in eo, locus*

A fortasse floribus abundans. Rupes hæc ex Adrichomio ver-
 tice suo vergebat in meridiem, & respiciebat Gabaa.

*Nomen alteri Sene. Quæ vox Rubrum significat, ibi for-
 tasse rubi, & spinæ, huius scopuli vertex prominebat ad
 Aquilonem, & obuersus erat ad oppidum Machmas eo-
 dem Adrichomio auctore.*

*Transcamus ad stationem, &c. Temerarium consilium M ENOC
 nisi Deus inspirasset, cui vt ipsemet loquitur Ionathas, V
 difficile non est saluare in multis, vel in paucis.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 12.

Vulg. Et ait Ionathas: Ecce nos transimus ad viros
 istos. Cumque apparuerimus eis.

Pag. Et nos aperiemus eis.

Mont. Manifestabimus nos ad ipsos.

Tigur. Reuelabimur eis.

Sept. Rom. Deuoluemur ad eos.

Syr. Retegemus nos eis.

Vulg. Si taliter locuti fuerint ad nos, Manete donec ve-
 niamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus
 ad eos.

Pag. Expectate donec attingamus vos.

Mont. Silete.

Malu. Stabimus subter vos.

Sept. Rom. Recidite illuc donec annuntiemus vobis,

Reg. State illic, donec appropinquemus vobis.

Cald. Moramini.

Syr. Subsistite.

Arab. Consistite in loco vestro.

Vulg. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus,
 quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit
 nobis signum.

Arab. Quia Deus Dominus noster iam tradidit eos in

manus nostras.

Vulg. Apparuit igitur vterque stationi Philistinorum: di-
 xeruntque Philistiim: En Hebræi egrediuntur de ca-
 uernis, in quibus absconditi fuerant!

Pag. Apparuerunt autem ambo præfecto Philistim, &c. de
 foraminibus.

Mont. Reuelati sunt.

Sept. Rom. Intrarunt vtrique in Messab alienigenarum.

Cald. Exeuntes è foueis.

Syr. E cryptis.

Arab. E latebris.

Vulg. Et loquuti sunt viri de statione ad Ionatham, & ad
 armigerum eius, dixeruntque: Ascendite ad nos, &
 ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum
 suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Do-
 nus eos in manus Israel.

Mont. Scire faciemus vobis rem.

Tigur. Responderunt viri stationis, &c.

Malu. Cognoscere facimus vos verbum.

Cald. Docebimus vos.

Arab. Docemus vos rerum conditionem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE caernis; Alij, De cryptis, foueis, &c. Hoc est de locis absconditis. *Ostendemus vobis rem;* Alij, *Verbum,*
 sed Latinus Interpres attendens ad significatum verbi rem transtulit. Hebræos autem inuitarunt Philistini, non
 serio, sed per Ironiam, vel Antiphrasim ad aliquid ostendendum. His enim figuris tum vtimur, quando con-
 trarium eius, quod dicimus, pronuntiatione aut verbis ostendimus.

ANNOTATIONES.

MENOC. **S**i taliter locuti fuerint, &c. Cum Ionathas non omni-
 9. no certus esset an incitatio illa animi diuinitus esset im-
 missa, signum statuit, & omen captat, ex quo certior
 fiat de diuino motu. Huiusmodi signis edoceri quid facto
 opus esset, postulasse viros sanctos & sapientes discimus
 ex scripturis. Sic seruus Abraham Genes. 24. v. 13. Ge-
 deon Iudic. 7. v. 9. Credibile etiam est Deum, qui men-
 tem illi iniecerat vt ad Philistæorum castra ascenderet,
 etiam vt signum noscendæ diuinæ voluntatis constitueret,
 fugessisse.

LYRAN. **A**scendite ad nos. Irritorie loquuntur, quia videbant
 10. Ionatham & armigerum eius, euntes hinc & inde ad quæ-
 rendum transitum; & Philistæi loquebantur eis, ac si quæ-
 rerent rem perditam.

*Si dixerint, Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradi-
 dit eos Dominus in manus nostras.* Ex hac ratione, simul &
 ex constanti Ionathæ assertionem, adeoque & ex euentu

B rei videtur colligi, ipsum ex diuino instinctu signum hoc,
 quasi certum victoriæ omen præscripsisse. Ita Lyranus, S.
 Thomas, Hugo, Abulensis, Caietanus. Simile habes Ge-
 nes. 24. v. 13. in seruo Abraham: & Iud. 6. in Gedeone: & in
 profanis historiis apud Herodotum in principio lib. 5. Vir-
 gilium 9. Æneidos & alios.

Et ait Ionathas, &c. Hic consequenter describitur ipsius LYRAN.
 Ionathæ mirabilis pugna, quæ facta est virtute diuina. Et V. 12.
 sequitur.

Tradidit enim, &c. Et hoc ostenditur per effectum, cum
 dicitur.

Ostendemus vobis rem. Cum viderent Philistæi Iona-
 tham huc, & illuc errantem; quasi aliquid quæreret, illi
 cum irrisione dicunt: Venite ad nos, & ostendemus id
 quod tanto studio quæritis, nempe mortem: vel sensus
 est, Audite, habemus enim quod vobis dicamus.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 13. 14. & 15.

Vulg. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus
 reptans, & armiger eius post eum. Itaque alij ca-
 debant ante Ionatham, alios armiger eius interficie-
 bat sequens eum.

Mont. Ascendit super manibus, & super pedibus suis, ce-
 ciderunt ad facies Ionathan, & ferentis vasa eius.

Sept. Rom. Inspexerunt ad facies Ionathan & percussit eos
 & portans vasa eius procedebat post eum.

Reg. Gerens arma eius pergebat post eum.

Cald. Ceciderunt debilitati ante Ionathan.

Syr. Ascendit nixus manibus, &c. corruit statio Philistæo-
 rum.

Arab. Armiger præualebat his, qui nondum faucij fuerant.

Vulg. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas & armiger eius, quasi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare consuevit.

Mont. Quasi in media sulci iugeri agri.

Malu. Et fuit percussio prima, &c. sicut in medietate iugeri coniugationis agri.

Sept. Rom. Circiter viginti viri in iaculis, & lapidum ictu, & silicibus campi.

Cald. Circiter spatium dimidiæ ambulationis ingi boum in agro.

Syr. Percussit tanquam lapidas, & tanquam ducentes iuga boum in agro.

Arab. Quoniam erant apud eum quasi qui lapides cadunt, & qui bobus arant.

Vulg. Et factum est miraculum in castris, per agros: sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra: & accidit quasi miraculum à Deo.

Pag. Præfectus, & vastator expauerunt etiam ipsi, & commota est terra, & fuit in pauore grandi.

Arias. Statio & corruptor etiam expauerunt, &c. & fuit in trepidationem Dei.

Clar. Et factus est pauor in castris per agros.

Tigur. Incidit pauor Dei.

Malu. Fuit tremor in desidentia.

Sept. Rom. Et qui vastabant obstupuerunt, & ipsi nolebant facere.

Reg. Factus est stupor à Domino.

Cald. Fuit turbatio in castris, &c. & fuit in perturbatione ab ante Dominum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Alij cadebant ante Ionatham; Alij, Cum vidissent faciem Ionathæ: Alij cadebant ante Ionatham, quasi ex Ionathæ aspectu quidam fulgor emicaret, qui hostes non solum perterreret, sed & exanimaret, cuius lectionis occasionem præbuerunt Sept. transferentes: Et viderunt Philistæi contra faciem Ionathæ, & percussit eos, vel in eos, ac si in ipso Ionathæ aspectu veluti quodam telorum coniectu Philistini caderentur. In media parte iugeri, quam par boum in die arare consuevit; Alij, Quasi in medio sulci, iugeri agri, id est, in tantillo spatio & interuallo, quanta est pars dimidia iugeri aut sulci ducti à pari boum per integrum iugerum terræ. Sept. autem non de spatio in quo occisi fuere, sed quibus armis interfecti fuere loquuntur.

Factum est miraculum in castris per agros; Alij, Et factus est pauor. Hebr. est חרדאח charadach, quæ vox stuporem, pauorem, aut trepidationem significat. Noster Interpres tamen reddidit miraculum, quæ vox non semper valet id quod naturæ exuperat vites, & opus existimatur solum diuinæ virtutis, sed quod raro contingit, & licet naturæ sit opus, est tamen magnum, qua ratione moles illæ, aut ingentes aut miro artificio elaboratæ, quas celebravit antiquitas, dicuntur miracula mundi: sic hoc miraculum dici potuit, quia res fuit inopinata & rara. Neque nomen esset à re ipsa alienum, etiamsi tantum in hominibus, qui passi sunt, aut qui rem spectarunt admirationem excitassent, Et factum est quasi miraculum à Deo; Alij, In trepidationem Dei. Dicitur autem ille timor Dei vel quia à Deo immissus, ita Cald. vel quia maximus, vnde cedri montes Dei.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 13.

Itaque. Dicit Iosephus, quod quædam nebula subito surrexit propter quod Philistini non cognoscebant Ionatham, nec se ipsos adinuicem, & sic mutuo se trucidabant: & etiam ex eadem causa Philistæi reuertentes de præda pugnabant cum suis qui remanserant in castris, & econuerso, ideo subditur postea: Sed & omnis populus stationis eorum qui ierant ad prædandum obstupuit, & conturbata sunt castra. Alij verò dicunt & melius vt videtur, quod hoc contigit, eò quod Deus percussit Philistæos ἀνεργαί, qua tollitur visio, seu cognitio illius, quod esset alicui expediens, seu necessarium videri ab eo, sicut percussi fuerunt milites quærentes Helisæum capere, quos econtrario duxit quasi captos vsque ad medium Samariæ, vt habetur 4. Reg. 6. & hoc videtur per illud quod subditur.

ESTIVS. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat. Quomodo hæc plaga facta fuerit in castris Philistinorum, scriptura non explicat, sed tantum narrat tanquam rem nouam & admirabilem. Iosephus dicit subito coactam nebulam, quæ impedierit, quominus Philistæi viderent, vel Ionatham cum armigero eius, vel se mutuo. Sed hîc modus narrationi scripturæ non satis conuenit, primo, quia nebula illa non minus impedisset Ionatham & armigerum eius, ne viderent hostem, quam hostes à conspectu ipsorum. Ac deinde (& potissimum) quia proximè sequitur, speculatores Saul à longè vidisse hanc cladem, & multitudinem prostratam. Proinde probabilius est, quod & alibi in scriptura factum legimus, Philistæos à Domino percussos fuisse ea cæcitate, qua hostem à quo cadebantur, videre non poterant.

MENOC. Ascendit autem Ionathas, &c. Non in conspectu Philistinorum, sed ex aliqua parte, vt cum Iosepho alij nonnulli sentiunt.

Alij cadebant ante Ionatham, &c. Timore diuinitus immisso, consternatos facile potuit Ionathas cum armigero viginti illos viros opprimere.

In media parte iugeri quam par boum in die arare consuevit. Videtur legendum quod, vt referatur ad iugerum, &

A non ad partem eius, id enim quod possunt arare boues vno die, est integrum iugerum.

Et factum est miraculum. In percussione eorum, qui erant in statione. LYRAN. V. 15.

Per agros, &c. Quantum ad redeuntes de præda, qui similiter percussi fuerunt. Si enim hoc contigisset per nebulam, vt dicit Iosephus non esset miraculum, quia frequenter consurgit naturaliter & repente. Præterea, ita obnubilasset visum Ionathæ & armigeri sui, sicut Philistinorum, cuius contrarium textus innuit, quia distinctè aduersarios cognoscebant & interficiebant. Item quia speculatores Saul à longè viderunt bellum illud, prout sequitur immediatè.

Et respexerunt. Hic consequenter describitur prædictæ pugnæ notitia, per hoc quod speculatores Saul viderunt bellum, & annuntiauerunt Sauli, tamen antequam iret illuc, voluit quærere consilium Domini, quia habebat populum paucum & inermem, & hoc est quod subditur.

Miraculum. Vox Hebraica חרדאח charadah stuporem, MENOC. tremorem, trepidationemque significat.

In castris per agros. Heb. est in castris, in agro, id est, tam in castris, quàm in agro. Vel sensus est, In castris, quæ erant in agro.

Obstupuit. Hoc est, quod paulò antè miraculum appellauit.

Conturbata est terra. Putat probabiliter Salius significari terræ motum, quo terra concussa sit ad terrendos Philistæos.

Quasi miraculum à Deo. Ex Hebræo verti potest, in miraculum Dei, seu in trepidationem, aut stuporem Dei, stupor Dei dicitur phrasi scripturæ stupor magnus, vt cum dicitur: Montes Dei, cedros Dei, id est, montes excelsi, cedri valde proceræ. Particula, quasi, non tam similitudinem significat, quàm veritatem, vt cum dicitur, 1. Pet. 2. Sicut regi quasi præcellenti. Italicè, come à quello che ha dignità piu sublime.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 19.

Vulg. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gahaa-Beniamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illucque diffugiens.
 Pag. Ecce multitudo dissoluebatur, & abibat, & frangebatur.
 Arias. Ecce tumultus dissoluebatur, & abibat, & quassari.
 Caiet. Liquefactus est, iuit, & fugit.
 Tigur. Diffluxit multitudo vltro citroque discurrens.
 Malu. Ambulauit & contundere.
 Sept. Rom. Et ecce castra perturbata hinc & hinc.
 Cald. Ecce tuba castrorum contracta est, & procedebat contractio, & crescebat.
 Syr. Ecce exercitus, &c. trepidauerat, discesserat, & profigatus fuerat.
 Vulg. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirit, & videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius.
 Pag. Numerate nunc, &c. & recensuerunt.
 Mont. Visitate nunc, & visitauerunt.
 Sept. Et recognouerunt.
 Arab. Respicite quis absit ab exercitu nostro.

Vulg. Et ait Saul ad Achiam: Applica Arcam Dei. (Erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filiis Israel.)
 Arias. Accedere fac Arcam Dei.
 Sept. Rom. Applica Ephod quoniam ipse tulit Ephod in illa die coram Israel.
 Reg. Quoniam erat arca, &c.
 Arab. Admoue arcam.
 Vulg. Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum: crescebatque paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam.
 Pag. Multitudo quæ erat in castris Pelistim ibat eundo, & multiplicabatur, &c. recollige manum tuam.
 Caiet. Congrega.
 Vatab. Retrahe.
 Tigur. Reduc manus tuas.
 Sept. Rom. Sonus in castris alienigenarum, pergebat pergens, &c.
 Cald. Affer Ephoda.
 Syr. Recipe manum.
 Arab. Desine arcam, & retrahe manum ab ea.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Multitudo prostrata huc atque illuc diffugiens, Alij, Multitudo dissoluebatur, & abibat, & frangebatur. Noster Interpres וְהָלַךְ וַהֲלֹם, pro aduerbio hinc accepit. Alij infinitiuum faciunt, & dicunt quassari, contundi, frangi pro quassabatur, id est, subinde augebatur magis strages. *Applica arcam Dei*; Alij, *Ephod*. Sed Ephod cum arca erat, & vtrouis modo significatur, vt coram arca, vel sumpto Ephod consulat Dominum. *Clarius resonabat*; Alij, *Augebatur, ibat eundo, & multiplicabatur*. Aliqui רַב רַב *rab, rab*, vel præteritum vel infinitiuum verbi רַבַּב *rabab*, faciunt, & augebatur, vel augecendo. *Contrahe manum tuam*; Alij, *Recollige, retrahe*. Quasi diceret, res moram non patitur, desiste ab incæpro, nec modo Deum consulas. Cald. videtur contrarium asserere, vertit enim, affer Ephod, quasi diceret, festina induere Ephod & consulere Dominum: vnde & Iosephus asserit Deum consultum respondisse ac promississe Hebræis victoriam, hostiumque stragem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**pplica arcam Domini. Id est, applica te ad consulendum Dominum, si debeamus ire ad illud bellum.

MENOC. *Applica arcam*. Idem est quod alibi dicitur. *Applica Ephod*, hoc est, induere Ephod, & ad arcam accede, & consule Dominum, quomodo ederentur oracula sciscitantibus Pontificibus incertum est. Alij quæstioni in scheda inscriptæ responsum diuino miraculo subscriptum apparere: Alij ad sacerdotis aures sonum quemdam accidere, quo quid factum opus esset indicaretur: Alij in Sardonyche qui erat ad humerum dextrum Pontificis splendorem apparere solitum, quo numinis præsentia, & prosper euentus significaretur.

TIRINVS *Applica arcam*. Id est, adhibe, admoue præsidium quod arca fœderis subministrat, quasi dicat, Indue Ephod, quod iuxta arcam adseruatur, & per vrim & tummim coram arca consule Dominum, quid facere debeamus.

LYRAN. **C**ontrahe manum. Extenderat enim sacerdos manus in oratione. Et quia non habebat citò responsum, & Saul erat sollicitus pro filio suo absente: ideo dixit sacerdoti vt quiesceret à petitione, quia volebat statim filio suo succurrere, ideo subditur.

MENOC. *Contrahe manum tuam*. Extenderat enim manus ad orandum. Iubet abstinere ab orando, quia angustiis temporis excludebatur, & fortasse quia timens Ionathæ, statim in pugnam descendendum putauit.

TIRINVS *Contrahe manum tuam*. Id est, extensas manus & ad Deum eleuatas remitte & contrahe, quasi dicat. Desine sollicitus inquirere de voluntate Dei: iam res ipsa & hostilis clamor loquitur, opem nostram certò deposci, vt & Ionatham periculo, si in aliquo est, eruamus, & hostes turbatos opprimamus: ita Abulensis. Putat tamen Gaspar Sanctius, aliquid inurbanæ impietatis intercurrisse in hoc facto Saulis, dum responsum diuinum quasi minus necessarium non exspectat, sed negligit: & inde natos errores

A non paucos, nec leuia incommoda. Primò, stultum edictum: ne quis ante noctem cibum sumeret, quo lassas exhaustasque cursitando & pugnando vires vel tantillum instauraret: quo factum, vt non posset populus diu persequi fugientes Philistæos & illo die debellare. Secundò, immeritam iniustamque in filium suum Ionatham mortis latam sententiam. Tertio, sementem infinitorum obloquiorum famelici & murmurantis populi, dum per prata & saltus melle plenos deducuntur ieiuni, nec cibo tamen obuio refici vel inter currendum sinuntur. Quarto, grauius aliud peccatum aduersus legem Genes. 9. & Leuit. 17. admisum, videlicet quod fame pressi, moram non ferentes, carnem animalium nondum expresso sanguine deuorarent. Vnde S. Chrys. illud edictum & iuramentum Saulis dicit, opus fuisse diaboli, qui illa regis adiuratione laqueos toti populo iniecerit, & plenam de hoste victoriam præpedierit.

B Verum, si Saul stultè ieiunium hoc indixit, cur probauit illud Deus, dum per sortes, violati edicti reum Ionatham manifestaui? Respondeo: Hac manifestatione non probauit Deus stultum edictum, neque etiam reum aut nocentem probauit Ionatham, nisi materialiter tantum: sed primariò voluit patefacere, quanta sit vis præcepti & maledictionis, quæ est à superiore potestate, & locum Dei tenente: nam licet iniusta & irrationabilis sit, semper tamen suspicienda est & merito timenda. Sic legimus propter excommunicationem & similes Ecclesiæ minas confensisse non semel arbores, aruisse segetes, extinctas locustas, lupos fugatos. Secundariò voluit etiam hac via partim castigare Ionathæ leuitatem, qua & patrem suum & legem à patre latam liberiùs apud populum incusarat v. 29. partim populo toti declarare manifestum tyrannidis exemplum in rege à se recens expetito, vt qui iubeat laborare, & tamen à cibo abstinere: quod ab alio nullo factitatum scirent tyranno. Quo rursus nec proprio parceret

ceret filio tam utili, tam necessario reipublicæ: sed propter nullam penè causam vellet illum de medio tollere. Vt ita reipfa discerent, qui nutu non Dei, sed suo, ceterarum gentium more omnia administrare vellet. Porro de fortibus, an & quando liceant, vide quæ dixi Iosue 7. v. 14. & dicam Prou. 16. v. 33. Actor. I. v. 26.

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 20. ad 22.

Vulg. Conclamauit ergo Saül, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis: & ecce versus fuerat gladius vnus cuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.

Clar. Et congregatus est Saül.

Pag. Et ecce erat gladius, &c. in proximum, contritio magna valde.

Arias. Et accitus est populus.

Tigur. Clamore conuocatus est Saül, &c. & ecce tumultus factus est magnus.

Malu. Conclamatus fuit Saül, &c. venerunt vsque ad cæsiõnem, &c. conturbatio magna valde.

Sept. Rom. Et ascendit Saül, &c. & factus est gladius viri super proximum suum, confusio, &c.

Arab. Et ecce erat inter eos conturbatio magna nimis.

Vulg. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philistiim heri, & nudius tertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israël, qui erant cum Saül & Ionatha.

Sept. Rom. Et serui qui erant, &c. cum alienigenis reuerterunt, & ipsi esse cum Israël.

Arab. Viderunt etiam Hebræos pugnam conseruisse cum

Philistæis, & gladium in eos coniecisse, commissum esse certamen, quemadmodum antea committi solebat, & ascenderunt cum eis ad exercitum, alij homines qui conuenerunt etiam illos in exercitu, vt adiungerent se filiis Israël, sic opem tulerunt Israëlita Saül & Ionatha.

Vulg. Omnes quoque Israëlita, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philistæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.

Pag. Et persecuti sunt etiam illos in prælio.

Arias. Adhæserunt etiam ipsi post illos.

Malu. Agglutinare fecerunt etiam ij post eos in cæsiõne.

Sept. Rom. Et audierunt, quia fugerunt alienigenæ, & adhærent etiam ipsi, &c. & saluauit Dominus in die illa Israël, & prælium transiit ipsam Ramoth, & omnis populus erat cum Saül circiter decem millia virorum.

Reg. Et coniunguntur, & ipsi post eos.

Cald. Audierunt quod conuersi sunt Philistæi, & adiunxerunt etiam ipsi se.

Arab. Sumptis armis exierunt cum eis ad bellum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Conclamauit ergo Saül, Alij, *Et congregatus est Saül.* Hebr. *pyi zabak*, significat conuocari propriè, & aliquo præcone vocante congregari. Arab. multa habet paraphrasticè. *Omnes quoque Israëlita, &c.* Longè plura sunt in Sep. Sixt. quæ absunt à Reg. *Et erant cum Saül decem millia virorum.* In Reg. hæc non habentur, & ideo ea superflua esse dicit Caiet. sed immeritò, nam ea posita à Vulg. vt quis numerus bellatorum adhæserit Saüli, sciremus: verum est alia exempl. non habere præter Sep. Sixt.

Et cædes magna nimis, Alij, Contritio magna valde. Id est, strages, clades. *Sed & Hebræi, Sep. Serui,* quia multi ex Philistæis, mancipia Hebræorum inter impedimenta castrorum suorum habebant, qui arrepta hac occasione ad suos Israëlitas transfugerunt. Alij putant plures ex Hebræis rerum tum potientibus Philistæis, inter eos habitasse, & cum eis tunc, seu sponte, seu metu ad bellum Israëlitarum progressos.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **C**onclamauit. Et patet littera vsque ibi.

Y. 20. *Versus fuerat gladius vnus cuiusque, &c.* Laborabant enim ἀνομία, vel potius ἀνεμία, ne inter hostes, & suos discernerent.

LYRAN. *Sed & Hebræi.* Aliqui enim Hebræi timore ducti coniunxerant se aduersariis: sed videntes debellationem eorum, & conuersionem ad fugam, ad suos reuersi sunt. Similiter qui præ timore se absconderant, ad prælium cum

B suis egressi sunt: & patet littera.

Hebræi qui fuerant cum Philistiim, vel transfugæ, vel captiui, aut serui. Seruos fuisse, & diu apud Palæstinos seruitutem seruasse indicat illa phrasis *ab heri, & nudius tertius*, quæ diuturnitatem aliquam temporis significat. Fecerunt Hebræi quod in classibus vsu venit, cum enim Turcica triremis capitur à Christianis, captiui Christiani remigio additi in Turcas insurgunt.

VARIETAS LECTIO NVM. Vers. 23. & 24.

Vulg. Et saluauit Dominus in die illa Israël, pugna autem petuenit vsque ad Bethauen.

Pag. Bellatores autem transierunt.

Malu. Cæsiõ transiuit.

Sept. Rom. Et erat prælium dispersum in totam ciuitatem in monte Ephraim.

Reg. vt Vulg.

Cald. Facientes prælium attigerunt vsque Bethauen.

Syr. Cumque transiret prælium inter Auen, & viros Israël.

Vulg. Et viri Israël sociati sunt sibi in die illa: adiurauit autem Saül populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vnuiuersus populus panem.

Pag. Israël coarctatus est, & adiurauerat, &c. & non ante gustauit.

Mont. Et viri Israël exigebatur.

Isidor. Clar. Premebantur fame.

Caiet. Oppressus fuit.

Vatab. Afflictus.

Tigur. Coactis Israëlitis ausus est Saül populum iuramento adstringere, execratus, qui.

Malu. Adactus fuit, & resoluit populum ad dicere, &c. vindicatus fui de maleuolentibus meis.

Sept. Rom. Et Saül ignorauit ignorantiam magnam in die illa, &c. & vlciscar inimicum meum, & non gustauit, &c. & vniuersa terra prandeat.

Reg. Et Israël cum Saül, quasi decem millia virorum, & fuit bellum sparsum, &c. & vlciscar de inimico meo.

Cald. Et homo Israël angustiat, &c. & vlciscar de authoribus inimicitiarum mearum.

Syr. & Arab. Accessit Saül ad populum eodem die, & dixit, maledictus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Pugna venit vsque Bethauen. Alij, Bellatores transferunt: Vnde aliqui metonymicè exponunt exercitus, milites, bellatores persequentes Philistæos. Transferunt vsque Bethauen. Alij, Sociati sunt, Alij, Israël coarctatus est, premebatur fame. Hebr. וַיִּגְעוּ, quod significat angustiari, coarctari, premi, sed Vulg. supponit, quod cum in vnum conuenissent Israëlita, tum fame oppressi sunt propter iuramentum Saülis comedere prohibentis. Adiuravit populum. Alij, Resoluit populum, hoc est, inquit Malu. dissoluit, Labefactauit, vires ei abstulit, languidum reddidit, vel resoluit Saül apud populum, vel cum populo, id est, statuit, decreuit. Sept. Ignoravit ignorantiam magnam cum scilicet populum adiuravit. Plures enim tenent inconsultè, nec sine culpa Saülem adiurationem illam interposuisse, & sic in hoc oppressione magna laborasse: tamen alij qui contrarium sentiunt, scilicet in hoc non peccasse, imò præceptum hoc iustum fuisse dicunt, cum Sept. asserunt ignorasse ignorantiam magnam, eos loqui de ignorantia, qua ignorabat futurum vt ista lege in tantum periculum charissimus filius adduceretur: & Sept. Reg. addunt, Et vniuersa terra prandebat, quæ ab omnibus aliis exemplaribus absunt, & hunc sensum habere possunt, cum Israëlita fame premebantur, & cum hoc præceptum imposuit eis Saül, erat tempus prandij aliorum.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 24.

Adiuravit autem, &c. Videns autem Saül suos aduersarios fugere, omninò voluit eos persequi: & ideo ne populus impediretur à persecutione aduersariorum, præcepit vt nullus de populo suo aliquid gustaret, donec inimicos percussisset, & hoc præcepit sub pœna mortis: & obseruationem præcepti iuramento firmavit.

Igitur ad maiorem sequentiam euentiam, per modum inquisitionis scholasticæ quæritur. Vtrum Saül hoc iurando peccauerit? Et videtur quòd non: quia motus fuit ad iurandum bono zelo, scilicet vt infideles & nominis Dei persecutores occiderentur: quod non solum erat licitum, sed etiam bonum & meritorium. ergo, &c. Item si Saül iurando peccasset, Ionathas comedendo contra præceptum patris non peccasset, quod videtur falsum: quia propter eius confessionem Deus cessauit dare responsum, vt infra dicitur. eod. cap. Deprehensus etiam fuit Ionathas per indicium diuinum. ergo, &c. Ad oppositum est sententia doctorum hunc locum exponentium.

Ad hoc dicendum: quod Saül in dicto iuramento peccauit dupliciter: primò, quia malè iurauit: secundò, quia peius implere voluit. Primum declaratur sic: quia licet iuramentum sit bonum in necessitate, & cum debitis circumstantiis; si tamen hæc deficient, malum est, sicut fuit in proposito: quia Deus victoriam sufficientem dederat & miraculosè, vt patet ex prædictis: & ideo non erat necessitas insequendi hostes vltèrius absque diuino consilio, quod Saül non expectauerat, vt patet per prædicta. Item Saül præcipiendo quòd populus nihil comederet, casum necessitatis non excepit verbo, sed intellectu. quod patet ex hoc, quod Ionathan filium suum qui in necessitate positus modicum mellis comederat voluit omnino occidere. Casus verò necessitatis ab omni præcepto & lege exceptus est: ideo peccauit Saül non excipiendo, quod debuit excipere. Item quia iuramentum suum vergebat in peiorem exitum: quia si populus ieiunio & labore fatigatus aliquid cibi accepisset, maior plaga in hostibus facta fuisset, vt dicitur infra eodem cap. Item, quia fuit occasio peccandi toti populo, qui propter iuramentum suum non fuit ausus sumere cibum aliquem vsque ad vesperam: propter quod veniente vespera, populus lassus, & famelicus ex festinatione comedendi, peccauit comedens cum sanguine, vt in littera dicitur. Et sic patet quod Saül primò peccauit temerariè iurando. 2. Peccauit impiè adimplendo quantum fuit ex se, quia Ionathan innocentem voluit occidere. Vnde & super hoc iuramentum temerarium replicauit dicens: Hec faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. Vnde in tali replicatione iuramenti, iterum peccauit. Ad primum oppositum dicendum, quod bonitas motiui non iustificat factum malum sequens. Si enim aliquis motus pietate furetur, & det

A eleemosynam pauperi, non excusatur. Ad 2. dicendum, quod Ionathas comedendo mel, non peccauit. Tum quia præceptum patris non audiuit, vt dicitur in textu. Tum quia positus in necessitate comedit. Ex labore enim prælij, & ieiunio & calore solis ita erat fatigatus, quod oculi eius, & alij sensus, erant nimis depressi, propter quod dicitur in textu, quòd gustato modico mellis, illuminati fuerunt eius oculi, quia corde confortato & resumptis viribus, facies eius fuit exhilarata, & viuacitas sensuum rediit. Quod autem inducitur de responso Dei propter ipsum denegato, & de eius comprehensione indicio diuino, dicendum quòd responsa diuina fiunt ex eius mera gratia, & potest ea substrahere pro sua voluntate & sic subtraxit absque peccato Ionathæ: De deprehensione verò eius dicendum, quod hoc fuit factum diuina ordinatione, ad declarationem suæ innocentia. Sciebant enim multi ipsum comedisse, qui tamen ignorabant eius necessitatem, & iuramenti patris sui ignorantiam: & ideo potuissent contra innocentem scandalizari, reputando ipsum transgressorem: & ideo publicè deprehensus fuit, vt coram omnibus se excusando eius innocentia declararetur, & per consequens per populum sicut innocens liberaretur, reputado eius mortem nefariam, vt patet in textu. His dictis ad expositionem litteræ redeamus, quæ satis patet ex dictis, paucis exceptis, quæ exponentur. *Adiuravit autem Saül.* Residuum huius capituli sic diuiditur, quia 1. punitur iurantis præcipitatio, 2. Ignorantis transgressio ibi: *Porro Ionathas.* 3. Facti inquisitio, ibi: *Et dixit Saül.* Circa primum dicitur, *Adiuravit autem Saül populum dicens,* præcipitanter, & temerariè, vt dictum est

Maledictus vir; &c. Id est, morti adiudicatus.

Qui comederit panem, &c. Id est, quemcumque cibum: Vnde nec Ionathas panem comedit, sed mel.

Maledictus vir, &c. In hac adiuratione pœna capitis videtur fuisse proposita ei, qui contra fecisset, quod patet ex periculo Ionathæ, de quo paulò post.

Comederit panem, cibus cuiusuis generis prohibitus, vt patet ex facto Ionathæ, qui cum mel comedisset contra adiurationem fecisse censebatur. Potus non videtur interdictus, quia breuior in bibendo mora, & vrgentior illius necessitas æstu, & pugna fatigatis. Inconsultè, nec sine culpa Saülem adiurationem illam interposuisse plurium tenet sententia, quæ est etiam LXX. interpretum, qui habent, *magna laborans ignorantia maledixit.* Abulensis tamen, Caietanus, Serarius, & Salius, Saülis præceptum iustum fuisse volunt, quod rationi consentaneum esset omnes præcidere occasiones moras neccendi, quodque viris duris, & militaribus non adeo difficile esset, & violentum, ieiunium ad vesperum vsque producere.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 25. ad 28.

Vulg. Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri.

Pag. Venerunt in Syluam.

Sept. Rom. Et Iaal Sylua erat apiarii ad faciem agri.

Reg. Saltus erat apiarii.

Syr. Et quamuis totam illam perlustrassent, & Syluas in-

gressi essent, & quamuis esset in Sylua &c. flueretque mel. Arab. Ecce in Sylua erat mel decurrens ex apum nido. Vulg. Ingressus est itaque populus saltum & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum.

Pag. Decurrebat mel & non attingere fecit manum

suam ad os suum.
Mont. Ecce ambulatio mellis.
Tigur. Nullus reducebat manum suam ad os.
Malu. Quia timuit populus adiurationem.
Sep. Rom. Intrauit ad apiarium, & ecce ibat dicens, & ecce non fuit conuertens manum, &c. iuramentum Domini.
Cald. Et ecce fluxus mellis, & non fuit qui referret manum, &c. & timuit à iuramento.
Arab. Implicuit se populus in sylua, &c. timebat maledictionem, & iuramentum quo astrinxerat eos rex.
Vulg. Porrò Ionathas non audierat cùm adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.
Arias. Misit extremitatem extensionis.

Malu. Reuertere fecit manum suam ad os suum.
Sep. Rom. Extendit extremitatem sceptri sui, &c. & suspexerunt oculi eius.
Cald. Caput baculi, & intinxit in medio mellis, & illuxerunt oculi.
Arab. Immisit aliquid ex eo in os suum, quod cùm gustasset, receperunt oculi lumen, caligo enim occupauerat eum.
Vulg. Respondensque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens; Maledictus vir, qui comederit panem hodie, (defecerat autem populus.)
Mont. Adiurando adiurauit, &c. & defessus est populus.
Malu. Iurare facere, iurare fecit populum, & defatigatus fuit.
Syr. Strictè adiurauit, &c. populus autem fame laborabat, & lassus, ac debilis erat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN saltum, Alij, Syluam. Sep. vocant eam nomine Iaal. Decurrebat mel, Alij, Fluxus mellis, nimirum quasi viuus fluebat, hyperbole. Summitatem virgæ. Sep. Sceptri. Sic enim virgam sceptrum appellant, vide dicta superius. Fortè etiam deferebat virgam singularem, vt pote exercitus Generali propriam, quæ sceptrum nominari potuit. Illuminati sunt oculi eius, Alij, Receperunt lumen oculi eius. Reddit rationem Arab. Caligo enim occupauerat eum, scilicet pro nimia fame. Ex labore enim, & inedia deficientibus spiritibus opticis, caligabant oculi eius, iam autem sumpto melle refocillari, & reuiuiscere cœperunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**enit in saltum. Apes enim mellificabant in arboribus in tanta copia, quod mel inde manabat ad terram, & propter talem copiam, terra promissionis dicitur manans lacte, & melle in pluribus locis.

MENOC. Erat mel super faciem agri. In cauis enim arborum truncis mellificauerant apes.

LYRAN. Porrò Ionathas non audierat, &c. Hic consequenter describitur ignorantis transgressio. Et patet littera ex supradictis, vsque ibi.

Et intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius. Sensus posteriorum verborum est, quod cum oculi Ionathæ præ fame, & fatigatione caligassent (quod fieri posse Ieremias in Threnis indicat) nunc gustato melle recreati sint, & pristinam claritatem receperint. D. August. illuminatos dicit, non ad videndum, sed ad discernendum, quia rem veritam tetigerat, vnde confundebatur, sicut aperti dicuntur oculi primorum parentum post peccatum. Sed facillè videre est hunc non esse sensum literalem; Nam Ionathas de hac illuminatione tanquam de re sibi commoda, & bona gloriatur. Interim hoc quoque quæri potest, an Ionathas in hoc facto non peccarit? maximè quod Dominus, vt fe-

quitur, Non responderit in illa die, vt pote iratus. Adhoc Respondeo, Ionatham in prima gustatione mellis non peccasse, erat enim prohibitionis ignarus. At verò quod postea admonitus de hoc facto, & de paterna prohibitionem responderit; Turbauit pater meus terram, non omnino culpa carere videtur. Non enim regia, aut superiorum madata temerè sunt reprehendenda, præsertim apud multitudinem. Potest etiam causa aliqua diuinæ iræ poni in ipso Saule, quod ædificasset altare extra locum tabernaculi. Hieron. tamen lib. 1. contra Pelagianum c. 12. videtur magis in Ionatham culpam torquere.

Illuminati sunt oculi eius. Caligabant enim præ inedia. **MENOC.**

Illuminati sunt oculi eius. Nempe, qui longa fame, & labore caligant, debilitatis defectisque spiritibus opticis, iam iisdem nouo cibo restauratis, etiam ipsi oculi refocillati, & sibi redditi sunt: vt quotidie accidit iis qui prolixiore inedia, & lassitudine languentibus oculis sentiunt tenebras offundi, sed cibo potuue etiam exiguo, statim dispelli, ita Angelomus, Vatab. Caiet.

Defecerat autem populus, ἐξήλυθη ὁ λαός, vt habent LXX. **MENOC.** dissolutus est populus, elanguit propter ieiunium. **ψ. 28.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 29. ad 32.

Vulg. Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustauerim paululum de melle isto.

Caiet. Videte obsecro.

Sep. Sixt. Et cognouit Ionathas, & dixit, perturbauit, vide, quia videntur, &c. quoniam gustauit breue quid.

Arab. Peccauit pater meus in populum: videte quomodo illustrata est facies mea.

Vulg. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? Nonne maior plaga facta fuisset in Philistiim?

Pag. Si comedendo comedisset hodie de spoliis, nonne creuisset plaga?

Arias. Etiam, quia vtinam, &c.

Malu. De spolio maleuolentium suorum, &c. quia nunc non multiplicata fuit percussio.

Cald. Ex præda auctorum inimicitæ suæ.

Syr. Propterea haud magna est strages.

Arab. Propterea confossi non sunt multi.

Vulg. Percusserunt ergo in die illa Philistæos à Machmis vsque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis.

Sep. Reg. Et percussit de alienigenis in Machmas, & laborauit populus valdè.

Syr. Verum cùm populus maximè esset exagitatus.

Arab. Cum ergo populus admodum langueret.

Vulg. Et versus ad prædam, tulit oves, & bones, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditque populus cum sanguine.

Pagn. Diuertit populus ad spolia.

Arias. Fecit ad spolium, & ceperunt pecus, &c. super sanguine.

Sep. Rom. Iugulauit super terram.

Reg. Mactauerunt.

Syr. Inhauit prædæ.

Arab. Auidè appetuerunt prædam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quanto magis si comedisset, &c. Alij, Si comedendo comedisset, &c. Noster sensum optimè reddidit, alij verba. Nonne maior plaga facta fuisset? Alij, Multiplicata fuisset persecutio? Vnde non malè Arab. propterea confossi non sunt, quia Israëlita ex nimia fame viribus deficiebant, & ideo plures Philistæi mortem euaserunt, à qua minimè liberi fuissent, si cibo refocillati fuissent Israëlita. *Versus ad prædam.* Alij, *Diuertit ad spolia, fecit ad spolum.* Heb. exemplaria in contextu legunt וַיִּיגָח וַיִּיגָח, & fecit, in margine aliam lectionem notant וַיִּיגָח וַיִּיגָח, verbi וַיִּיגָח *ghatab*, quæ vox redditur per declinavit, diuertit, conuertit, sed cum impetu, vnde Arab. Auidè appetuerunt prædam.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 29.

Turbauit pater meus terram. Id est homines terræ suæ, qui propter iuramentum suum erant fatigati, ex ieiunio, & labore, nec poterant inimicos persequi: vnde dicitur hic, defatiga. Cætera patent vsque ibi.

MENOC.
LYRAN.
v. 32.

Turbauit pater meus terram. Cald. *Populum terræ.*
Maclauerunt. Et sic peccauit faciendo contra mandatum legis. Hæc tamen litera diuersimodè exponitur: vno modo sic. *Maclauerunt.* Id est, in quolibet loco vbi erat commodius eis indifferenter, cum tamen prius deberent adducere ante Sanctuarium quod erat ibi præsens, vt supra dictum est.

Comedit populus cum sanguine. Id est, antequam sanguis aspergeretur ad honorem diuinum. Alio modo: *Ma-*

A *clauerunt in terra.* Non super lapidem, vel locum taliter eleuatum, quod posset benè sanguis exprimi de carnibus & effluere: & sic comederunt cum sanguine, id est, carnes non sufficienter depuratas à sanguine. Tertio modo exponitur, quia antequam comederent de præda hostium, debebant Deo prius facere sacrificium, quod tunc non fuit factum, & omnia ista processerunt ex hoc, quod populus erat nimis famelicus, & festinabat comedere. Propter quod iuramentum Saülis fuit populo peccandi occasio, vt supra dictum est.

Comeditque populus cum sanguine. Quod vetitum erat Gen. 9. 4. *Carnem cum sanguine non comedetis*, quod idem prohibetur Leuit. 17. 14. & Deut. 12. 16.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 33. ad 36.

Vulg. Nuntiauerunt autem Saüli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Præuaricati estis: voluite ad me iam nunc saxum grande.

Malu. Ecce populus errantes Ihuh ad comedere super sanguinem, & dixit excurristis.

Sep. Rom. De Getthæm, voluite mihi lapidem.

Reg. Peccauistis, voluite.

Syr. Iniquè egistis, excide mihi lapidem.

Arab. Crimen commisistis, eruite de monte lapidem.

Vulg. Et dixit Saül: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnusquisque bouem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua vsque ad noctem: & occiderunt ibi.

Arias. Facite ad me accedere vir bouem, maclamini in hoc.

Malu. Non errabitis ad comedere sanguinem.

Sep. Rom. Adduxit vnusquisque quod in manu sua.

Vulg. Ædificauit autem Saül altare Domino; tuncque primum cepit ædificare altare Domino.

Arias. Illud cepit.

Cald. Ante Dominum.

Syr. Et ædificauit ibi Saül aram.

Vulg. Et dixit Saül: Irruamus super Philistæos nocte, & vastemus eos vsque dum illucescat manè, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.

Pag. Descendamus post, &c. & deprædemur eos donec illucescat.

Malu. Appropinquabimus huc ad Elohim.

Sep. Rom. Non relinquamus in eis viuum, omne quod bonum coram te fac.

Cald. Accedemus huc, & rogabimus in dicto Domini.

Arab. Faciemus prout iusseris nobis, & volueris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Præuaricati estis, Alij, *Excurristis ultra id*, scilicet quod debebatis, id est, prætergressi estis. *Sep. Rom.* habent, *De Getthæm.* Flaminius in scholis, ait, dictio Hebræa accepta est pro loci nomine, quæ potest etiam significare, *ἡμαρτιν*, peccastis, vt habent regia. *Occidite super istud*, Alij, *Maclamini in hoc.* Quod ad saxum referri potest, & ad gladium quem ipse obtulit, & quo illi carebant, c. 13. *Tuncque primum cepit ædificare altare Domino.* Alij, non habent, quod primum cepit ædificare, sed solum quod ædificauit, nam cap. 13. iam ædificauerat, sed dicendum rectè *Vulg.* dixisse nunc primum ædificasse, quia hoc primum fuit Deo gratum, nam illud c. 13. fuit Deo gratum, ex culpa inobedientiæ, tum etiam, quia illud c. 13. aliena manu, vt opera populi fuit erectum, hoc propriè iussu, & opera Saulis. *Accedamus huc ad Deum*, Alij, *Appropinquabimus*, nempe ad arcam, vbi residet Deus, vt eum consulamus.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 33.

Voluite ad me. Vt ibi interficerentur animalia secundum morem paternum, & sanguis benè exprimeretur.

LYRAN.
v. 34.

Et non peccabitis Domino. Sicut ante fecistis.

MENOC.

Et non peccabitis Domino. Sensus est, legitimè occidetis, sanguinem in terram fundetis, atque ita iam non peccabitis vt fecistis.

LYRAN.
v. 35.

Ædificauit autem Saül Domino. Ad agendum gratias de victoria concessa.

Tuncque primum cepit ædificare altare Domino. Licet enim prius obtulisset sacrificium, vt dictum est capite præcedenti, hoc tamen fecit super altare prius ædificatum ab alio. Vel quia illud sacrificium Deo non placuit, vt dictum fuit ibidem. Dicunt tamen aliqui, quod istud altare

B quod hîc dicitur ædificatum à Saüle non fuit aliud quàm lapis magnus, de quo dictum est, vbi maclabantur animalia, & exprimebatur sanguis, & ibidem adipēs eorum cremabantur.

Ædificauit altare Domino. Vt scilicet in eo offerrentur sacrificia pacifica pro re feliciter gesta, & vt altare illud posteris monumentum esset victoriæ diuino beneficio adeptæ.

Primum cepit ædificare altare. Nam licet capite præcedenti legatur sacrificasse, illud tamen altare non ab ipso, sed ab alio constructum fuerat.

Ædificauit autem Saül altare Domino. Non solum ad tantæ victoriæ tanto miraculo partem æternam memoriam,

vt vult Abulensis; sed etiam ad sacrificium Eucharisticum, seu gratiarum actionis, Deo offerendum pro re tam feliciter gesta. Sic Moyses Exod. 17. v. 15. cum Amalecitas bello superasset, edificauit altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea. Et ipse Saul cap. sequ. cum eisdem Amalecitas iterum subegisset, fornicem extruxit, de quo ibi agemus.

Tunc primum cepit edificare altare Domino. Id est, istud fuit primum altare inter ea quæ Saul in finem iam dictum plura post construxit, licet Scriptura illorum non memi-

nerit, ita Hugo, Lyranus, Abulensis & Caietanus. Et ad præsentiam arcæ fœderis, cum cœtu sacerdotum, id omnino licebat.

Et dixit Saul. Hic consequenter ponitur facti inquisitionis, cuius inquisitionis præmittitur ratio, quæ fuit eò quòd Dominus non respondit Sauli, & patet litera vsque ibi.

Sacerdos. Id est, Pontifex, summus sacerdos.

Accedamus huic ad Deum. Quasi dicat, placet consilium tuum, sed Dominum consulamus.

LYRAN.
Ψ. 36.
MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 37. ad 40.

Vulg. Et consuluit Saul Dominum: Num prosequar Philistiim, si trades eos in manus Israel, & non respondit ei in illa die.

Arias. Et interrogauit Saul in Deo.

Cald. Rogauit in dicto Domini, & non accepit orationem suam.

Arab. Dixit Saul ante Dominum.

Vulg. Dixitque Saul: Applicare huc vniuersos angulos populi, & scitote & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.

Mont. In quo sit peccatum hoc.

Malu. Accedite omnes pinnæ populi, &c. in quo erratum fuit illud.

Cald. Omnia capita.

Syr. Arab. Omnes familiæ.

Vulg. Viuit Dominus saluator Israel, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione

moriatur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

Pag. Quia si fuerit illud in filio meo, quia moriendo morietur.

Sept. Rom. Quia si responderit contra Ionathan.

Arab. Iurauitque per Dominum.

Vulg. Et ait ad vniuersum Israel: Separamini vos in partem vnã, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

Pag. Vos eritis in latere vno.

Arias. In transitu vno.

Sept. Rom. Vos eritis in seruitutem, & ego, &c. erimus in seruitutem.

Reg. Vos eritis in vnã partem.

Arab. Estote vos seorsim.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Applicate hinc vniuersos angulos; Alij, Pinnas. Vide Concord. vers. 2. Iud. 20. Anguli populi vocantur principes seu primores populi, quod ipsi in Republica id sint quod anguli seu pinnæ in ædificio. Absque retractatione morietur; Alij, Moriendo morietur, quæ geminatio ad asseuerationem spectat, quam rectè expressit Vulg. In partem vnã; Alij, In latere, transitu, sed Sept. Sixt. habent, in seruitutem. Hebr. לעבד legheber. Dictiones Hebraicæ, quæ significant seruitutem vel partem, simillimæ sunt, vnde Sept. vbi partem Vulg. dixit, seruitutem verterunt. Tamen Reg. partem habent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. Ψ. 38. **A**pplicate hinc vniuersos, &c. Id est, totum populum ab extremitatibus castrorum.

Et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. Æstimabat enim Saul quod Deus non negaret responsum absque peccato alicuius de populo, quod tamen non oportet, vt prædictum est.

MENOC. Vniuersos angulos populi. Principes populi, qui vt anguli domorum fabricam; ita ipsi Rempublicam fulciunt

D. Chrysof. interpretatur tribus populi. Lyranus & Abulensis, & Serarius castrorum extrema, quasi præcipiat vt omnes adsint, etiam qui in extremis erant castris. Ex Domini silentio orta Sauli suspicio, ne propter alicuius peccatum vniuerso Israël iratus esset, vt quondam Iosué 7. propter peccatum Acham.

Viuit Dominus. Modus est iurandi, ac si dicatur, per Deum qui semper viuit. Cætera patent vsque ibi.

LYRAN.
Ψ. 39.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 41.

Vulg. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël da indicium: quid est quod non responderis seruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas, & Saul, populus autem exiuit.

Pag. Da perfectionem.

Arias. Da integritatem.

Isid. Clar. Dominus Deus, da sortem integram.

Caiet. Da perfectum.

Vatab. Decerne integritatem.

Malu. Da consummatum, & captus fuit Ionathas.

Sept. Et dixit Saul, Domine Deus Israël, quid est quod

non respondisti seruo tuo, si in me, vel in Ionatha filio meo iniustitia, Domine Deus Israël, da manifestationes, & si hæc dixerit: da nunc populo tuo Israël, da nunc sanctitatem, & forte capitur Ionathas.

Reg. Da manifestationes, & sorte comprehenditur, &c. Cald. Dixit Saul ante Dominum Deum Israël, venite fac eum in veritate.

Syr. Præbe æquabilitatem.

Arab. Dixit Saul, Domine Deus Israël, & Deus eius, ostende nobis quid velis, tunc missis sortibus, simul obtigit fors Sauli, &c.

Bibl. Reg. Lat. Da iudicium.

Aly. Cedo integram.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Domine Deus Israël. Hæc absunt ab aliis exemplaribus, præterquam à Sixtinis. Da indicium, Alij, Iudicium. Sed non benè. Da sanctitatem, Alij, Perfectionem. Heb. תמים tumim, quod variè redditur per integritatem, veritatem, & qui vertunt, Da perfectionem, sic explicant, opus istud inquisitionis perfice, vt nihil illi desit, aut deficiat. Qui vertunt, integritatem, sic, id est, sortem veram, fac vt fors cadat in peccatorem. Qui transferunt, Cedo integram, sic, id est, declara quis sit innoxius, pro eo quod est, declara nocentem. Qui, Da sanctitatem, sic, reuela sanctam veritatem. Aduerte autem post illa verba, Da indicium, reliqua quæ sequuntur, Quid est quod non respon-

deris, &c. vsque ad illa, deprehensus est, non inueniri in aliis exemplaribus, præterquam in Sixt. vnde quidam asserunt, da indicium, da sanctitatem, esse duas translationes eius, quod est in Heb. דַּבְּרָה תוֹמִים, da perfectionem, cum aliquibus verbis desumptis ex Sixt. Hæc autem verba, *Da indicium*, sic expone, manifestes nobis illum cuius iniquitate offensus consulenti non respondendum iudicaueris.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 41.

Si in me, aut in Ionatha filio meo hæc iniquitas est. vsque A tamen ad fanciendam eam, quæ principibus debetur, o-
bedientiam, per sortes Ionathan indicauit. Adde voluisse
hoc exemplo docere quæ vis esset parentum execrationum,
& maledictionum, quæ culpæ non affinis filiis aliquan-
do noxias fuisse legimus. Ex quo etiam intelligimus ve-
tum esse illud, quod dici solet, anathemata etiam iniusta
esse timenda. Tandem vt Saül in periculo filij, quem vni-
cè diligebat, puniretur: quis enim fuerit Saülis dolor, cum
Ionatham destinatam morti victimam videret ob incon-
sultam illam suam, ac præcipitem adiurationem?
Populus autem exiuit. Non ab vrna, sed à periculo: à
fortibus absolutus fuit.

MENOC.

Da sanctitatem. Quasi dicat, ostende nos innocentes,
vel sensus est, da signum, quo significes te amare sancti-
tatem, & culpam abominari. Da etiam sanctitatem, vt
scilicet eo, qui peccauit sublato, populo tuo sanctitas, à
qua excidit, reddatur. Sanchez putat Saül benè precari
populo, quasi dicat, ignosce illi, aut viam ostende, qua
expiari possit.

Deprehensus est Ionathas. Licet peccatum esset à Saüle
cum comedenti maledixit, vt supra diximus, Dominus

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 42. ad 45.

Vulg. Et ait Saül: Mitte sortem inter me, & inter
Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas.

Pag. Cadere facite inter me, &c.

Arias. Proiicite, &c. & deprehensus est.

Calet. Facite iacere.

Sep. Sixt. Iacite, &c. Quemcumque sorte ceperit Domi-
nus, morte moriatur, & dixit populus ad Saül, non est
verbum hoc, & præualuit Saül populo, & iaciunt in-
ter eum, & Ionatham filium eius, & sorte capitur, &c.

Reg post illa verba, moriatur, *habet immediatè.* Et mit-
tunt sortes, &c.

Cald. Subfortiar ego, & Ionathas filius meus, obtigitque
fors, &c.

Vulg. Dixit autem Saül ad Ionatham: Indica mihi quid
feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait: Gustans gustauit
in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum
mellis, & ecce ego morior.

Arias. In extremitate extensionis.

Sep. Sixt. Gustans gustauit in summo sceptro breue mel.

Cald. In capite baculi, ecce ego obligatus ad mortem.

Abul. Num propter mel quod gustauit, moriar?

Vulg. Et ait Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat,
quia morte morieris Ionatha.

Sep. Quia morte morietur hodie.

Arab. Omnino morieris.

Vulg. Dixitque populus ad Saül: Ergo Ionathas morietur,
qui fecit salutem hanc magnam in Israël: hoc nefas est:
viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in ter-
ram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberauit ergo
populus Ionatham, vt non moreretur.

Pag. Absit, viuit Dominus, &c. quia cum Deo fecit die
hac, & redemerunt Ionatham.

Calet. Quia cum Elohim fecit iam diem istum.

Malu. Profanatio, viuens Ihuh.

Sep. Rom. Quoniam populus Dei fecit diem hanc, & orā-
uit populus pro Ionatha in die illa, & non est mortuus.

Reg. Propitius, viuit Dominus, &c. quia misericordiam
fecit die hac.

Cald. Num Ionatham occidetur, qui fecit liberationem
magnam hanc, &c. absit, permanens ipse Dominus,
&c. quia ante Dominum manifestum est, quod in
ignorantia fecit hodie.

Syr. Quandoquidem liberauit populum Dei hodie, sic ser-
uauit populus Ionathanem.

Arab. Absit vt hoc fiat, iuramus per Dominum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Mittite sortem. Sept. Rom. *Iacite.* Alia verba, quemcumque vsque ad illa, *Et captus est Ionathas*, non sunt
in aliis exemplaribus, sed vt ait Schol. in sola editione Theod. sunt posita, quamobrem sunt ea alteri-
co notata, tanquam posita in vna, aut secunda editione ipsorum Sept. non tamen in Heb. Hæc ille. In Reg.
aliqua ex his habentur, aliqua non, *Quia morte morieris.* Sep. exprimunt, quando nam mori deberet, habent enim.
Hodie morieris. Ecce ego morior, Alij, *Ego moriar.* Ecce ego obligatus ad mortem, propter tantillum mellis, sumne
reus mortis? *Hoc nefas est,* Alij, *Absit, quia cum Deo operatus est hodie,* Alij, *Quia cum Deo fecit die hac,* id est, quia per
miram Dei opem tantam hostium stragem edidit: Sep. Rom. pro *וְאִם*, id est cum, alio puncto legentes *וְאִם*, id est,
populus, vertunt, pro quo Reg. & Comp. pro *אֵלֶּם*, id est populus, corruptè legentes *אֵלֶּם*, vertunt. *Quia misericordiam
Dei fecit in hac die.* Porro alio deflectit Cald. *Quia ante Deum manifestum est,* inquit, *quod in ignorantia fecit hodie,* &c.
Quomodo liberauerit, exprimunt Sep. *Et orauit populus pro Ionatha.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 42.

Et captus, aliàs deprehensus Ionathas. Per sortem quæ B
cecidit super eum ex causa supradicta.

Et indicauit. Causas suæ comestionis supradictas.

LYRAN.
v. 43.

Et ait gustans. Scilicet, modicum in transitu.

Et ecce ego. Absque causa rationabili: & ideo liberauit
eum populus, vt patet in littera.

MENOC.

Et ecce. Quasi dicat. Itane ex tam leui causa moriar? Caie-
ranus duplex in Ionatha peccatum deprehendit. Primò,
audito patris cum adiuratione, atque execratione manda-
to, factum sum nihilominus probauit. Deinde quia ausus
est tacente, & non reclamante populo mandatum illud

imprudentiæ, & temeritatis arguere. Serarius addit ter-
tium, quod scilicet cum videret nullum ex melle illo ex-
posito, & passim obuio gustantem, quærere potuit causam,
& suspicari à parente fortassè interdictum.

Viuuit Dominus. Phrasis est prouerbialis: Sic Christus MENOC.

Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit.*

Cum Deo. Deo scilicet auspice, & autore.

Liberauit ergo. Quasi violenter eum è Saülis manibus
eripientes, & compensatione vtendum esse asserentes, vt
scilicet peccatum violati ieiunij egregio in Rempublicam
promerito compensaretur, & aboleretur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 46. ad 48.

Vulg. Recessitque Saül, nec persequutus est Philistim: porro Philistim abierunt in loca sua.
Pag. Ascendit Saül à Philistim.
Malu. Et Philistim ambulauerunt loco eorum.
Sept. Reg. Ascendit à tergo Philistim.
Syr. Reuersus est ab insequentibus Philistæis.
Vulg. Et Saül, confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum aduersum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philistæos: & quocumque se verteret, superabat.
Mont. Cepit regnum super Israël, &c. & in omnibus, ad quæ se vertebat, viriliter agebat.
Arias. Et in omnibus quæ respiciebat, condemnabat.
Caiet. Faciet inquinare.
Vatab. Omnia commouebat.
Tigur. Præfractè agebat.
Malu. Et in omni quod aspiciet, pro improbo habebit.

Sept. Rom. Et Saül cœpit sorte regnare, sorte cœpit opus super Israël, & oppugnabat, &c. quocumque se vertebat, saluabatur.
Reg. Saül fortitus est vt regnaret.
Cald. Prosperatus est in regno, &c. subiugabat.
Arab. Regnum Israël factum est ei, & permanfit, victor erat quocumque exibat.
Vulg. Congregatoque exercitu, percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum eius.
Pag. Eruit de manu diripientis eum.
Mont. Fecit virtutem.
Caiet. Fecit fortitudinem.
Malu. Strenuitatem.
Sept. Rom. Eruit de manu conculcantium eum.
Cald. Direptorum eius.
Syr. Parauit robur.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Confirmato regno, Alij, Cepit regnum. Id est, exercuit, administrauit. *Sept. Et Saül cœpit sorte regnare, sorte cepit opus*, Reg. solum habent, *Cœpit sorte regnare*. Vnde Flaminius ait: Quare apparet in nostra, nempe Sixt. duas esse admixtas interpretationes, & quod vna inquit regnare, altera opus, non valde discrepant, & in Hebræo dictiones istæ significantes sunt valde similes, & S. Paul. 1. Timoth. 3. Episcopatum opus appellat. *Quocumque se vertebat, superabat*, Alij, *Faciet inquinare*. Id est, omnes suos hostes, cum quibus pugnabit, faciet eos sentire, & pati pœnas iniquitatis ipsorum, id est, seuerè puniet, castigabit: sumet de ipsis pœnas iniquitatis eorum. Alij vertunt, condemnabat, id est pœnam infligebat, damnum inferebat. Alij, *Pro improbo habebit*, id est, tractabat hostem suum tanquam improbum, & impium, vnde eum excindebat, vastabat, & ab eo victoriam semper referebat. Verbum enim פשר *raschagh*, quando tribuitur Deo, vel magistratui facienti vt decet, officium suum, significat pœnas sumere, punire. *Congregato exercitu*, Alij, *Fecit fortitudinem*. Id est, robustissimos milites sibi comparauit.

ANNOTATIONES.

MENOC. **R**ecessitque Saül, nec persequutus est Philistim. Veritus ne fortè Deus, à quo responsum non tulerat, iratus esset.

LYRAN. **E**t Saül confirmato regno super Israël, &c. Hic ultimo ponitur historiae prosecutio, & patet littera vsque ibi.

Et quocumque se verteret, superabat. In Heb. habetur, & quocumque se vertebat, impiè agebat, vel impius fiebat, & littera immediatè sequens concordat, cum dicitur.

MENOC. *Moab, & filios Ammon.* Hebræis vicinos ex parte Orientali.

Edom. Idumæos, qui erant Hebræis finitimi versus Meridiem.

Reges Soba. Quorum regnum erat ad partem Septentrionalem terræ Israël, itaque rex Syriæ Damasci opem tulisse scribitur Adarezer regi Soba cum oppugnaretur à Dauid 2. Reg. 8. 5. Damascus autem est in Boreali parte terræ Sanctæ. Reges etiam Soba inimicitias gerebant cum regibus Emath, terra autem Emath est ad plagam aquilonarem Israël, vt habemus Num. 34. vide quæ dixi Num. 34. 8.

TIRINVS. *Et Saül confirmato regno super Israël.* Hac noua inf-

perataque victoria, benè vsus occasione, & accensis omnium animis ad submouendos subiugandosque reliquos omnes vicinos hostes, continuauit tota ætate bellum, & eodem imperu superauit quod supererat Ammonitarum, Moabitarum, & Idumæorum, cum Sobæis, & Philistæis: & quod seq. cap. narratur confectum bellum contra Amalecitas (qui pars quædam sunt, & ramus Idumæorum, vt patet Genes. 36. vers. 12. & dixi Exod. 17. v. 14. & docent Iosephus, & alij Hebræi, cum S. Hieronymo, Abulensi, & Lyrano) ipsa quoque prima, vel ad summum, inchoante secunda ætate confectum fuit. Neque difficile erat semestri spatio tot bella conficere, cum promptas volentesque copias ad manum haberet, & hostes essent vicini, neque ad resistendum sat parati, ita ferè Gaspar Sanctius.

Congregatoque exercitu. De qua percussione agitur cap. **LYRAN.** seq. in qua pluribus modis incurrit offensam Domini, vt **Y. 48.**

Percussit Amalec. Quod bellum capite sequenti narratur. **MENOC.**

Vastatorum eius. Gentium, quæ Israëliti erant infestæ, quas paulò ante numerauit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 49. ad 52.

Vulg. Fuerunt autem filij Saül, Ionathas, & Iessui, & Melchisua: nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

Syr. Nomen maioris Nadab, nomen minoris Melchiel.

Vulg. Et nomen vxoris Saül, Achinoam filia Achimaas: & nomen principis militiae eius Abner, filius Ner, patrui Saül.

Sept. Rom. Filius Ner, filij propinqui Saül.

Reg. Cognati.

Vulg. Porro Cis fuit pater Saül, & Ner pater Abner, filius Abiel.

Tom. IV.

Sept. Rom. Filius Iamin filij Abiel.

Reg. Pater Abner, filij Abul.

Vulg. Erat autem bellum potens aduersum Philistæos omnibus diebus Saül. Nam quemcumque viderat Saül virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

Pagn. Vidit Saül omnem filium robustum, & aggregauit eum.

Arias. Virum virtutis, & collegit eum ad se.

Malu. Virum præualidum, & filium strenuitatis.

Sept. Rom. Omnem virum filium virtutis.

Cald. Omnem virum facientem bellum,

Arab. Omnem virum gigantem.

Bb iij

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filius Ner, patruelis Saül. Sep. Rom. Ner filij propinqui Saül. A Reg. & à Compl. abest illud *is*, filij, Alij habent, *Patris*. Cis erat pater Saülis, frater Ner patris Abner, ideoque Saül elegit Abner patruelem suum, in duces exercitus sui. *Omne virum robustum*, Alij, *Virtutis*, nempe bellicæ, quos enim bellica virtute claros sciebat, hos sibi adiungebat.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 49.

Ferunt. Hic non nominatur Isbofeth, non propter defectum ætatis, quia iam habebat 20. annos, & vltimè, cum in morte Saülis fuerit annorum 40. vt habetur 2. Reg. 2. sed propter defectum magnanimitatis: quia fuit pusillanimis, & ineptus ad prælium, propter quod in bello vbi mortuus fuit Saül, non fuit cum alijs fratribus suis.

MENOC.

Jonathas, &c. Alium etiam habuit filium, cuius nomen Isbofeth, cuius mentio erit infra. Abulensis omissum dicit, quod non semper omnia narret scriptura. Emanuël Sa putat omissum, quod bello esset ineptus, 1. tamen Paral. c. 8. 33. quatuor recensentur Saül filij.

Iessui. Hic 1. Paral. 33. appellatur Abinadab.

Primogenita. Respectu scilicet fororis Michol, non vero etiam fratrum.

LYRAN.
v. 50.

Patruelis. Id est, cognatus germanus, quia Saül, & Ab-

ner fuerunt nati de duobus fratribus, vt habetur 1. Paralip. 8.

Et nomen uxoris Saül. Quam scilicet duxerat antequam veniret ad regnum. Nam postea concubinam habuit nomine Respha, vt patet ex lib. 2. c. 3. 7.

Abner filius Ner. Ner autem erat frater Cis patris Saül. Itaque Saül, & Abner patrueles erant.

Filius Abiel. Scilicet Cis, vt habetur supra 9. capite. Erat autem bellum potens, quia Philistæi erant potentes, & Saül partem suam contra eos fortificabat quantum poterat: ideo subditur. Nam quemcumque viderat Saül virum fortem.

Ner filius Abiel. Cuius etiam Cis filius erat. Totam Saülis genealogiam, vel vt vulgo appellamus Arborem, vide apud Salianum tom. 3. anno mundi 2965. numero marginali XV.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS.

Saül iussus excindere funditus Amalec, Agag, regem viuum, multamque prædam reseruat: unde secundo reprobat, & regno spoliandus prædicitur.

1. **E**T dixit Samuël ad Saül: Me misit Dominus, vt vngerem te in regem super populum eius Israël: nunc ergo audi vocem Domini. 2. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israël, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. 3. Nunc ergo vade, & percutite Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. 4. Præcepit itaque Saül populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda. 5. Cumque venisset Saül vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. 6. Dixitque Saül Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne fortè inuoluam te cum eo, tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israël, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. 7. Percussitque Saül Amalec, ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti. 8. Et apprehendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. 9. Et pepercit Saül, & populus, Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt. 10. Factum est autem verbum Domini ad Samuëlem dicens: 11. Pœnitet me quod constituerim Saül regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatusque est Samuël, & clamauit ad Dominum tota nocte. 12. Cumque de nocte surrexisset Samuël, vt iret ad Saül manè, nuntiatum est Samuëli, eo quod venisset Saül in Carmelum, & erexisset sibi fornitem triumphalem, & reuersus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuël ad Saül, & Saül offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec. 13. Et cum venisset Samuël ad Saül, dixit ei Saül: Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini. 14. Dixitque Samuël: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio? 15. Et ait Saül: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus. 16. Ait autem Samuël ad Saül: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. 17. Et ait Samuël: Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? Vnxitque te Dominus in regem super Israël, 18. & misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum. 19. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? 20. Et ait Saül ad Samuëlem: Imo audiui vocem Domini, & ambulavi in via per quam misit me Dominus, &

adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. 21. Tulit autem de præda populus oues, & boues, primitias eorum quæ caesa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galgalis. 22. Et ait Samuël: Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ: & auscultare magis quam offerre adipem arietum. 23. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. 24. Dixitque Saül ad Samuëlem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. 25. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum. 26. Et ait Samuël ad Saül: Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus ne sis rex super Israël. 27. Et conuersus est Samuël vt abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est. 28. Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. 29. Porro triumphator in Israël non parcat, & pœnitentia non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam. 30. At ille ait: Peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum. 31. Reuersus ergo Samuël fecutus est Saülem: & adorauit Saül Dominum. 32. Dixitque Samuël: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatu est ei Agag pinguis, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors? 33. Et ait Samuël: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frustra concidit eum Samuël coram Domino in Galgalis. 34. Abiit autem Samuël in Ramatha. Saül vero ascendit in domum suam in Gabaa. 35. Et non vidit Samuël vltra Saül vsque ad diem mortis suæ: veruntamen lugebat Samuël Saülem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Et dixit Samuël ad Saül: Me misit Dominus, vt vngerem te in regem super populum eius Israël: nunc ergo audi vocem Domini.

Pag. Vocem verborum Domini.

Cald. Nunc auscultata dicta verbi Domini.

Vulg. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israël, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto.

Pag. Recordatus sum, &c. insidiarum, quas illi posuit in via.

Mont. In ascendendo ipsum.

Malu. Visitauit, &c. quod posuit ei in via.

Sep. Rom. Nunc vlciscar, &c. vt occurrit ei.

Arab. Hæc dicit Dominus potentissimus: ego noui quid fecerint Amalecitas.

Vulg. Nunc ergo vade, & percutite Amalec, & demolire

vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, & bouem & ouem, camelum & asinum.

Pagn. Perdetis omnia quæ sunt ei.

Malu. Nunc ambula, & anathematizabitis, &c. & non commiseratione moueberis super eum, & mori facies de viro vsque ad vitam.

Tigur. Excindetis quæcumque habent.

Sep. Rom. Percuties Amalec & Hierim, &c. & exterminabis eum, & anathemabis, non parcas ab eo.

Reg. Disperdes eum, & detestaberis eum.

Cald. Concuties omne quod illorum.

Arab. Ne miserearis illorum.

Syr. Trucida Amalecitas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Recensui, Alij, Recordatus sum, Alij, Nunc vlciscar. Licet verbum *קרא* *pakad*, significet visitare, recensere, numerare, tamen eius significatum extenditur ad rependere, vlcisci, requirere. Quomodo restitit ei in via, sed quomodo restitit ei, addit Pag. quamuis non sit in Heb. scilicet, *positis ei insidiis*. Vide Exod. 17. à v. 8. & Deut. 25. à v. 17. Percute Amalec. Syr. Trucida Amalecitas. Nempe prognatos ab Amalec, nepote Esäu. Demolire vniuersa eius. Sep. Rom. habent, Et Hierim. Heb. est *חרם* *charam*, quod est excindere penitus, anathematizare, ferire, vnde Nobil. ait. Hiram est vestigium dictionis Hebrææ, quæ significat perdere, & demoliri. Malu. legit. Anathematizabitis. Et Sep. non parces, *à mârtô*, ab eo, Heb. Super eo, Reg. & Compl. *אַוּוּ*. Et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, Licet Caiet. hæc superflue asserat, quia non in Hebræo habentur, tamen per hæc verba. Non parces, intendit nulla miseratione miseræ eius, nec eorum quæ ad ipsam pertinent, tangi, & sic, licet sint præciosissima, non ea concupiscere.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T dixit Samuël. Hic consequenter ponitur tertia A transgressio Saülis, quæ processit ex cupiditate, & superbia, eo quod ex victoria habita de Amalec concupiuit prædam, & arcum triumphalem erexit ad sui iactantiam. Igitur circa hoc describitur mandati diuini sibi facti denuntiatio: secundo ipsius transgressio, ibi: Et apprehendit. Circa primum dicitur.

Me misit Dominus. Quasi dicat Samuël, ex hoc debes esse sollicitus obedire Deo.

Nunc ergo audi vocem Domini. Quasi dicat, prius transgressus es offerendo in persona propria quod tibi non licebat, vt dictum fuit cap. 14. sed nunc aduerte, vt obedias in nullo transgrediendo.

LYRAN. Recensui quæcumque fecit Amalec. Quia primo filios **Y.** 2. Israël impugnauit in deserto, vt habetur Exod. 17. & ideo

demeruit deleri ab hominibus vsque ad animalia, & à maiori vsque ad minimum. Dicit autem hic Ra. Sa. quod Dominus præcepit hic animalia interfici, eo quod inter Amalecitas erant multi fortilegi se transformantes in similitudinem bestiarum. Sed hoc fictitium videtur, ideo primum est magis tenendum, maximè cum similis interfectio alibi facta sit, vt patet Iudic. 20. de ciuitate Gabaa, in detestationem criminis perpetrati in vxore Leuitæ. Cætera patent vsque ibi.

Recensui quæcumque fecit Amalec Israël. Historiam habes Exod. 17. cuius capitis num. 14. hæc verba legimus: Scribe hæc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub celo. Nunc ergo humano more loquitur Deus, quasi dicat, euolui annales, & reperi Amalec pœnas mihi debere, &c.

MENOC.

MENOC.
v. 3.

Non concupisces ex rebus ipsius aliquid iuxta ea, quæ præcepit Dominus Deut. 7. 27. Sculptilia eorum igni combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt: neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas propterea, quia abominatio est Domini Dei tui: nec inferes, quidquam ex idolo in domum tuam ne fias anathema, sicut & illud est: &c.

Parvulum atque lactentem. Hi etiam sine vlla culpa non tamen sine causa occiduntur; Deusque qui ita fieri iubet, vitæ ac necis Dominus est.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 4. & 5.*

Vulg. Præcepit itaque Saül populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.

Isidor. Clar. Recensuit eos in Thelaim.

Pagn. Congregavit populum.

Caiet. Numeravit eos in agnis.

Malu. Audire fecit Saül populum.

Sep. Rom. Condixit populo, & recenset eos in Galgalis 400000. ordinum, & Iudam 30000.

Reg. Ducenta millia pugnatorum.

Cald. Numeravit eos in agnis paschalibus.

Ioseph. Quadraginta millia.

Arab. Quapropter congregavit vniuersum populum ad bellum, subductoque eorum numero, in loco quodam qui dicitur Tauilla.

Vulg. Cumque venisset Saül vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

Pag. Certavit in valle.

Tigur. Duxit exercitum in valle.

Arab. Instruxit ibi populum ad prælium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Recensuit eos quasi agnos, Alij, *In Thelaim, in Galgalis.* Plures arbitrantur Thelaim proprium esse nomen loci, vbi collegit Saül, & numeravit exercitum: Sep. habent, *In Galgalis,* sed quid in hoc voluerint, non satis intelligitur; Translatio nostra optima est, & modum explicat quo à præfectis, & ducibus iniri solet sine errore numerus eorum qui sub signis sunt, vt enim pastores ex caulis, sic educunt agnos, vt singulares exeant per angustum exitum, & ita facile intelligunt integrum esse numerum; sic etiam duces, aut quorum illud interest, singulares in suo ordine procedere iubent milites, summamque colligunt eorum quos in suas digerant tribus, & ordines. Cald. habet, *Numeravit eos in agnis paschalibus,* quasi tempus illud fuerit Azymorum vbi agni immolantur, & per agnos quos à singulis afferri oportebat, collegerit sitantus esset numerus pugnatorum; sed hæc omnia incerta sunt, scilicet quod tempus fuerit vernum, in quo agnus immolatur Paschalis, tum quod à singulis allati fuerint agni singuli, ita vt tot agni numerentur, quot numerantur milites, quod non solum est dubium, imò etiam falsum. *Ducenta millia peditum.* Sep. Rom. *Quadringenta millia.* Ioseph. *Quadraginta.* Sed standum est nostræ lectioni, Et Heb. Syr. & Arab. sicut & in alio numero de decem millibus ex Iuda.

Cumque venisset ad ciuitatem, Alij, *Ad ciuitates:* sed Vulg. loquitur de præcipua, & prima regni sede, vbi tunc Agag Amalecitarum princeps morabatur. *Tetendit insidias,* Alij, *Litigavit, pugnavit, &c.* ירעב, *Iareb* deduxit Vulg. ab ארעב *Arab,* quod est insidiari, Alij à ררעב *rub,* quod est rixari, contendere, certare. *In torrente,* Alij, *In valle,* sed vox Heb. denotat locum decliuem, in quem defluere solet aquæ, tamsi in eo nulla esset.

ANNOTATIONES.

MENOC.
v. 4.

Quasi agnos. Mos enim pastorum est accuratè oues, & agnos recensere per angustum aliquem locum eos è caulis educentes, simulque numerantes.

MENOC.
v. 5.

Vsque ad ciuitatem Amalec. Metropolitim scilicet, & regni caput.

In torrente. In aluco torrentis.

TIRINVS.

Cum venisset ad ciuitatem Amalec. Hæc regia ciuitas videtur fuisse, vbi Agag suam aulam habebat. Iosephus dicit, ex posteris huius Agag procreatum Aman: quia is Esther 3. dicitur fuisse de progenie Agag. Quod si verum est, dicendum, posteros Agag metu Iudæorum profugisse in Macedoniam, nam Aman iste c. vlt. Esther v. 10. dicitur fuisse gente Macedon. De Cinæis ex Iethro socero Moylis prognatis, dixi Num. 10. & Iud. 1.

Petes, Quam misericordiam fecit Iethro filiis Israël cum ascenderent de Ægypto? Respondet Abulensis, occurrisse gratulabundum Moyfi, Exod. 18. tradidisseque commodam gubernandi formam: quin & hostias subministrasse quas offerret Moyfes Deo, & alia etiam quædam in epulum, & viæ solatium saltem genero suo, eiusque familiae. Neque enim verisimile est, virum copiosum ac potentem, ad generum suum, quem per desertam regionem incedere cognouerat, acurrisse vacuum: sed ex gregibus,

quos haud procul inde copiosos alebat, subsidium aliquod attulisse. Accedit, & aliud beneficium, quod Hobab filius Iethro toti Israël præstitit Num. 10. cum se comitem ducemque viæ tam molestæ, tam tædiosæ præbuit per tot annos. Ita Hebræi, teste S. Hieronymo.

Petes Secundò, an restitisse Israël in via, fuerit tam enorme peccatum Amalecitarum, vt funditus excindi præ aliis Idumæis ipsi meruerint? Respondeo. Non restiterant tantum via belli consueta, sed valdè duriter, & inhumanè se erga Israëlitas habuerant: cum enim commune haberent cum illis genus (vt pote ex Esau fratre Iacob procreati) rogarentque illi vt compendij causa per fines ipsorum transire liceret, hostiliter sine iusta vlla causa id negarunt, & magno dispendio procul circuire coegerunt Num. 20. Quin & perfidè ac frudulenter aggressi sunt fame enectos, & labore confectos, extremum agmen ex insidiis carpentes, Deut. 25. v. 18. Quæ ipsorum malitia, & crudelitas tantoperè Deo displicuit, vt ex tunc mandaret in Annales referri istud impium ipsorum facinus, Exodi 17. præceperitque Israëlitis, si quando tranquille possiderent terram Chanaan, Amalecitas stirpitis perderent, & exterminarent, Deut. 25.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 6. ad 9.*

Vulg. Dixitque Saül Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne fortè inuoluam te cum eo, tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israël cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.

Pag. Ite recedite. Caiet. Tu enim fecisti gratiam.

Tigur. Beneficentiam exercuisti.

Malu. Ne fortè colligam te cum eo, & tu fecisti benignitatem.

Sept. Rom. Ne fortè addam te cum eo.

Cald. Dixit Saül Salmaah, &c. ne fortè inuoluam te.

Syr. Dixit Cinæis, deflectite, vos enim officium, &c.

Arab. Beneficium præstitistis.

Vulg. Percussitque Saül Amalec, ab Heuila, donec ve-

arias ad Sūr, quæ est è regione Ægypti.
Pagn. Quæ est contra faciem Ægypti.
Arias. Super facies.
Cald. Percussit viros domus Ghamalek à Hhauilah ascensu Hhagra, quæ est super faciem Misraim.
Syr. Quæ est in ingressu Iod, quæ est ex aduerso.
Arab. Quæ est contermina Ægypto.
Vulg. Et apprehendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij.
Malu. Omnino populum anathematizauit ori gladij.
Sep. Rom. Et Hierim interfecit.
Reg. Disperdidit.
Vulg. Et pepercit Saül, & populus, Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea, quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc de-

moliti sunt.
Pagn. Bonis pecoribus, & bobus, & pinguibus, & agnis, & omne quod bonum erat, & noluerunt perdere ea, quicquid autem erat contemptibile, illud perdiderunt.
Arias. Pepercit super bonitatem pecoris, &c. & omne opificium contemptibile.
Tigur. Quod haccidum.
Sep. Rom. Optima, &c. & ferculorum, & vinearum, & omnium bonorum noluerunt exterminare ea, & omne opus vile, & contemptum.
Cald. Et crassa & faginata, & super omne quod bonum, & non voluerunt conficere, &c.
Arab. Nec placuit eis interficere deliciaiora.
R. Sal. Duplices duplicatos.
Alij. Anniculos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dixit *Cineo*, *Alij*, *Cinæis*. Vnde *Cinæus* *Synechdochicè* sumitur à *Vulg.* pro *Cinæis*, sicut *sapè* hostis pro hostibus: nam modo ad vocem, modo ad significationem intentus, verbum adhibet plurale, vt hic & singulare statim. *Ne fortè inuoluam te*, *Alij*, *Perdam*, &c. Id est vno exitio traham. *Pepercit*, &c. *Et vestibus*, *Alij*, *Pinguibus*, &c. *Heb.* est מִשְׁנֵי *mischnim*, quam plerique volunt esse litterarum inuersione מִשְׁנֵי *schemanim*, hoc est faginosos, pingues, opimos; & ita aliqui verterunt. *Alij* plurale faciunt à מִשְׁנֵה *mischneh*, exponuntque secundarios, nimirum à primis aliis optimis, & præstantissimis minus præstantes, & pingues, id est eos, qui in præstantia, & bonitate in gregibus, & armentis erant ordinis secundi, & secundas obtinerent: non tamen erant macilenti, & contemptibiles. *Noster* qui vertit *vestes*, respexit ad natiuam verbi שְׁנָה *shana*, significationem; vt mutatorias intellexerit, & eas optimas, quibus Saül pepercit. *Ra. Sa.* interpretatur *duplices*, *duplicatos*, hoc est nimirum carne, & pinguedine, quasi duplicata corpora habentes, *Alij* tandem *mischnim* à שְׁנָה *shana*, agno, deducunt anniculos, id est agnos anniculos, qui solent esse teneriores, & præstantiores. *Sep.* pro vestibus, & arietibus, optima ferculorum, & vinearum verterunt, licet sensum habere possint optimum, nempe quod optimis eduliis, & generoso vino, vel vineis præclarioribus pepercerit, tamen non ad verbum ex *Heb.* etsi aliqui opinantur non sequutos fuisse lectionem Hebraicam, quæ modo est, (ita *Mariana*) sed quod aliam sequuti sint, & pro כִּרְיִם *cherim*, id est agnis, legisse eos כִּרְיִם *cherem*, id est vineam. *Quicquid vero vile fuit, & reprobum*, *Alij*, *Omne opus*, *opificium contemptibile*; sed paruum discrimen, id est, quodlibet opus abiectissimum vel omnem rem despectissimam, vilissimam, demoliti sunt, perdiderunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 6.* **D**ixitque Saül *Cineo*. Id est, illis qui descenderant de Iethro, & venerant cum filiis Israël, vt dictum fuit Exod. 18. & Num. 10. & Iudic. 1.
ME NOC. *Cineo*. *Cinæis*, de quibus vide dicta Iudic. cap. 1. Numero 16.
Tu enim fecisti misericordiam. Iethro, quorum genus *Cinæi* erant, beneficus fuerat in Mosen, & Israëlitas variis benevolentia significationibus, consiliisque salutaribus, obtulit etiam hostias, quæ sacrificarentur à Mose Exod. 18. num. 12. quod caput legat qui hæc plenius cognoscere voluerit. Præterea Mosis rogatu Iethro Hebræis adfuit, & in deserto eos direxit, vt patet Num. 10. 31.
ME NOC. *Ab Heuila donec venias ad Sur*. De Heuila, vide dicta *ψ. 7.* Genes. 2. II. de Sur, vide dicta Gen. 16. 7.
LYRAN. *Et apprehendit*. Hic consequenter ponitur mandati transgressio, cum dicitur. *Et apprehendit*. Et in hoc trans-

gressus fuit mandatum Domini, in quo fuerat sibi præceptum quod totum populum exterminaret, & ideo hoc potissimè intelligebatur de capite populi. Sed Saül cupiditate ductus sperabat habere de eo magnam redemptionem, vel per eum occulti thesauri reuelationem: & eadem cupiditate referuauit meliora de præda: vt patet littera.

Agag regem Amalec regem viuum. Variæ afferuntur **ME NOC.** causæ cur Agag vitam non ademerit Saül vt iussus fuerat. Aliqui putant specie quadam falsæ pietatis fuisse delusum. Ita Iosephus, & Abulensis. *Alij* seruatum ad triumphum, nam fornicem triumphalem crexisse Saulem habemus n. 12. Ita Glossa interlinearis. *Alij* ductum auaritia, grandi pecunia se Agag redempturum sperantem. Ita *Lyranus*, cuius sententiam probabilem facit quod optima quæque ex præda referuauit, licet anathematizari deberentur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. & 12.

V*Vulg.* Factum est autem verbum Domini ad Samuël, dicens.
Cald. Et fuit verbum prophetiæ ab ante Dominum cum Samuël.
Arab. Reuelauit Samuël prophetæ.
Vulg. Pœnitit me quod constituerim Saül regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatusque est Samuël, & clamauit ad Dominum tota nocte.
Pagn. Quia auersus est à me, & verba mea non confirmauit, & iratus est contra Samuël.
Caiet. Quia reuersus est ex post me.
Tigur. Samuël exastuans dolore.
Malu. Pœnitui, quia regnare feci, &c. & verba mea non surgere fecit, & exarsit Samuëli.
Sep. Rom. Reuocaui me, &c. & tristatus.
Cald. Pœnitui in dicto meo, quia auersus est de post cul-

tum meum, & durum fuit, &c.
Syr. Quoniam retrocessit à me, &c. quod ægrè ferens.
Arab. Vehementer doleo, &c. quia auersus est à fœdere meo.
Vulg. Cumque de nocte surrexisset Samuël, vt iret ad Saül manè, nuntiatum est Samuëli, eo quod venisset Saül in Carmelum, & crexisset sibi fornicem triumphalem, & reuersus transfisset, descendissetque in Gulgala. Venit ergo Samuël ad Saül, & Saül offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec.
Pagn. Et surrexit in occursum Saül manè, & ecce constituit sibi locum, & circuiuit, & transfuit.
Arias. Constituit sibi manum.
Caiet. Ecce stare faciens sibi manum vel locum.
Tigur. Ecce statuit sibi trophæum.
Malu. Et manicauit, &c. & circumgyratus fuit.

Sep. Rom. Constituit sibi manum, & conuertit currum, & descendit in Galgala ad Saül, & ecce ipse offerebat holocaustum Domino prima spoliarum quæ tulit ex Amalec.

Reg. nihil habent ab illis. In Galgala ad Saül.

Cald. Et ecce constitutus est illi locus ad diuidendum prædam in eo.

Syr. Abiisse ad Carmelum, vbi paratus erat ei locus.

Arab. Et locum ipse sibi parabat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia dereliquit me, Alij, Quia auersus, reuersus est à me, post me. Id est, desit mihi obtemperare, suam sequens cupiditatem. *Contristatus est Samuël*, Alij, *Iratus est*. Verbum חָרָה *charah*, vtroque modo sumitur. *Et erexit sibi fornicem triumphalem*, Alij, *Constituit sibi manum, locum*, quod variè interpretatur, scilicet sumentes manum pro loco, quod sibi designauerit locum, vbi poneret castra, scilicet vt habet *Cald.* ad diuidendam prædam, vel statuit sibi manum, scilicet militarem, id est, præsidium: sed alij cum nostro interpretantur trophæum, seu fornicem triumphalem, nimirum monumentum in manus effigiem, veluti pyramidem structum fuisse. Posuit autem ad modum manus, vt indicaret quod manu valida deleuerit Amalec; qui statuit locum, nempe certum in memoriam tantæ victoriæ. *Venit ergo Samuël ad Saül, & Saül offerebat holocaustum Domino, &c.* Hæc verba in nullo aliorum exemplarium habentur, præterquam in Sixt. vnde Marianæ hæc redundare videntur, & Louanienses obelo configunt, tamen retinenda sunt, cum etiam emendati Græci Codices ea habeant.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **V. 10.** **F**actum est. Superius definita est ipsius Saulis transgressio, hic consequenter describitur eius diffinitiva reprobatio. Quæ 1. Samuëli reuelatur. 2. Saüli denuntiatur, ibi: *Dixitque Samuël*. Circa primum dicitur. *Factum est*. Pœnitentia cum mutabilitatem importet, non potest esse in Deo, dicitur tamen pœnitere, eo quod ad modum pœnitentis se habet, quando destruit quod fecerat, & sic est in proposito, quia Saülem abiicere decreuerat quem prius sublimauerat. Ista tamen mutabilitas solum est in creaturis, quia Deus voluntate immutabili facit mutabilia.
- LYRAN.** **V. 11.** **C**ontristatusque. Propter peccatum Saülis. *Et clamauit*. Ad ipsum placandum si posset, quia adhuc forsitan ignorabat, vtrum esset Dei diffinitio, vel solum comminatio. Sed postea benè sciuit vt ex sequentibus patebit.
- ESTIUS.** *Pœnitet me, &c.* Pœnitere alicuius rei dicitur Dominus, locutione humana; nempe, quia sicut homines retractant pœnitendo, id quod prius fecerant: ita & Deus iratus veluti destruit suum opus. Sed hoc interest discriminis, quod homo prudenter retractat id quod prius imprudenter commisit: Deus verò, id quod prius sapientissimè constituit, postea exigentibus hominum peccatis iuste retractat, non quod vlla mutatio in Deo sit. Et ita non repugnat quod hoc eodem c. vers. 29. subditur. *Triumphator in Israhel non parcat: & pœnitentia non flectetur, &c.* Ecce non pœnitet vt homo, sed eo modo, vt dictum est.
- MENOC.** *Pœnitet me, &c.* Loquitur humano more. Sic Gen. 6. 6. dicitur. *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra*. Dicitur Deum pœnitere cum id facit quod homines solent facere cum illos pœnitet.
- Clamauit, &c.* Videtur ineunte nocte hanc à Deo vocem accepisse, & quod reliquum erat noctis orando consumpsisse.
- A** *Nuntiatum*. Montem valde altum. *Et erexisset, &c.* Id est, arcum triumphalem de palmis, & oliuis factum, in signum victoriæ habitæ ad sui iactantiam, quia illam victoriam soli Deo debebat attribuere: vnde & postea subditur ad sui iactantiam. *De nocte*. Summo mane. *In Carmelum*. In eo Carmelo, qui pertinet ad tribum Iuda. *Erexisset sibi, &c.* Sibi erexit studio ambitionis, & honoris, non Deo, in cuius potius honorem monumentum illud excitandum erat. Quod vulgatus dicit, *Fornicem triumphalem*, In Hebr. est, *manum*. LXX. *ἄρξ*, Fortassè trophæis manus imponebatur ad significandum hostes valida manu deuictos. Aliam huius rei rationem attuli in Hieropoliticis lib. 3. c. 16. n. 6.
- B** *Descendissetque in Galgala*. Vbi aliàs sacrificium obtulerunt, supra c. 13. n. 9. *De initiis prædarum*. De præcipuis, ac optimis. *Et erexisset, &c.* Cum inscriptione victoriæ recens partæ ex Amalecitis, Erexit autem hunc arcum triumphalem in ea parte montis Carmeli, qui ad funiculum pertinet tribus Iuda. Sed Nota, Saülem hunc arcum non Deo auctori victoriæ, sed sibi erexisse, quasi suæ industriæ bellicæque virtuti victoriam adscriberet, ita Lyranus. En indolem animi Deo rebellis. Primò, detrectat parere Vicario Dei; Secundò, ipsi quoque Deo se præstat inobedientem; 3. gloriam soli Deo debitam sibi vendicat: 4. excusat omnia etiam deterrima, aut in alios transfert: 5. solo populi plausu, & vana gloriola pascitur: 6. alienâ gloriâ in rabiem, in furorem agitur: 7. ad cædes promiscuas, etiam suorum intimorum, rapitur: 8. sacra omnia profanat: 9. demoni totus mancipatur: 10. desperatus, manu propria occumbit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 16.

Vulg. Et cum venisset Samuël ad Saül, dixit ei Saül: Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini.
Pag. Statui verbum Dei.
Malu. Surgere feci verbum Iuh.
Sep. Rom. Firmaui omnia quæcumque locutus est Dominus.
Syr. Benedictus Dominus qui sermonem suum euentu comprobauit.
Arab. Afferuit.
Vulg. Dixitque Samuël: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?
Pag. Quis est balatus pecorum horum, & mugitus bouum?
Cald. Et dixit Samuël, sic firmasti, & quid vox?
Arab. Vox boarus armentorum.
Vulg. Et ait Saül: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolaren-

tur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus.
Arias. Pepercit super bonitate pecoris, & bouis, pro sacrificare Domino.
Malu. De Ghamalek ita venire fecerunt ea, quod commiseratione motus fuit populus, &c. super relictum anathematizauimus.
Sept. Reg. Accepit populus de spoliis ouium, greges, &c. primitias anathematis, vt immolet.
Arab. Placuit populo pulchritudo ouium.
Vulg. Ait autem Samuël ad Saül: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere.
Pag. Permite, & indicabo tibi.
Malu. Remitte, & annuntiabo tibi.
Cald. Attende.
Syr. Sile.
Arab. Siste.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Benedictus tu Domino, Alij, Domini. 7 Lamed enim sæpè est nota genitiui. Cald. *Ante Dominum*. Quasi diceret, Deus te plurimum diligit, magnoque fauore prosequitur, ac suis benedictionibus, id est donis, & beneficiis cumulat. *Impleni verbum Domini*. Sed Syr. *Benedictus Dominus, qui sermonem suum euentu comprobauit*. In hac versione non mentitur Saül, asserit enim Deum suis promissis sterisse, tradendo in manus suas Amalec, sed secundum nostrum, verum non dicit: vnde arguit eum mendacij Samuël. *Qua est hæc vox gregum?* sed magis emphaticè Cald. *Si firmasti, vt quid vox hæc?*

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **I**mpleni. Quod tunc erat falsum, & ex istis aggrauabatur Saülis peccatum. A dicens.
- LYRAN. *Dixitque Samuel*. Hic consequenter Domini sententia Saüli denuntiatur, & primo ponitur ista denuntiatio; secundo Saülis obstinatio, ibi: *Et ait Saül*. Denuntiatio autem diuinæ sententiæ per Samuelem ponitur modestè, & ordinatè, quia primò ponitur simplex reprehensio, cum dicitur: *Dixitque samuel*. Quasi dicat, non fecisti verbum Domini, quia præceperat omnia occidi. Subditur Saülis superba responsio, in hoc quod peccatum suum humiliter non cognouit, sed magis ineptè se excusauit: ponens super populum quod principaliter fuerat factum per ipsum, vt patet ex prædictis, & patet litera. Tertio Samuel processit ad denuntiationem diuinæ sententiæ contra eum, *Qua est vox gregum*. Dixerat Saül. *Impleni verbum Domini*. Itaque illum Samuel manifesti mendacij coarguit: quod gregibus pepercisset, quorum balatus resonabat. *Pepercit enim populus*. Culpam suam in populum deriuat. *Vt immolarentur*. Alius pietatis prætextus ad eandem culpam suam tegendam. *Domino Deo tuo*. Quasi dicat, quem tu colis, & amas, atque ideo non potes non probare quod ex electa præda in eius obsequium aliquid reseruatam sit. *Sine me*. Id est, audi me loquentem. *Et indicauit tibi, &c.* Domini sententiam. *Sine me, &c.* Quasi dicat, tace, & verba ista nugatoria, & falsa omitte.
- MENOC. *Menoc.*
- LYRAN. *Lyran.*
- MENOC. *Menoc.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 21.

- V**ulg. Et ait Samuel: Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Vixitque te Dominus in regem super Israel?
- Arias*. Nonne si paruus tu, &c.
- Malu*. Caput baculorum Israel tu.
- Sep. Rom*. Nonne paruus es tu coram te ipso, dux sceptri tribus Israel?
- Theod*. Ex sceptro Benjamin minore tribu Israel tribus?
- Cald*. Nonne à principio tuo fuisti vilis, & debilis in oculis animæ tuæ? Verum meritum Benjamin patris tui, ipsum occasionem dedit tibi vt sis rex super Israel.
- Arab*. Exiguus eras tuo iudicio, iam vero princeps es tribuum, &c.
- Vulg*. Et misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum.
- Pag*. Donec consumant ipsi eos.
- Arias*. Abi, & anathematizabis peccatores.
- Caiet*. Vade, & facies destruere.
- Tigur*. Misit te Deus in expeditionem.
- Sep. Rom*. Vade & extermina.
- Reg*. Debellabis eos, donec finias eos.
- Vulg*. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?
- Pag*. Vt quid non paruisti, sed diuertisti ad spoliū?
- Malu*. Inuolauisti.
- Sep. Rom*. Sed irruisti ad ponendum super spolia.
- Reg. vt Vulg*.
- Cald*. Cur non ausculcasti verbo Domini, & respexisti? &c.
- Arab*. Improbum facinus perpetrasti.
- Vulg*. Et ait Saül ad Samuelem: Immo audiui vocem Domini, & ambulauit in via per quam misit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci.
- Malu*. Venire feci regem, &c. & Ghamalek anathematizauit.
- Sep*. Exterminaui.
- Cald*. Confeci.
- Vulg*. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galgalis.
- Pagn*. Tulit de optimis eorum quæ perdenda erant.
- Arias*. Cepit de spolio pecus, &c. initium anathematis.
- Tigur*. Præcipua ipsius Herem.
- Sep. Rom*. Sumpsit, &c. & armenta prima exterminationis, &c. coram Domino Deo nostro.
- Reg*. Primitias anathematis.
- Cald*. Separauit, &c. antequam exciderentur, &c. Dominum Deum tuum.
- Arab*. Quas Domino dicatas elegit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nonne cum paruulus esses in oculis tuis. Arab. *Exiguus eras iudicio tuo*, vnde *in oculis tuis*, id est, te etiam teste; & iudice. *Versus ad prædam es*, Alij, *Inuolasti ad spoliū*. Verbo enim גזז gatah, subsunt hæc significata, declinare, irruere, contendere, &c. *Primitias eorum quæ cæsa sunt*, Alij, *Principium anathematis, prima exterminationis, &c.* Id est, primum principium, primitias illius anathematis, id est optima quæque, præcipua, ac præstantissima animalia eorum, quæ internecioni deuota fuerant, quæ perdenda, & excidenda erant. *Vt immolet Domino Deo suo*, Alij, *Nostro*, Alij, *Tuo*, sed idem sensus omnium.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **N**onne cum paruulus, &c. Quasi dicat, sicut per humilitatem meruisti ad regnum exaltari; ita per superbiam, & contemptum verbi diuini meruisti deiici. Quod autem contempserit Dei mandatum ostendit, dicens.
- MENOC. *Cum paruulus*. Cum etiam tuo iudicio humilis esses, & LYRAN. despicibilis.
- LYRAN. *Misit te Dominus in viam, &c.* Et patet litera.
- MENOC. *Misit te in viam*. Ire iussit.
- LYRAN. *Et ait Saül, &c.* Hic consequenter describitur ipsius Saülis obstinatio, & 2. pœnitentiæ simulatio, ibi: *Dixitque*. Saülis obstinatio apparet, quia cum prædicta excusatione sua addit peccati sui defensionem, dicens. *Imo audiui vocem, &c.* Verumtamen in sua defensione contradicit sibi (sicut frequenter contingit malis hominibus) dicens. *Et adduxi Agag, &c.* De quo fuerat sibi præceptum, vt interficeret eum, sed cupiditate ductus, reseruauit eum viuum, vt dictum est supra.
- LYRAN. *Tom. IV.*

LYRAN. *Tulit autem populus, &c.* Quasi diceret, non ego: cum Aprehendere, quia cedit ad honorem diuinum, quod excludit Samuël, dicens.

Ve immolet Domino. Quasi diceret, non debes hoc re-

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 24.

Vulg. Et ait Samuël: Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum?

Pag. Numquid voluntas, &c. in obtemperando voci Domini? ecce parere quàm sacrificium melius, est auscultare, quam adeps arietum.

Arias. In ascensionibus sicut in audire in voce Domini, ecce audire præ sacrificio, bonum intendere præ adipe.

Vatab. Numquid beneplacitum est Iehouæ?

Tigur. Num tam volupe est, &c. quam quod auditur vox Domini?

Sep. Rom. Si volitum Domino holocaustomata, & sacrificia, ecce auditio super sacrificium bonum.

Reg. Si voluntati Domini, &c. ecce enim auscultatio bona magis, quam, &c.

Cald. Num voluntas ante Dominum, &c. in oblatione sanctitatum sicut in auscultatione dicti Domini? ecce auscultatio dicti illius præ oblatione sanctitatum bona est, attendere loquelis Prophetarum eius præ pinguedine saginatorum.

Syr. Non oblectatur Dominus, &c.

Arab. Quantum oblectatur eo qui sibi obtemperat.

Vulg. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abiiecisti sermonem Domini, abiicit te Dominus ne sis rex.

Pag. Quia peccatum diuinationis est rebellatio, & idolum,

& Theraphim transgredi.

Arias. Et mendacium Theraphim, &c. eo quod reprobasti verbum, &c. reprobauit te à rege.

Caiet. Rebellio, & iniquitas Theraphim cogere.

Tigur. Quoniam contumacia peccatum est magis obfirmare animum peccatum, &c.

Malu. Erratum diuinationis mutatio, & concupiscentia, & Theraphim rumpere facere correspondentia fastidisti, &c.

Sep. Rom. Quoniam peccatum augurium est, dolorem, & labores theraphim inducit.

Reg. Quoniam peccatum ariolatio est, irritatio, iniustitia, & theraphim, dolorem, &c.

Sym. Peccatum vaticinationis irritatio Lucifer, quoniam peccatum abominatio est, dolores, & gemitus ad te aduxisti.

Cald. Nam vt culpæ virorum qui petunt ab ariolo, sic culpa omnis viri qui rebellat super verbis legis Domini, & sicut culpa populi qui errat post errores, sic culpa omnis hominis, qui addit super loquelas prophetarum.

Syr. Quia peccatum diuinationis prouocatio est iræ, & diuinationis scelus aggrauat.

Arab. Nam peccatum victimæ arioli ira Dei est, victima arioli crimen aggrauat: hæc autem victima, quâ Deus minimè delectatur, similis est victimæ arioli, ipsaque crimen auget.

Arab. Et sicut superstitio, & idola, est repugnantia.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Numquid vult Dominus? Alij, Numquid beneplacitum est Iehouæ? Nomi *דב* *chaphets*, omnia ista subiiciuntur, voluntas, beneplacitum, complacentia, desiderium, studium, oblectatio, voluptas, beneuolentia, &c. *Et auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Alij, *Præ pinguedine saginatorum.* Si adipem in propria significatione sumas, sensus est, non tam gratum esse adipem, quem ex tota victima vni sibi vindicat Deus, quam obedientiæ sacrificium. Quod si adipem sumas pro victimis adipatis, & pinguibus, quod sermo tam Hebraicus, quam Latinus non respuit, sed per Synecdochon sapè nec ineleganter usurpat, sic etiam adeps pro eo sumi potest quod crassum est, & adipis in se plurimum continet. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare.* Alij, *Quia peccatum diuinationis est rebellio.* Heb. est *כספ* *kesem*, quod ad omne genus diuinationis patet, sicut etiam Latine ariolatio, sed cum multæ sint ariolandi, seu diuinandi formæ, certæ tamen alicui, arioli nomen attributum est. Arioli autem, inquit D. Isid. lib. 8. Ethim. c. 9. proprie vocati, quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, iisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt. *Et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere,* Alij, *Et idolum, & theraphim transgredi, &c.* Heb. pro scelere est *און* *auen*, quod proprie significat concupiscentiam, cupiditatem prauam, iniquitatem, dolorem, molestiam, ærumnam, afflictionem, sumitur hinc pro impio, & superstitioso in religione ex concupiscentia illa per diabolum inflicta contra voluntatem, & verbum Dei instituta; vnde variè redditur, Alij enim habent, *Idolum, & theraphim est reniti*, sicut enim idolum est mendax Deus, theraphim est mendax oraculum: sic inobediens, suum iudicium, & voluntatem præferens diuinæ, illud quasi fidum suum idolum colit, illudque quasi prudentiæ oraculum, sed falsum, & mendax consulit, & sequitur. Porro illud *הפצר* *hapitfar*, quod vertit noster, *Nolle acquiescere*, variè alij reddunt, *Cogere, compellere, vim facere.* Quasi diceret, scelus est idololatriæ cogere mandatum Domini, illique vim facere, ac illud ad sui cerebri figmentum detorquere, vti fecit Saül, ac facit omnis inobediens. *Cald. Rebelle.* Quasi diceret, inobediens, Deo rebellans, similis est idololatriæ, *Sep. Dolorem, & labores inducere.* Hos enim sibi suisque creat inobediens, Alij, *Transgredi.* Quasi diceret, inobediens transgreditur Dei iussa, sicut idololatra. Alij, *Rumpere, sine abrumpere, aut vim inferre,* q. d. inobediens pugnans cum Deo, similis est gigantibus cum Deo pugnantibus, vt eo de celo, & folio diuinitatis eiecto, seipos facerent Deos, qui enim sprete Dei voluntate, suam illi contrariam sequitur, cum Deo pugnat, & seipsum, quasi Deum facit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *N*umquid vult, &c. Quasi diceret, non: vnde subditur.

Melior est enim, &c. In quo sacrificatur Deo voluntas propria.

Quam victima, &c. In quibus offertur caro aliena, quanto de re meliori fit oblatio, tanto magis sibi placet.

ESTIUS. *Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci eius?* Hac sententia non damnatur oblatio holocaustorum, aut victimarum, sed tantum, quid cui præferendum sit, ostenditur. Si enim inter

B se hæc duo comparantur, obedientia, & victimarum oblatio, dubium non est, quin melius sit obedire, id quod vel tunc maximè patet, cum alterum ab altero separatur: hoc est, cum hinc ponitur obedientia sine victimis, & illinc victimæ sine obedientia. Et imprimis displicet Deo sacrificium contra obedientiam: quale fuit quod Saül hic obtulit. Obtulit enim sacrificium ex pecoribus contra Dei præceptum referuatis. Sic enim præceperat ei Samuël ex persona Dei.

Auscultare. Obedire.

Offerre adipem arietam. Vel sensus est, offerre arietes A sibi denuntiatur, cum dicitur.

Melior est obedientia, quam victima. Quia per victimam aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur, inquit S. Gregorius. Sed causa à priori est quod per obedientiam pareamus voluntati diuinæ, quæ regula est omnium actionum bonarum: à qua proinde deflectere non licet villo prætextu, ne quidem sacrificij, aut alterius etiam sanctissimi operis nobis liberi. Hinc inobedientia comparatur ariolationi, imo idololatriæ, hoc est rei summè Deo execrabili, maximeque detestandæ. Nam inobedientes, inquit idem S. Gregorius, *velut contempto diuino altari, ad aras demonum responsa captant, dum cordis sui prestigiosis ac superbis adinventionibus credunt, &c.* Vide de hoc etiam S. Basilium, & S. Bernardum.

Quoniam quasi peccatum, &c. Proprium peccatum defendendo: propter quod abiectio Saül à regno definitivè

Quasi peccatum. Vox Heb. *קֹסֶם* *quesem*, omne genus vitæ diuinationis, quæ per dæmones fit, comprehendit, vt etiam ariolatio, quæ teste Isidoro ab aris dicta est, circa quas Diuini præces effunderent, aut sacrificia facerent, dæmones consulentes. Sententia est, grauissimum peccatum est inobedientia, quemadmodum ariolatio. Adde similitudinem inter vtrumque intercedere, vt enim ariolus seposito diuinæ legis præscripto, quod actionum nostrarum regula est, à dæmonibus quid agendum sit, exquirat; ita inobediens vocem superioris non audit, & animi sui perturbationibus, & cupiditatibus sacrificat, ipsique dæmoni, qui suadet inobedientiam, à quo suarum actionum directionem videtur expectare. Vide D. Gregorium in hunc locum.

Quasi scelus. Quia cultum, & reuerentiam superiori, Dei personam sustinenti, debitam non tribuit, sed suo iudicio potius, & voluntati, quam præfert diuinæ.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 24. ad 28.

Vulg. Dixitque Saül ad Samuëlem: Peccaui: quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.

Arias. Transgressus sum os Domini.

Malu. Erraui, quia transiui os Ihu, & audiui in voce eorum.

Cald. Culpatus sum, quia transgressus sum dictum Domini, & contempsi verbum eius, &c. & auscultauit dictis eorum.

Vulg. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.

Pag. Et nunc parce obsecro peccato meo, &c. & incuruabo me Domino.

Caiet. Et nunc leua peccatum meum.

Vatab. Dimitte peccatum meum, &c. vt curuem me Domino.

Malu. Procumbere me feci Ihu.

Sep. Tolle.

Reg. Porta.

Cald. Remitte culpæ meæ.

Syr. Condone.

Vulg. Et ait Samuël ad Saül: Non reuertar tectum, quia proiecasti sermonem Domini, & proiecit te Dominus ne sis rex super Israël.

Arias. Quia reprobasti verbum Domini.

Malu. Quia fastidiuisti, &c. fastidiuit te Ihu de esse regē.

Cald. Elongauit te Dominus.

Vulg. Et conuersus est Samuël vt abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est.

Pag. Tenuit oram pallij eius, & scidit se.

Arias. Apprehendit in alam.

Malu. Et circumgyratus fuit Samuël ad ambulare, & obtinuit in ala pallij, & disruptum fuit.

Sep. Rom. Conuertit faciem suam, &c. & tenuit Saül pinnulam diploidis eius.

Reg. Pinnaculum.

Syr. Fimbriam.

Vulg. Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

Malu. Disrupit regnum desuper te, & dedit illud sodali tuo, bono de à te.

Sep. Regnum tuum ad Israël de manu tua hodie, & diuidetur Israël in duo.

Cald. Transire fecit Dominus regnum, &c. quod rectora facta illius præ te.

Syr. Lacerauit.

Arab. Teque deposuit hodie.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Porta peccatum meum, Alij, Parce peccato meo. Vnde illud porta, idem est quod suffer, tolera, dissimula, & quantum in te est, condona: Portare enim idem aliquando quod tollere, id est, auferre. Sic multi accipiunt illud Matt. 8. Ipse infirmitates nostras accepit, & ægotationes portauit. *Vt adorem Dominum, Alij, Incuruabo me Domino.* Adorare hic idem esse puto, quod supplicem orare: Vnde Cald. habet. *Adorabo ante Dominum,* id est, coram illo preces effundam. *Comprehendit summitatem pallij eius:* Alij, *Oram, alam, &c.* *קֹסֶם* canaph enim hæc significat, scilicet alteram partem partium anteriorum pallij, vt cum nimirum retineret, ne abiret. *Scidit Dominus regnum Israël à te.* *Sep. Scidit regnum ab Israël de manu tua hodie, &c.* Ex quorum verbis, & versione infert D. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei c. 7. prædici regnum à Iudæis transferendum ad Christum, & ad Christianos.

ANNOTATIONES.

Dixitque ad Saül. Hic consequenter ponitur pœnitentiæ simulatio. Timuit enim Saül ne Samuël ad electionem alterius regis procederet, & sic ipse regnum perderet. Ideo fictè se humiliavit. Primò ergo describitur ficta ipsa humiliatio. 2. ipsius Samuëlis aliquis condescensio, ibi: *Reuersus ergo.* Circa primum dicitur.

Dixitque ad Saül. Sed quod ista pœnitentia ficta fuerit, patet per hoc quod subditur.

Timens populum. Cum non esset in obedientia populi, sed magis è conuerso, & ideo culpam suam obumbravit falsò: vnde subditur.

Peccaui, &c. Non est vox animi verè pœnitentis, sed tantum malum imminens amissionis regni depellere studens.

Sed nunc. Coram populo dissimulando.

Tom. IV.

Et reuertere. Honorans me tua præsentia.

Porta quæso peccatum meum. Id est, ferto, vel tolle, remitte peccatum meum, veniam impetrando precibus, & sacrificiis tuis, vt solent sacerdotes. Vel dissimula peccatum meum.

Vt adorem Dominum. Supplex orem, aut sacrificiis, quæ Domino offeruntur ad sim, illumque mihi propitiem.

Non reuertar. Videtur, quod Samuël falsum dixerit: quia postea cum ipso reuersus fuit. Dicendum, quod intellectus Samuëlis fuit pro illa hora, & non pro sequenti, sicut Ioan. 7. Saluator dicit: *Ego non ascendam ad diem festum istum.* Et postea dicitur, *& ipse ascendit in occulto.* Vel quia pro tunc Samuël intendebat non reuerti, sed post mutauit propositum ex causis quæ dicentur.

Ille autem. Ad retinendum eum.

Ec ij

LYRAN.
V. 27.

MENOC.

MENOC.

MENOC.
V. 26.

LYRAN.
V. 27.

MENOC.

LYRAN.
V. 23.

LYRAN.
V. 24.

MENOC.

LYRAN.
V. 25.

Que & scissa est. In signum scissionis regni à Saùle, secundum quod subditur à Samuèle.

MENO C. *Summitatem.* Oram pallij.

LYRAN. *Scidit Dominus.* Dicunt autem hinc aliqui Hebræi, quod

Y. 28. Samuël tunc dedit signum ipsi Saùli, quod ille erat regnatus pro eo, qui abscinderet oram chlamydis suæ, quod fecit Dauid, ut haberetur infra 24. propter quod Saül tunc videns oram chlamydis suæ in manu Dauid, dixit: *Nunc scio, &c.* ut ibidem habetur.

TIRINVS. *Scidit Dominus.* Nempe diuino decreto suo ac senten-

tia irreuocabili, ex nunc statuit te regno priuare. Alludit Samuël ad discissam chlamydis suæ laciniam, dicitque discindendum à Saùle regnum, & ad alium transferendum. Quin & Hebræi, teste Lyrano, putant, his verbis datum Saùli à Samuèle signum, quo nosse aliquando posset, quisnam esset ille, ad quem sceptrum transferretur: nempe illum qui è regia chlamyde partem aliquando abscinderet, quare cum Dauid id postea fecerit in spelunca, c. 24. dicunt, Saulem memorem mox vaticinij Samuëlis exclamasse. *Nunc scio, &c.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 29. ad 31.

Vulg. Porro triumphator in Israël non parceret, & pœnitentia non fleeteretur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam.

Pag. Et etiam fortitudo Israël non mentietur, neque pœnitebit.

Arias. Et etiam victoria Israël non mentietur.

Isidor. Clar. Non faller fortitudo, &c. Teste Vatab. aliqui sic vertunt, virtutem Israël non faciet irritam.

Sept. Rom. Et non auertetur, & non pœnitebit eum.

Reg. Non reuertetur, neque pœnitentiam aget sanctus Israël.

Schol. Grec. Non ostentabit tantum, sed faciet.

Cald. Et si dixeris: Reuertar à culpa mea, & dimittetur mihi, ut faciam regnum ego, & filij mei super Israel in sæculum iam decretum est super te ab ante Dominum victoriarum Israel ante quem non est vanitas, & non re-

uertetur ab eo quod dixit, quia non est filij hominis ille qui dicunt, & mentiuntur, decernunt, & non firmant.

Syr. Quia etiam nobilissimus Israelis nequaquam mentitur, neque consilium petit, non enim homo est, ut consilium petat.

Vulg. At ille ait: Peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, ut adorem Dominum tuum.

Pagn. Incuruabo me coram Domino Deo tuo.

Malu. Erraui, nunc aggraua me obsecro præsentia senum, &c.

Sep. Rom. Sed glorifica me.

Arab. Inter seniores populi.

Vulg. Reuersus ergo Samuël secutus est Saulem: & adorauit Saül Dominum.

Malu. Procumbere se fecit Saül Ihuh.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Triumphator in Israel, Alij, *Victoria, fortitudo, nobilissimus.* Heb. נצח netzah, propriè abstractum est, & significat excellentiam, victoriam, virtutem, triumphum, fortitudinem, & peculiariter est epitheton Dei æterni, & gloriosi, victor, triumphator Israelis, & abstractum maiorem vim habet, ut Deus nedum sit victor, triumphator, &c. sed ipsa victoria, triumphus, nobilitas, id est, author omnis victoriæ, nobilitatis, fortitudinis, &c. *Non parceret, Alij, Non mentietur, faller, &c.* Verbum שקר scakar, omnia ista complectitur. Non mentietur, non decipiet, non captiosè aget, non scurriliter se geret, non dolosè; Non satis aptè, Alij, *Et etiam virtutem Israelis non faciet irritam,* subaudi, Dominus, id est, neque tamen destituet Dominus Israël pristinam virtutem. Cald. *Decretum est super te à Domino victoriarum Israel,* id est, lata est, absoluta, & irreuocabilis Dei sententia super te, ut priueris regno. *Honora me, Alij, Glorifica, aggraua.* כבד cabad, honorare, & onerare significat, honor enim temporalis verum onus est.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**orro triumphator. Sciebat enim sententiam Domini B diffinitiuam super Saül, & filios eius de translatione regni, quæ immutabiliter venit in effectum.

MENO C. *Triumphator.* Deus dicitur triumphator, quia arbitrato suo in omnem partem agit, & versat Israël. Videtur Samuël obiter fugillare arcum triumphalem Saülis, & tacitè innuere trophæum Deo exercituum potius statuentum fuisse.

LYRAN. *At ille ait.* Hoc dixit Saül magis timore pœnæ, quàm amore iustitiæ.

Sed nunc. Et si non ratione personæ: hoc tamen facias propter honorem dignitatis regiæ.

Reuersus. Hic ponitur condescensio Samuelis volens deferre honorem Saùli, quamdiu à Deo in regno tolerabatur, & ut interficeret Agag, qui adhuc viuus seruabatur, ideo subditur.

Reuersus. Non cum illo in oratione communicaturus, sed ciuili tantum honore afficiens, ne regiam dignitatem contemnere videretur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 32. ad 35.

Vulg. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatu est ei Agag pinguis, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separata amara mors?

Pag. Facite appropinquare, &c. & iuit ad eum Agag delictiarum, dixitque, verè venit amaritudo mortis.

Arias. Venit Agag cum delictis, verè accessit amaritudo.

Isid. Clar. Venit Agag delicate, utique accedit amara, &c.

Caiet. Iuit ad eum Agag catenarum.

Vatab. Venit cum voluptatibus.

Alij ipso teste. Gaudens, & hilaris.

Serar. Declinavit ad me amaritudo.

Sept. Rom. Aduenit tremens, si sic amara mors.

Cald. Obsecro Domine mi, amaritudo mortis.

Vulg. Et ait Samuël: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres ma-

ter tua. Et in frustra concidit eum Samuël coram Domino in Galgalis.

Pag. Scindere fecit.

Arias. Ad facies Domini.

Sep. Rom. Iugulauit.

Reg. Trucidauit.

Cald. Disperfit.

Syr. Dilaniavit.

Arab. Diffecuit.

Vulg. Abit autem Samuël in Ramatha. Saül verò ascendit in domum suam in Gabaa.

Sep. In Armathaim.

Cald. In Gibgath Saülis.

Vulg. Et non vidit Samuël ultra Saül usque ad diem mortis suæ: verum tamen lugebat Samuël Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israël.

Pag. Dominum ante pœnituit, quod regnare fecisset.
 Malu. Non addidit Samuël ad videre Saülem.
 Aliqui. Postea non perrexit Samuël inuisere, &c.
 Sep. Quoniam lugebat super Saül, & Dominum pœnituerat.

Reg. Pœnituit.
 Cald. Et Dominus reuersus est in dicto suo.
 Arab. Quoniam contristatus erat super Saül, & Dominus doluerat se regem constituisse.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Oblatus est pinguiſſimus ac tremens. Alij, *Agag deliciarum*, Alij, *Cum delitiis, vinculis*. Heb. est מעדנות *maghdanoth*, quod delicias, & voluptates significat. Id est Agag, delitiis faginatus, & impinguatus, ideoque tremulus, Alij autem diuerſe exponunt, nempe cum delitiis, id est gressu, & incessu regio ac superbo, in suprema calamitate, haud oblitus fastus regij, & mortem contemnens, vnde alij, *Gaudens & hilaris*, præponens miseræ seruituti, mortem. Alij, *In vinculis*, quia fortè catenis constrictus Samuëli oblatuſ fuit. Sed nostra versio melior. *Siccine separata amara mors?* Alij, *Verè venit, recessit amaritudo mortis, declinavit*. Id est, irruit in me, vel inuasit me mortis amaritudo: quasi diceret, iam actum est de me. Alij variè exponunt, *Profecto recessit à me amaritudo mortis*, id est periculum mortis euasi, quandoquidem ab armato rege ad senem prophetam abducor. *Vel discessit amaritudo*, id est, metus mortis. Quasi diceret, intrepidè ac libenter motior, sed sensus nostri Interp. magis germanus est. *Et in frustra concidit eum Samuël*, Alij, *Scindere fecit*, quia verbum est in pihel, ideo transitiuè reddunt. *Et non vidit Samuël vltra Saül*: Alij, *Non perrexit ad eum Samuël, inuisere Saulem*. Hoc est, deinceps non perrexit ad eum familiariter inuisendum, vt antea solitus erat regis alloquendi, & monendi causa, & sic cum Vulg. ait, non vidit Samuël vltra Saül, hoc modo est intelligendus, quia postea cum vidit Samuël c. 14. v. 24. inter prophetas prophetantem. *Quoniam Dominum pœnitebat*: Alij, *Quia lugebat Samuël Saulem, & Dominum pœnituit eum fecisse regem*. Sic ordinandam sententiam, versio etiam nostra indicat.

ANNOTATIONES.

MENOC. **P**inguissimus & tremens. Vocem Heb. מעדנות *mahadanoth*, aliqui vertunt, *cum delitiis*, id est, cum latitia, & voluptate, vel delicatè, & incessu molli, quod secutus videtur noster Interpres, cum dixit: *Tremens*, quasi molli, & vacillanti. Alij interpretantur, *cum vinculis & catenis*, vide Pag. thesaurum in voce עדות.

Siccine separat amara mors? A diuitiis, deliciis, regno, vita. Benè Eccl. c. 41. 1. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis?*

LYRAN. *Sicut fecit*. Secundum Hebræos hoc non dicitur de Agag in persona propria, sed de rege Amalec, qui filios Israël inuasit hostiliter in deserto, & plures ex eis interfecit, vt habetur Exod. 17. Num. 14. & Deut. 15.

Sic absque liberis, &c. Per hoc non est intelligendum, quod mater Agag adhuc viueret, quia ante mortua fuerat morte naturali, vel interfecta cum aliis de populo Amalec. Sed per hoc intelligitur quod omnes filij eius essent interfecti, quia Agag erat in puncto occisionis: & si cum ipso alios habuerat, iam interfecti fuerant cum aliis.

Et in frustra. Non zelo vindictæ, sed iustitiæ diuinæ.

MENOC. *Fecit absque liberis*. Suo, aut suorum gladio occidens. *In frustra concidit eum Samuël coram Domino*. Manu sua, vt sonant verba, non aliorum ministerio, vt vult Iosephus. Fuit quasi quædam victima Domino, coram quo occisus, & vt fiebat in holocaustis sectus in frustra. Nec est nouum in scripturis vocari victimam cædem inimicorum Dei, vt Idumæorum Isa. 34. 6. *Victima enim Domino de Bosra, &c.*

LYRAN. *Et non vidit*. Istud exponitur dupliciter: vno modo referendo ad mortem Samuëlis, de qua habetur infra 25. c. v. bi dicitur, quod congregatus est ad eum vniuersus Israël, & verisimile est, quod Saül ibi venerit, & Samuël iam propinquus morti eum viderit. Sed contra hoc videtur quod dicitur infra 19. c. quod Saül prophetauit cum cæteris coram Samuële. Ad quod respondent isti, quod non vidit eum in regio habitu, vnde subditur ibidem. *Et cecinit nudus tota die illa & nocte*. Vel quia erat mutatus in virum alterum, propter spiritum prophetiæ, sicut supra 10. dicitur

A de ipso. *Prophetabat cum eis, &c.* Et sic exponitur quod dicitur hîc: quod Samuël non vidit eum vsque ad diem mortis sue, scilicet, in regio habitu, & communi statu. Aliter exponitur referendo ad mortem Saülis, quia tunc vidit eum Samuël suscitatus, & denuntiavit ei mortem suam futuram in crastinum, quæ dies iam inceperat quando Samuël hoc dixit: quia dies apud Hebræos incipit à vespera præcedentis diei.

Veruntamen Non ad hoc, quod sententia Domini contra eum mutaretur quam sciebat definitiuam, vt prædictum est: sed compatiens animæ eius, ne damnaretur æternaliter, & timens ne populus Israël propter peccata Saülis affligeretur.

Et non vidit Samuël, &c. Queritur, quomodo ergo infra c. 19. dicitur Saül cum cæteris prophetaſse coram Samuële: Respondent ferè Interpretes, quod vltra non viderit eum in habitu regnantis. Tunc enim nudus cecinisse dicitur coram Samuële, toto die ac nocte: id est, regio habitu abiecto. Sed magis placet interpretatio secundum quam ita exponitur à quibusdam, non vidisse Samuëlem Saulem, quia illum amplius non inuisit, sicut solebat facere certis temporibus, honoris, vel consilij danda causa. Et hoc modo accipitur vox (*videre*) infra c. 20. vbi dicit David: *Vadam, & videbo fratres meos, & 3. Reg. 14. Veni, & videamus nos, & ad Heb. 13. Cum quo, si celerius venerit, videbo vos*. Quod autem dicitur. *Lugebat autem Samuël Saulem, &c.* non fecit hoc, vt sententiam Dei mutaret, quam sciebat immobilem, sed fecit hoc commiseratione humana.


Non vidit, &c. Sensus est cum illo amplius non egisse, non eum visitasse, communicasse Reipub. negotia, &c. nam alioqui Saulem à Samuële postea visum constat ex c. 19. n. 24.

Et non vidit Samuël. Id est, numquam amplius inuisit, aut adiuit, officij vel amicitia gratia, quo modo antea ipsum videre solebat. Alioqui vidit rursus eum coram se prophetantem infra c. 19. ita Vatablus & alij Doctores.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS.

Reprobato Saüle, David fratrum suorum minimus, in regem ungitur, à Saüle euocatur, ut citharâ suâ spiritum malum qui exagitabat Saulem, compeſcat.

I.  Ixitque Dominus ad Samuëlem: Vſquequo tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethleemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem. 2. Et ait Samuël: Quo modo vadam? audiet enim Saül, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni. 3. Et vocabis Iſai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vngeſ quemcumque monſtrauero tibi. 4. Fecit ergo Samuël, ſicut locutus eſt ei Dominus. Venitque in Bethleem, & admirati ſunt ſeniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne eſt ingreſſus tuus? 5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum vt imolem. Sanctificauit ergo Iſai, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. 6. Cumque egreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius? 7. Et dixit Dominus ad Samuëlem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſaturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 8. Et vocauit Iſai Abinadab, & adduxit eum coram Samuële. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. 9. Adduxit autem Iſai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. 10. Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuële: & ait Samuël ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis. 11. Dixitque Samuël ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuël ad Iſai: Mitte, & adduc eum: nec enim diſcumbemus prius quàm huc ille veniat. 12. Miſit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie, & ait Dominus: Surge, vnge eum: ipſe eſt enim. 13. Tulit ergo Samuël cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus eſt Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: ſurgenteque Samuël abiit in Ramatha. Spiritus autem Domini reſceſſit à Saül, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino. 15. Dixeruntque ſerui Saül ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te. 16. Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui qui coram te ſunt, quærant hominem ſcientem pſallere cithara, vt quando arripuerit te Spiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras. 17. Et ait Saül ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum ad me. 18. Et reſpondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethleemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum; & Dominus eſt cum eo. 19. Miſit ergo Saül nuntios ad Iſai, dicens. Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuſ. 20. Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini: & hædum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Saüli. 21. Et venit Dauid ad Saül, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger. 22. Miſitque Saül ad Iſai dicens: Stet Dauid in conſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis. 23. Igitur quancumque Spiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saül, & leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. I. ad 5.

Vulg. Dixitque Dominus ad Samuëlem: Vſquequo tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethleemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.

Pagn. Ego reprobaui eum.

Arias. Quia vidi, &c. mihi regem.

Caiet. Abominatus ſum eum à regnando super Iſraël.

Malu. Ego ſaſtidiui eum de regnare.

Sept. Rom. Ego ſpreui eum, mittam te ad Ieſſe vſque Bethleem.

Cald. Ego elongaui eum, &c. quia notus ante me in filiis eius reclus, vt ante me ſit rex.

Syr. Quouſque contriſtaberis?

Arab. Dolebo, imple vaſculum tuum oleo.

Vulg. Et ait Samuël: Quo modo vadam? Audiet enim

Saül, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.

Pagn. Vitulam boum tolles.

Cald. Vitulum boum.

Vulg. Et vocabis Iſai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vngeſ quemcumque monſtrauero tibi.

Pagn. Inuitabis, & ego ſcire te faciam, &c. quem dixerò.

Sept. Rom. Ad ſacrificium, & nota faciam tibi quæ facies.

Cald. In conuiuium, &c. & vngeſ ante me.

Vulg. Fecit ergo Samuël, ſicut locutus eſt Dominus, Venitque in Bethleem, & admirati ſunt ſeniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne eſt ingreſſus tuus?

Pag. Mouerunt, se Mont. Et intremuerunt.
Clar. Expauerunt.
Caier. Tremuerunt.
Vatab. Trepidauerunt.
Tigur. Obstupuerunt.
Malu. Et dixerunt, pax venire tuum.
Sept. Rom. Si pax introitus tuus o videns.
Cald. Congregati sunt senes, pax aduentus tuus?
Syr. Exierunt.
Arab. Paxne?
Alij. Prosperere aduenis?

Vulg. Et ait, Pacificus, Ad immolandum Deo veni, sanctificamini, & venite mecum vt immolem: sanctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.
Pag. Sanctificate vos.
Arias. Et vocauit eos ad victimas.
Malu. Et dixit pax.
Sept. Rom. Sanctificamini, & letamini mecum.
Cald. Præparamini, & intrabitis mecum in conuiuium.
Arab. Mundamini, meque comitamini tempore sacrificij.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cum proiecerim eum, Alij, *Reprobani, abominatus sum.* וְשׂוֹד מַאָּס, significat aliquem à se longe facere, auerfari, abominari, & ideo proicere aliquem à se. *Vitulum de armento.* Alij, *vitulam bonam,* id est, tenebram & bonam, differunt in sexu sed non in re: *Ad immolandum Deo veni.* Cald. *Ad conuiuium.* מִבְּרֵית זְנוּאֵחַ, & immolare, & conuiuari aliquando significat, Loquitur Cald. de conuiuium, quod parabatur ex carne residua sacrificij. *Admirati sunt seniores,* Alij, *Mouerunt se, intremuerunt.* Verbo מִרְרָה *Charad,* subiiciuntur hæc significata, admirari, obstupescere, expauescere, trepidare: *Pacificusne est ingressus tuus?* Alij, *Pax ne est? prosperè aduenis?* Pax in Hebr. idiomate non solum valet, quod proprie sonat, nempe vacuitatem & cessationem à perturbatione & metu; sed etiam quicquid est secundum hominum commoditatem, & vota, quare dum Hebræi hac se salutatione excipiunt, pax tibi, aut pax tecum, omnia aliis bona cupiunt, cuiuscumque illa generis sint, *Et venite mecum,* Sept. & *letamini mecum.* Deo enim hilariter immolandum. *Sanctificamini.* Cald. *Præparamini:* sanctitas enim illa erat præparatio quædam legalis ad decenter sacrificium offerendum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 1.** **D**ixitque Dominus. Superius actum est de regno labili sub Saül. Hic consequenter agitur de regno stabili sub Dauid: Circa quod aduertendum, quod Dauid fuit inunctus in Regem, non ad hoc statim vt possideret regnum, sed quando accederet beneplacitum diuinum. Deus autem tolerauit Saül in possessione regni vsque ad mortem suam, vt ex persecutione Dauid malitia Säulis amplius declararetur, & Dauid innocentia atque patientia probaretur. Primò igitur describitur ipsius Dauid inunctio. 2. Säulis æmulatio c. 17. 3. Dauid persecutio c. 19. 4. ipsius Säulis mors & Dauid exaltatio. c. 28. Circa primum Samuël à Deo mittitur; Dauid inter fratres inungitur; ibi. *Cumque ingressi essent.* 3. Saül tanquam reprobatus à maligno spiritu affligitur, ibi. *Spiritus autem Domini,* &c. Circa primum dicitur Samuël à Domino.

Imple. Per cornu, quod est vas solidum, designatur stabilitas regni Dauid, sicut per lenticulam, quæ est vas fragile, fragilitas regni Saül supra 10. cap.

MENOC. *Vsquequo tu luges Saül,* cum lacrymis orabat Samuël, ne Saül, si fieri posset, à regno excideret.

Imple cornu tuum oleo, non lenticulam, vt supra capite 10. 1. sed cornu, quod abundantiam gratiæ in Dauidem conferendam docet, vt notauit Rupert. libro primo Regum capite vigesimo tertio, & regni Dauidici firmitatem quia cornu solidum, lenticula fictilis fragilis est. Ita Lyranus & Abulensis.

LYRAN. **Y. 2.** *Et ait,* Hoc dixit, non diffidendo de protectione diuina, sed quærit modum qualiter debeat ire, propter quod Dominus respondit.

Vitulum. Hoc erat verum, licet cum hoc esset alia causa.

ESTIVS. *Quomodo vadam? Audiet enim Saül & interficiet me.* *Et ait Dominus; Vitulum &c.* Quod Samuel fecit Domino præcipiente, dubium non est sine peccato factum fuisse; neque vllum in his verbis mendacium præcipitur. Nam reuera ex præcepto Domini venerat Samuël immolare Domino sacrificium in Bethlehem: tametsi præcipua proficiscendi causa esset, vt regera inungeret. Itaque hoc exemplo licebit si quid facimus ob plures causas, eam so-

Alam aperire, quæ minimè reprehensionem, offendiculo, aut periculo sit obnoxia; etiamsi alia causa sit principalior. Neque id ad versutiam, aut simulationem animi, sed ad prudentiam, & cautelam pertinet. Discimus hinc etiam eo tempore licuisse hostias minus solemnes extra locum tabernaculi offerre. Nam & Deus præcipit, & Bethlemitæ nihil mirantur.

Dices, ad immolandum Domino veni, vera quidem causa, sed non sola.

Et vocabis Isai, Vt ipse & filij eius sanctificarentur.

Vocabis Isai ad victimam, ad conuiuium ex immolatis carnibus apparatus.

Et admirati. Tum quia non consueuerat illuc venire: tum quia veniebat multum solitarius, quia legatio sua de negotio regni erat secreta.

B*Dixeruntque: Pacificus.* Timebant enim ne fugeret à facie Säulis offensi contra eum, eò quod arguens ipsum, denuntiauerat ei translationem regni.

Admirati sunt seniores ciuitatis, Quia ex quo Rex populo datus, & præsertim post Säulis peccatum se domi vt plurimum continere solebat.

Pacificusne est ingressus tuus? Quasi dicant, acciditne aliquid aduersi, vel aliquidne apportas infausti nuntii? vel timebant ne aliquem punire vellent.

Ad immolandum. Ad duo enim venerat, scilicet, ad inungendum regem, & illud tacuit quia erat secretum. Et ad offerendum, & illud expressit, quia in publico erat agendum, secundum quod fuerat sibi dictum à Domino, vt haberetur ex supradictis.

C*Sanctificauit.* Aqua expiationis, vel per continentiam ab vxoribus.

Sanctificamini, Parate vos vt sacrificio aditis, & si quam habetis legalem maculam, qua veremini conuiuii sacrificialis participes esse, eam abstergite. De immunditia quæ à sacrificatis carnibus arcet, agitur in Leuitico.

Sanctificauit Isai, & filios eius, Id est, mundari seu purificari iussit: quod fiebat secubitu, & lustratione ab irregularitate, si quam fortè contraxissent. De quibus sapius in Leuitico.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad 12.

V*Vulg.* Cumque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?

Pag. Certè coram Domino.

Malu. Profecto præsentia Ihuus vnctus eius.

Sept. At enim coram, &c.

Tom. IV.

Cald. Verum stat.

Sir. Secundum Dominum.

Arab. Respiciens Eliab filium Isai, natu maiorem, dixit, vnctus Domini pro voluntate ipsius est.

Vulg. Et dixit Dominus ad Samuëlem: Ne respicias vul-

Cc iij

tum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abiecti eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt quæ parent; Dominus autem intuetur cor.

Pag. Quoniam reprobaui eum, Dominus videt quæ sunt in corde.

Tigur. Ne respicias ad formam, nec ad proceritatem staturæ eius.

Malu. Non respicias ad visionem eius, & ad excelsitudinem surrecturæ eius, quia fastidui eum.

Sept. Rom. Ne respexeris ad habitum magnitudinis eius, quia contempsti.

Cald. Nam elongaui eum, &c. Filij hominis vident oculis suis, & ante Dominum manifesta sunt cogitationes cordis.

Arab. Homines egent intuitu oculi, ego vero quod cordibus inest exploro, & abdita cognosco.

Vulg. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuële qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

Malu. Transire fecit eum faciebus Samuëlis.

Vulg. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait, etiam hunc non elegit Dominus.

Vulg. Adduxit itaque Isai septem filios coram Samuële, & ait Samuël ad Isai, non elegit Dominus ex istis.

Vulg. Dixitque Samuël ad Isai: Nunquid iam completi sunt filij? qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oves, & ait Samuël ad Isai, Mitte & adduc eum, nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat.

Pag. Sunt ne finiti pueri? &c. mitte & tolle eum.

Arias. Quia non circumsedebimus.

Malu. An consummati fuerunt excussi? &c.

Ecce pascens in oue, &c. Quia non circumgyrabimus.

Sept. Rom. Defecerunt filij.

Arab. Non reuertar ad locum meum, donec ille venerit.

Vulg. Misit ergo & adduxit eum. Erat autem rufus & pulcher aspectu, decoraque facie & ait Dominus, surge & unge eum, ipse est enim.

Pag. Erat rubeus, & pulcher oculis, & decorus visu.

Arias. Bonus visu.

Caiet. Cum bonitate visus.

Sept. Rom. Unge Dauid, quoniam hic est bonus.

Reg. Quoniam ipse est.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

N *Vm coram Domino est vnctus eius?* Alij, *Certè, at enim;* Hebr. *עך Ach*, Quod potest etiam esse dubitantis forsitan. *Quoniam abiecti eum.* Alij, *Reprobaui, contempsti,* Heb. *מאסתיהו mechastihu.* Cald. habet, *Elongaui eum,* Scil. à Regno. *Homo videt quæ parent.* Alij, *Homo videt secundum oculos, vel oculis,* id est, iuxta apparentiam externorum oculorum. *Nec enim discumbemus.* Alij, *Non circumgyrabimus;* Id est, circulariter confedebimus ad mensam, vt indicet modum, quo tunc ad mensam in conuiuio sedebant. *Erat autem rufus,* Alij, *Rubicundus,* Hebr. *אדמוני Admoni,* Id est, rubicundus. *Pulcher aspectu,* Alij *pulcher oculis,* Hebr. *יפה עיניו ieph ghenaim,* Hoc est pulcher oculis, aspectus enim hic significat oculos, vt patet ex his quæ sequuntur, *decoraque facie,* Quod omnino videretur otiosum & redundans, si aspectus significaret speciem aut faciem, Aliqui *יפה iepheb,* accipiunt pro substantiuo, cum decore, pulchritudine, venustate, elegantia oculorum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ψ. 6.** **C**umque ingressi. Hic consequenter ponitur Dàuid A *Abiecti eum,* Quasi dicat, non hunc elegi: vel huiusmo- MEN O
di res non curo,
Iuxta intuitum hominis, More hominum.
Ea quæ parent, Externa quæ apparent, & in oculos in-
currunt.
Et vocauit, Sic est in Hebræo.
Adduxit, i. Paralip. 2. ponuntur tantum 7. filij Isai, LYRAN
computando Dauid, qui nondum adhuc venerat. Et ideo ψ. 8.
dicitur hic & cap. seq. vbi exprimuntur octo eius filij, LYRAN
quod Ionathan filius Samma, quem adoprauerat ei in fi- ψ. 10.
lium, & nutruerat inter filios eius, fuit adductus co-
ram Samuele, antequam veniret Dauid qui erat ipso iu-
nior.
Mitte &c. Quia mandatum Domini voluit implere dili- LYRAN
genter, & quia debebat inungere regem oleo sacræ vn- ψ. 11.
ctionis, quod debet fieri cum reuerentia & salua ieiuna.
Paruulus, Omnium natu minimus.
Adhuc reliquus est paruulus, Non quòd ætate puerili ef- MEN O
fer, aut exiguo corpore, (nam mox v. 18. vocatur. *Vir* TIRIN
bellicosus, & fortissimus robore, erat enim tunc Dauid 28.
annorum, vt tradunt Hebræi in Seder Olam cap. 13.) sed
quia fratrum erat minimus, & comparatione illorum par-
uus ætate. Sic Benjamin Genesis 43. v. 29. Iosepho fratre
suo vocatur paruulus, cum tamen iam tum decem susce-
pisset filios, vt constat Genes. 46. v. 21.
Erat autem rufus, In Hebræo habetur, *rubeus,* vel LYRAN
rubicundus. ψ. 12.
Et ait domi. Sur. Quia tale negotium debebat fieri stan-
do cum deuotione & reuerentia.
Pulcher aspectu. Hebr. *pulcher oculis,* Pagninus vertit, MEN O
cum nitore oculorum.
- ESTIUS.** *Num coram Domino est Christus eius?* In Hebræo asseueratè loquitur. *Certè coram Domino est Christus eius.* Consentiant Septuaginta. Et variè hoc exponitur, vt refert Vatablus. Sed maximè placet, quod habet Chald. Paraphrastes sensum esse: *Pulchre pronidit Deus de Messia;* quasi dicat. Hic formam habet, & staturam imperio dignam. Et hinc scilicet est quod Dominus quasi iudicium Samuëlis reprehendens, ei respondit: *Ne respicias vultum eius neque altitudinem staturæ &c.* In hunc quoque B
sensum Hieronimus accipit libro primo contra Pelagium capite vltimo.
- MENO C.** *Cumque ingressi essent,* domum Isai, in qua pransuri erant.
Et ait, Apud se tacitus, velut consulens Dominum.
Num coram Domino est Christus eius? Estne coram te Domine futurus Rex, quem inungere debeo?
- LYRAN.** **ψ. 7.** *Ne respicias,* Nolens eum regnare. Cuius rationem assignant Hebræi, quia erat superbus corde, & iracundus quod pater ex hoc quod sequen. dicitur: *Iratu fuit contra Dauid:* & eum valdè durè increpauit sine causa: cum tamen iam vidisset eum ungi in regem per Samuëlem.
Dominus. Hoc enim est proprium ipsius, scire secreta cordium.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 16.

Vulg. Tulit ergo Samuël cornu olei, & unxit eum in medio fratrum eius, & directus est spiritus Domi-

ni à die illa in Dauid, & deinceps, surgensque Samuël, abiit in Ramatha,

Clar. Mansit spiritus Domini.
Arias. Prosperauit.
Vatab. Requieuit.
Tigur. Agitare cepit Dauidem.
Malu. Perrupit.
Sept. Rom. Insiuit spiritus Domini, &c. à die illa & supra.
Reg. Et deinceps.
Cald. Mansit spiritus Domini ab ante Dominum, super Dauid.
Syr. Adfuit spiritus.
Arab. Descendit.
Vulg. Spiritus autem Domini recessit à Saül, & exagibat eum spiritus nequam à Domino.
Vatab. Turbauit.
Pag. Terruit eum spiritus malus à Domino.
Malu. Exterrebit eum.
Sept. Rom. Suffocabat eum spiritus malignus.
Cald. Spiritus fortitudinis ab ante Dominum qui fuit cum Saül, transfuit ab illo.
Afyr. Vexabat eum.
Arab. Cœpit spiritus malus liquefacere corpus eius.
Vulg. Dixeruntque serui Saül ad eum, Ecce spiritus Dei

malus exagitat te.
Pag. Terrer te.
Alij vt in precedenti versu.
Vulg. Iubeat Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere in cythara, vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras.
Pag. Vt cum fuerit spiritus Dei malus super te malus, &c. & bene tibi erit.
Arias. Quærent virum scientem modulantem.
Calet. Et erit existente super te spiritu malo, sanabit, & bene tibi.
Vatab. Bonificantem psallere.
Tigur. Ille sonet manu sua.
Malu. Dicet obsecro, sustentatores nostri, serui tui facibus tuis, &c. Et pulsabit manu tua, & bonum tibi.
Sept. Rom. In existendo spiritum malignum, & bonum tibi erit, & requiescere te faciet.
Reg. Spiritus malus à Deo.
Syr. Teque subleuet.
Arab. Teque refocillet.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Directus est spiritus Domini. Alij, Mansit, prosperauit, &c. Vide Concord. v. 6. cap. 20. huius libri, & v. 6. 14. Iud. Quis autem fuerit ille spiritus Dei manens in Dauide, vide Annotat. Exagibat eum. Alij, Terruit, &c. Verbum בגת bagath in pihel, hæc omnia continet, Exterrebit, exagitat, stimulat, exercebit, Sept. Suffocabat eum. Quia vt ait Iosephus, spiritus hic vocatur perturbatio, & morbus à Dæmone inflatus, qui suffocationes & strangulationes illi creabat. Spiritus Domini malus, Sept. Malignus, & non habent Domini, vel à Deo, sed Reg. ita habent. Vocatur autem hic spiritus Domini, vel à Domino, quia à Deo Saüli fuit immisus, vel permissus, ad castiganda eius peccata: Scientem psallere. Arias. scientem modulantem מנאגג Menaggen, formam participij Pihel, habet: sed quod pro infinitiuo vsurpetur. Et bene tibi erit. Sept. Sixt. explicant, tibi bene erit. Quia requiescere refaciet. Arab. Refocillabit. Musicis enim numeris serui Saüli didicerant vexationes & molestias Melancholiæ, quæ etiam à malo sunt spiritu, leniri.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. 13.** **E**T directus est spiritus Domini, id est, spiritus fortitudinis & constantiæ ad liberandum populum: vnde & seq. c. dicitur, quod inermis iuit constanter & voluntariè ad pugnandum contra Philisthæum. Hieronym. dicit, quod ab illa die fuit in eo spiritus prophetiæ, & ex tunc cœpit psalmos canere, Et hoc consonat dicto illorum qui dicunt ipsum fecisse illum psal. Dominus illuminatio, &c. in sua vñctione.
- ESTIVS.** *Et vñxit eum in medio fratrum eius.* Quæritur, An prima hæc vñctio fecerit Dauidem actum Regem? Respondet Iansenius super Ioan. 17. quod Dauid potestatem quidem, & ius imperij in populum Dei acceperit ab ea die, suam tamen potestatem non ostendit, nec ea vsus est nisi post mortem Saüli. Sed plenius D. Chrysostomus homilia de Dauid & Saüle, in persona Dauid: Nondum, inquit, Deus abdicauit illum principatu, nondum fecit illum ex Rege priuatum. Itaque non inuertamus ordinem, neque rebellemus Deo. Legitur tamen apud Augustinum contra Adimantum capite 17. Dauidem à cæde abstinuisse, quia occidere noluit, quamuis impunè potuerit. Sed nota quod dicit impunè, & non iuste. Imò addit Dauidem impleuisse præceptum Christi de diligendis inimicis; per quod significare videtur Dauidem facturum fuisse contra illud præceptum. Sed Dauidem ab ea die nondum verè Regem fuisse patet, quia Scriptura Saulem semper vsque ad mortem vocat Regem, Dauidem tantisper nusquam; tum imprimis, quia anni regni Dauidis non computantur nisi à morte Saüli. Itaque quod Iansenius dicit Dauidem ab ea die accepisse ius imperij in populum, distingue; sed nondum (in populo.) Nempe sicut Iurisperiti dicunt filium viuente tempore habere ius in bona, sed non in bonis; nempe per quartum casum, non per sextum.
- MENOC.** *In medio fratrum eius,* Ipsi tamen non intelligentibus quo spectaret illa vñctio, credibile tamen Dauidi, & Isai eius parenti mysterium indicasse. Salius Samuellem inducit rem totam Isai, & filiis eius aperientem, ita tamen vt quæ agerentur, silentio premerent.
- A** *Directus est spiritus Domini in Dauid,* Multiplicibus suis donis eum Dominus ornauit, iisque præcipuè quæ futurum Regem decent, & illum tanto fastigio dignum reddunt. LXX. habent, *Insiuit spiritus Domini in Dauid.* Hebr. prosperauit, hoc enim est dirigi in scripturis, *Directus est spiritus Domini in Dauid.* Dirigi vox est militaris, & significat intendere aciem, vel impetum facere in aliquem. Ergo directus est, idem valet quod insiuit Spiritus Domini sanctus, cum omnibus donis suis, ac nominatim dono prophetiæ, & canendi psallendique peritiæ, item dono fortitudinis, tum animi, tum corporis. Nam ab hac demum vñctione Dauidem & psallere cœpisse, & leonem atque vrsam nudis manibus profocasse, docent S. Gregorius, Rupertus, Pseudophilo, & Abulensis. Idem verò spiritus Domini cum donis suis recessit à Saüle iam sententia diuina reprobato, & à regno depulso. Vnde nihil ex hoc tempore egit egregium vel rege dignum, quin potius panico suo timore, imò stupore, ad vnus Goliath Philisthæi conspectum tota castra compleuit.
- spiritus autem Domini.* Hic consequenter ostenditur Saülis afflictio per spiritum malum, qui à Deo permissus fuit eum affligere, ideo subditur.
- Spiritus nequam à Domino.* Sed occasione istius sententiæ. Quæritur vtrum virtute concentus musici Dæmones ex hominum corporibus profligari, aut saltem per illum concentum domari, aut impediti à vexatione possint? Id enim apparet ex hoc loco; Nam mox subditur: *Tollebat Dauid cytharam, & percutiebat manu sua; & refocillabatur Saül; & leuius habebat: Recedebat enim ab eo spiritus malus.* Respondeo primò, in Hebræo non legi in postremis illis verbis (*recedebat enim*) sed tantum per copulatiuam (*& recedebat*) Deinde dico, dæmones, cum sint substantiæ incorporeæ, nullis corporis affectionibus subiectos esse, neque vlla virtute rei corporeæ naturaliter posse affici, sic vt compellantur exire de corpore obfesso. Sed scilicet homines à dæmonibus afflictos, & obfessi refocillari possunt capti musico, ita vt afflictionem à dæmone illa-

TIRINVS

LYRAN.

Y. 14.

ESTIVS.

tam mitius ferant. *Vno modo*, si corpus reddatur minus dispositum ad suscipiendam actionem dæmonum; *Alio modo*, si per externam sensuum oblectationem fiat, vt vexatio diabolica minus percipiatur, & per consequens ipsa afflictio minuatur: afficit enim harmonia musica temperamentum cerebri, & præ suauitate sua attrahit ad se mentis attentionem. Et hoc modo intelligendum est, quod pulsante Dauid cytharam, Saül leuius habebat: Atque adeo quod Dauid tamdiu psallebat, donec vexatio omnino cessaret.

MENO C. *Spiritus Domini*, eodem modo intellige spiritum Domini, vt superiore versiculo.

Exagitabat eum spiritus nequam. Energumenum factum, obsessum à malo spiritu, & vexatum. Ista communis Patrum & Doctorum sententia. Aliqui putant morbum fuisse ex atra bile, qui in furorem agit.

A Domino, Domini iussu, pœnas de Saül sumere incipiente.

TIRINVS *Et exagitabat eum spiritus nequam*. Id est melancholia, inquit Caietanus & Genebrardus ex traditione Hebræorum. Sed communis est Patrum Doctorumque sententia,

C Saulem verè fuisse energumenum, id est, obsessum & inritus exagitatum à dæmone: qui quia malus in se est, vocatur spiritus nequam; quia tamen etiam seruus & mancipium est Dei, merito quoque spiritus Domini dicitur hic v. 16. Ita Iosephus, S. Gregorius, Theodoretus, Isidorus, Rupertus, Eucherius, Lyranus, Abulensis, Dionisius, Hugo, Vatablus, Mariana, Vallesius, Serarius, & Sanctius.

Ecce spiritus Domini mal. Dicitur autem dæmon spiritus Domini, quia natura ipsius bona est, & à Deo per creationem, malus factus fuit per superbiam suam. Cetera patent vsque ibi.

Psallat manu, Qualiter autem hoc fit, dicitur in fine cap.

Psallat manu sua, & leuitus feras. Musica varij modi aut concitant affectus, aut leniunt. Dæmon exasperabat humores ad mœrorem, & tristitiam incitabat: hos affectus temperabat musica lætitiæ artifex, sed maiorem fortasse vim habebant Dauidis cantica ex matris, diuinas enim laudes exquebatur, quibus in fugam malus dæmon agebatur.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 17. 18. & 19.

Vulg. Et ait Saül ad seruos suos: Prouidete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum mihi.

Arias. Prouidete nunc virum scientem bene modulari.

Malu. Videte euge mihi virum beneficientem ad psallere.

Cald. Qui aptus sit ad psallendum.

Arias. Qui fides psallere possit.

Vulg. Et respondens vnus de pueris, ait, Ecce vidi filium Isai Bethleemitem scientem psallere, & fortissimum robore, virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.

Arias. Potentem virtute, virum belli, prudentem verbo, virum formæ.

Vatab. Et intelligentem rei.

Malu. Præualidum strenuitatis, & virum cætionis, & intelligentem verbis, & virum lineamenti.

Sept. Et ipsum scientem psalmum &c. Et vir sapiens sermone, & vir bonus specie.

Cald. Virum virtutis, intelligentem in consilio, virum pulchrum aspectu suo, & verbum Domini in auxilio eius.

Syr. Sermone perspicacem.

Arab. Fides apprimè pulsantem, gigantem robore, ingenio.

Vulg. Misit ergo Saül nuntios ad Isai, dicens, dimitte ad me Dauid filium tuum qui est in pascuis.

Sept. Qui in grege tuo.

Cald. Qui est inter pecora.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fortissimum robore. Alij, potentem virtute, præualidum strenuitatis. Vide dicta superius, Prudentem in verbis, Alij, sapientem sermone, intelligentem in consilio, id est, omni negotio gerendo idoneum, in consilijs dandis solertissimum, nec non facundum, & eloquentem. Virum pulchrum, Alij, virum forma, lineamenti, In lineamenti enim aptè & concinnè dispositis, maxima pulchritudo consistit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T respondens vnus. Dicunt Hebræi quod ille fuit Doeg, qui erat principalis inter famulos Saül, & dixit hoc ex odio, quia iam Dauid odiebat, & sic quærebat, vt staret in præsentia Saülis, cum à dæmone affligeretur, & sic à Saüle, vel dæmone ipsum agitante occideretur: & ideo ipsum commendauit, non ad bonum ipsius Dauid finaliter, secundum intentionem suam. Vnde & in eius commendatione aliquid addidit, quod non videtur verum, dicens,

Et virum bellico. Quia adhuc erat iuuenis. Vnde & Saül

A dixit ei postea, vt habetur cap. Non vales resistere Philistæo illi, &c. Quia puer es. Sic enim faciunt homines malitiosi, commendando illos quos odiunt, vt in aliquo casu sub specie boni eos confundant: sed Deus frequenter eorum insidias conuertit ad bonum illorum quibus insidiantur, quia non est scientia contra Dominum. Sicut Deus malitiam fratrum Ioseph ipsum vendendo, ne eis dominaretur, conuertit ad contrarium, quia per hoc fuit exaltatus in Ægypto, & fratres sui coacti fuerunt adorare ipsum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 23.

Vulg. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui, Saüli.

Arias. Cepit asinum, panis & vtris vini.

Sept. Rom. Sumpsit gomor panum.

Cald. Oneratum asinum pane.

Vulg. Et venit Dauid ad Saül, & stetit coram eo, at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.

Arias. Ferens ei vasa.

Alij. Vt cap. 14. v. 1.

Vulg. Misitque Saül ad Isai dicens, stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.

Sept. Assistat nunc, &c.

Syr. Nam assecutus est fauorem coram oculis meis,

Arab. Sine manere in ministerio meo, quoniam dilexi eum, multumque mihi arridet.

Vulg. Igitur quodcumque spiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saül, & leuius habebat recedebat enim ab eo spiritus malus.

Pag. Refrigerium erat ipsi Saül, & bene erat ei.

Arias Modulabatur in manu sua, & erat respiratio ipsi.

Caiet. Dilatabatur Saüli.

Vatab. Recreatio erat Saüli.

Malu. Et bonum ei, & discedet desuper eum.

Syr. Relaxabat, ac subleuabat Saül,

Arab. Recreabat cantu suo.